PETREIDOS

LIB. XXIV.

ANTONII MIRABELLI

SANCTAE NEAPOLITANAE ECCLESIAE

PRESBYTERI.

VOL. II.

NEAPOLI
EX TYPIS AGRELLIANIS
MDCCCLVIII.

PETREIDOS

LIBER VII.

ARGUMENTUM

Dum Christianae doctrinae praeconiis, Paulo explicante, aulicus carcer personaret, ignotus quidam aulam ingreditur — Utque locum darent, magnis clamoribus obtestatus, ad Pauli pedes se projecit, se Onesimum professus, Philaèmonis Colossensis servum — Romae, in externa urbe, fame et paedore moriturum, nisi ocyus ipse opitularetur — Audito Philaemonis nomine, qui beneficiis omnibus Sanctos juverat, exultat Paulus, eumque qua de causa Romam venisset, interrogat — Qui singultibus pene vocem et spiritum intercludentibus, furtum in herili domo fecisse fatetur, poenaeque formidine Romam fugisse — Se in vinculis commoraturum, et libentius Paulo, miserorum auxiliatori, suam servitutem exhibiturum — Paterna misericordia commotus Paulus confitentem reum excipit, primum Christo, mox domino conciliaturus — Oblata etiam servis caelestis regni fiducia, si fideliorem operam navassent, poenitentem ad sempiternae salutis curam revocat — Scriptisque litteris ad dominum, pastoralem caritatem undique spirantibus, *senex, nunc autem et vinctus Jesu Christi, pro filio, quem genuit in vinculis Onesimo, Philaemonem orabat, eum, ut viscera sua, acciperet* — Mirifica Pauli sollicitudine in servum nequiorem, et potissimum novae doctrinae genere cunctis obstupescentibus, Burrus et Annaeus superveniunt — Salute accepta

redditaque, Annaeo Tarsensis infortunii caussas quaerente, Paulus: *Mundum*, ait, *Christum priorem odio habuisse*. Quid Apostolos?—Sed Burro illatum crimen expostulante, Paulus respondit se apud Insulam Tiberinam aegrotos procurantem, Christoque lucrifacientem deprehensum — Romana porro urbe indignissimum, quae, omnibus diis templo constituto, unum Deum verum excluderet, quaeque frumentatione assidua valentem plebem nutriret, aegrotam sine auxilio relinqueret—Quodque inhumanius, servos veluti inferiorem humani generis formam nihil pensi haberet — Interea Petrum, solum et ignotum carceris vestibulum ingredientem Paulus prospiciens, obviam occurrit, et amplissimo honore prosequitur — Et aulae primoribus squalidi senis aspectum demirantibus, Tarsensis Petrum adesse ait, supremum Christianae Reipub. caput et principem — Mutuis officiis inter sese consalutantur, et Petrus tam honorifico comitatu circumdatum captivum conspiciens, Paulo gratulatur, oblata praesertim gloriae imagine, quae ex suis vinculis Christo et sibi ipsi oboreretur — Seneca tot Christianae fortitudinis experimentis perculsus, Paulum de nova hac Hebraeae gentis fiducia percontatur: seque libentissime arcanam hujus populi historiam narrantem auditurum — Sed Burrus in aulico carcere eos versari commonefacit, neque ibi fore tutum amplius consistere — Potius ad Lateranas aedes seniorem vocabat, ubi consultius de rebus gravissimis poterat disputari — Suoque invitatu benignissime fruiturum respondet Petrus, siquidem apud Romanos proceres in aula confertissima christiani nominis dignitatem propagare, atque defendere posset — Aulicis administris discedentibus, Supremus Pontifex Paulo appropinquat, et Christiano bellatori in arenam descensuro sacrum viaticum porrigit — Qui humillime in genua provolutus, augustissimo SS. Corporis mysterio veluti scuto inexpugnabili roboratur — Deinde se mutuo exosculantur, inque Dei praelia praelianda exhortantur — At Petrus discessurus, certamine instanti anceps, in ipso carceris limine consistit, et Christum christianae Romae conditorem ferventissima precatione prosequitur — Exinde ad pontificalis sollicitudinis munia obeunda per urbem profectus, ad Graecinae Pomponiae domum divertitur — Quae Massiliae nata, et provinciali parsimonia, graecaque comitate educata, C. Plautio senatori amplissimo nupserat — Qui belli pacisque artibus semper floruit, et nuper Britannis inopino tumultu consurgentibus, communi consensione in remotam insulam amandatus fuerat, ut romanum imperium restitueret — Sed jampridem Christiana Religio in domum bonis artibus insignem irrepserat — Et nunc absente Plautio, dum Pomponia mirificis somniis conturbatur, Lucia nutricula persuaserat, ut Christianorum Deo

pro viri sospitate vota nuncuparet — Quae eo libentius paruit consilio, quod evaganti antehac servili licentiae insuetum ordinem injectum audiit, una senis auctoritate, qui occulto in subterraneum ergastulum veniens, ad christianam honestatem servitia informaverat — Pomponiae ad inferiores aedes descendenti Petrus occurrit, qui bona omnia de Viro sperare jubet, eamque, et ceteram domum, Dei gratia afflante, Christianis mysteriis imbuit — Sed Tigellinus novarum in urbe rerum inspector atque insectator, Graecinae domus immutatos mores quantocyus Neroni nunciavit—Qui orientalium contagionum progressu conterritus, vix Plautius de Britannis ovans se retulit, superstitionis externae ream conjugem mariti judicio permisit — Isque acerbissimo moerore confectus, Neronis tamen jussis obtemperans, prisco instituto, propinquis coram, de capite famaque conjugis cognoscit — Sed, in majore aula cunctis collectis, ubi Plautius crimen proponit, Materque muliebriter ejulando externam impietatem execratur, Aegla sorore efflagitante, Pomponia ipsa in judicium venit — Quae matronali specie spectabilis, nunc vero Christiana dignitate augustior, singulari modestia, de sua in Plautium fide, deque Christo novae legis latore multa commemorat — Quibus auditis, Plautius excandescens ira domesticum dedecus se hebraei senis sanguine aboliturum jurat — Sed Spiritu Dei ex adverso erumpente, Petrus ipse, qui ad aram in servilibus cubiculis extructam pro pugnatrice orabat, in superiorem aulam progreditur, matribus cunctis augustam senis formam, Plautio inauditam animi fiduciam demirantibus — Qui in medio consistens de Christiana fide eloquitur — Ad matresfamilias praecipue oratione conversa, teterrimam mulieris conditionem in XII tabulis praescriptam detestatur, primamque ab aeterno Opifice collatam dignitatem, a Christo restitutam celebrat — Demum Romanae matronae et christianae in publica et privata vita rationem graphice describit, easque ad christianae religionis sanctimoniam, atque altitudinem adhortatur — Qua oratione perculsae matres conticescunt — Sed Plautius et oratoris sapientiam demiratur, et christianae vitae documenta amplectitur — Petrus de solemni triumpho Deo gratias agit, Plautiumque et Pomponiam mutuo complexu haerentes, et circum ridentes pueros conspicatus, christianae domus in urbe spectaculum fore bene ominatur — Prono in occasum sole, apud Plautillam divertitur — Qua primum cum Petronilla filiola immoratur — Quam unam in oriente susceperat, eaque cum matre Petrum ad Tiberim comitaverat — Ubi defuncta matre, et apud vaticanum collem sepulta, collegio Virginum praeerat — Quas sua praesentia summus Antistes exhilarat, easque ut supplicibus votis Deum fatigarent, pro Romae totiusque orbis salute

cohortatur — Neque prius inde discedit, quam Eunem, erraticam ovem illam e lupi faucibus ereptam, alloquatur — Quae, a Plautilla accepto Lucae Evangelio, interiores animae procellas composuerat — Et Servatoris facta relegens, Magdalenae consilio praecipue oblectabatur, quam e remissiore vita redeuntem, tanta indulgentia, Deus in convivio excepit — Inter quae arcessita Eune, audito tantum Petri nomine, quo uno innitebatur, ad supremum Ecclesiae Patrem advolat —Eamque christianae modestiae pulchritudine praelucentem conspicatur Petrus, paternaque sollicitudine ad ferventiorem Jesu Christi amorem exuscitat — Interea et ipse Hermus Plautillae foribus accesserat—Qui custodia sponsae cognita eamque primis Christianorum sacris initiatam, omni dubitatione sublata, eam visere ardebat — Domumque ingressus, eam cum Petro sedentem, et colloquentem reperit — Dumque ingenti admiratione ambo defixi conticescunt, Petrus, ceu filios longa tempestate conflictatos solatur, conjugii spem interjicit, atque ad christianae virtutis altitudinem erigit — Hermum maxime admonet, ut patrem Iphitum qui unus desiderabatur, per urbem exquirat — His perfectis, ad inferiores aedes descendit, qua puerilis erat schola et coenobium — Venientem Pontificem pueri sacris cantiunculis excipiunt—Ille autem in medio consistens, prae ceteris Nereum, et Achilleum de Christianae fidei rudimentis interrogat — Quos ad rem respondentes, verbis amplissimis laudatos affabre factae Crucis dono remuneratur — Eosque admonet, ut quondam Anxure periclitaturi salutare illud signum inspiciant, et Christum constanter fateantur — Domum abiturus, in capita tenellula, passis manibus, caelestem benedictionem apprecatur.

Ut primum Christi resplenduit aurea lampas,
Quam grave servitium toto saevibat in orbe!
Jurares geminos populos fato impare natos.
Sive domi genitus, mediis seu captus in armis,
Emptus sive foro, quodnam intolerabile pondus
Sustinuit famulus! capitis minor, altera vultus
Humani forma inferior, vilissima rerum,
Communem domino indignus sociare loquelam,
Caedere quem flagris, quem dira morte necare
Aut ferro aut laqueis impune liceret, heroque
Immiserabiliter fugitivum tradere iniquo [1].
Si vox extemplo dio instaurata vigore
Jus libertatis toto clamâsset in orbe,
Quis non mancupii miseranda effringere vincla
Auderet? Quae tuta domus, urbesque quietae?
Vesper et Eous motu surrexêt in uno,
Excutiensque jugum feritas inhumana tremendum
Sparsisset justa dominorum caede penates.
Spartacus Italiam ferro populatus et igne
Cessisset, nullique foret memorabilis Henne [2].
At qui divina mundum ratione gubernat,
Ignotum demonstrat iter: contra ille superbos
Imperii fastus, cordisque obstantia clamans,
Servitium famulo, libertatemque severo
Persuadet domino: violens quae jura petîsset

Mancipium, dominus fraterno cedit amore.
Hinc mandat famulis: Domino servite volentes;
Haud impar dominis servorum gloria caelo.
Inde monet Dominum: famulum ne temne: creavit
Idem de caelo omnipotens, et servat utrosque [3].
At tu, quam undisona sejunctam Atlantidos aestu
Anglia parturiit, populorum maxima mater,
Nuper maternum imperium indignata, rebellis
Filia, congestis sed nunc soror aemula gazis,
Navigerisque ausis vel matre audacior ipsa,
Horrida quae miti Europae spectacula praebes?
Praecipue austrinam [4] quae libera vergis ad oram:
Libera jactaris, nitensque tyrannide herili
Perpetuas servis, juga non toleranda, catenas
Nectis? Nec puduit, quod magna Britannia, junctis
Gallia quod ratibus ponto speculentur in alto,
Ne medio fera praeda mari traheretur [5], iniquis
Immoritura arvis? An te fortasse pudebit
Quod modo hyperboreis vocat Induperator [6] ab oris,
Nobile propositum! generoso e sanguine natos
Russorum proceres, servilia solvere vincla
Sponte sua, et patriis transcribere rura colonis?
Heu! misera! heu! misera! ipsa taces: est vilior auro
Gens humana tibi: neque dum ignorasse pigebit,
Per Christum quanta fuerit mercede redempta?

Hic nova res fecit late venerabile Pauli
Nomen, et eximio crevit reverentia cultu.
Insuetum dum turba decus mirata, nitescens
Mirata eloquium roseo pendebat ab ore,
Ignarus quidam confertum irrupit in agmen:
Atque mihi date, quaeso, viam: exorare parentem

Ah! sinite, ut dubio versantem turbine mortis
Me juvet. Adventu siluit chorus omnis egeni.
Tritum palliolum [7], resonantis signa loquelae
Argivum faciunt: macies sed longa, famesque
Squalida lividulae horrebat rubigine frontis,
Et dolor ardentes oculorum infecerat orbes.
Ut primum Paulum juxta successerat ipse:
Adspice me, Genitor, (genibusque acclinis adhaesit)
Adspice me, dixit: patria te sede Colossi
Adspexi quondam, magnique Philaemonis aede [8].
At Paulus lecti gavisus nomine amici,
Quid Romam veniat, quid nota relinquere tecta
Impulerit, posita hortatur formidine fari.
Ille prius madidum lacrymoso flumine vultum
Tergens, deinde patris vultu recreatus amico:
Non me romanam dominus dimisit ad urbem,
Inquit: sponte mea venio, crimenque piandum est
Commissum patria. Dominus discesserat, atque
Rus ierat peregre, clavi servata reclusi
Scrinia, confectique auri infectique metalla
Subripui. Fateor: me nulla injuria adegit
Maturare fugam; certi timor unus adegit
Supplicii. Te, per Christi exorabile numen,
Obtestor: mihi num liceat consistere Romae,
Atque tibi assiduo famulum servire labore [9]?
Sic ille: et vitae studia illaudata peractae
Incusans, largo vultum simul imbre rigabat.
Orantem Paulus servum et peccata fatentem
Excipiens Christo in primis, dominoque benigno
Conciliare studet: Te novi, Onesime, nec tu
Oblitus porro, quae sacro multa sacello

Edocui quondam, neque nostra e mente recessit,
Quod fecit Christi commotus voce Philaemon.
Ex quo servitii obscoeni damnata tyrannis,
Sponte sua innumeris famulis concessit honestae
Jus libertatis. Caelo pater omnibus idem:
Sit vitae quicumque color, sua munera quemque
Perfungi, diamque decet defendere legem.
Et tu, si sanctae lustratus fonte salutis,
Servus eris dominoque tuo Christoque fidelis,
Spem cape caelestis regni. Suffusus obortis
Haerebat lacrymis famulus, frontemque remissam
Reclinàrat humi pavitans: Te poenitat acti?
Mitior adjecit Paulus: Me poenitet, ille
Attollens oculos pudibundo protulit ore.
Atque ego lustrali renovatum fonte remittam
Ad dominum. Ipse mihi solatia multa, tulitque
Saepius auxilium sanctis. Confidere possum
Jam senior [10], vinclis jam nunc devinctus ahenis,
Ut Paulo dociles oranti praebeat aures.
Haec ait, accepitque stylum, scripsitque tabella:
Quem genui Christo in vinclis, venerande Philaemon,
En famulum commendo tibi: tibi inutilis ille,
Atque mihi atque tibi mutato nomine factus
Utilis [11]. Excuperem mecum retinere volentem,
Ut mihi captivo foret ad pia facta minister!
Quo jure at facerem, nisi tu concesseris uti?
Forsitan ipse tibi paucas discessit ad horas,
Quo aeternum acciperes: jam non tu suscipe servum;
Pro servo carum fratrem bonus excipe: nobis
Carus, nonne tibi debebit carior esse?
Excipe, me veluti exciperes: ego debeo, siquid

Debuit ipse tibi [12]; in Domino nunc vive valeque.
Ingenti rerum attoniti novitate stetere
Captivi, atque novo ferri per inania caelo
Visi, quaesitaque diu requiescere luce.
Non secus haerentes nocturna saepe quiete,
Ignotum quiddam votis et mente cupitum
Nequicquam assequimur; tum dextra inopina trementes
Per loca sustollit gaudens incognita, ubi aether
Liberior patet, et caeli formosior aura,
Atque exoptatae statio placidissima vitae.
Ecce autem Romae duo lumina carceris antrum
Introëunt: vitam in tenebris luctuque trahentes
Innumeri hinc atque hinc lateri glomerantur ovantes,
Mirati, curnam sedes in nocte sepultas
Heroes tanti magno dignentur honore.
Tum Paulum Annaeus dictis compellat amicis:
Ergo etiam, te magne Sophe, huc vis improba adegit?
At Paulus placido confidens pectore fatur:
Ne, Seneca, admirere: foret mirabile porro,
Si contra accideret. Christus sic cuncta monebat [13]:
Vos odit mundus: quid mirum? me ipse priorem
Odit amans sua: siquis eum sequeretur, amaret.
Vos ego prae cunctis ad grandia munera legi.
Hinc odium exercent benefida in prole paternum.
Sermonem sprevere meum, vestrumque tueri
Sermonem poterunt? Terraque marique sequentur
Nomine pro nostro, et qui me Pater aethere misit.
At nisi venissem e caelo, coramque locutus
Splendida sanctarum vulgâssem abscondida rerum,
Culpa minor foret errantis: manifesta malorum
Nunc patuit labes, et inexcusabile crimen.

Qui me odit, Patremque odit. Sic ille locutus.
Audax propositum Burrus, coeptumque stupescens:
Dic, age, quandoquidem nostras pervenit ad aures
Cognita jampridem tanta haec sapientia Romae,
Quae vitae ratio, vel quae fortuna coëgit
Haec extrema pati? Quaerenti talia Paulus
Reddidit haec: Verum nobis ante omnia curae.
Omnipotens misit speratum in saecula numen,
Quo pia Relligio longis renovata tenebris
Surgeret, et verum toti innotesceret orbi.
Ut plebes melius residem deducere vitam
Evaleat, lautos video studuisse Quirites.
At nihil efficiunt, quo aegroto corpore morbos,
Et miseris concreta animis contagia pellant [14].
Quanti me miseret, seu totam infirma per urbem
Corpora conspicio, seu quae circumflua Tybris
Insula mancipia obscoeno defuncta labore
Detinet, heu! nimium certae spectacula morti.
Crimen erit nobis male tecta mapalia passim
Indugredi, pacemque animis, aegroque salutem
Corpore sufficere, et rebus succurrere egenis?
Hic Roma in media victor terraque marique
Agrippa augustum candenti e marmore templum
Constituit, cunctisque Deis, quos caeca creavit
Fabula, donavit certa considere sede.
Quae mens caeca hominum? foedas impune tenebras
Errorum offundunt falsi quaecumque ministri;
Et nos hospitio Romae prohibemur, et alto
Eloquio monstrare nefas, quae lumina gentes
Irradiant, certoque locant in limine vitae?
Talia fundebat Paulus magnoque stupebant

Alloquio proceres; cum ignota veste propinquat
Augusti nova forma senis, cui fronte serena
Immortale nitet jubar, exhilaratque virentem
Canitiem augescens magnarum gloria rerum.
Omnia comperiens caelo constare sereno
Christiadûm Rector dulcem invisebat amicum.
Edicit sociis, vestigia pone sequantur;
Ipse autem antevolat, pedibusque amor addidit alas,
Seque improviso ferrata ad limina sistit.
Quem procul ut vidit tacito procedere gressu
Occultum, exultans animosque ad sidera tollens
Paulus pontificem laeto clamore salutat:
Venisti, Pater o, tua nec devicta periclis
Extimuit pietas moriturum invisere fratrem,
Et curas lenire graves. Fas cernere vultus
Optatos, dextrae extremum fas jungere dextram.
Adventare senem proceres videre, stupentque
Virtutem insuetam ignota sub veste latentem.
Hic Seneca accedens Burri sic fatur ad aurem:
Adspice, quae socios animos concordia jungit!
Quantus amor! mediis constantia quanta periclis!
Quamplures ista novi de gente, paresque
Hoc uno video cunctos: amor omnibus idem,
Obsequiumque suis ingens majoribus, atque
Magno opere incoepto nunquam fiducia fallax [15].
Miratos Paulus videt, atque haec addidit ultro:
Romani proceres, hoc corpore nititur uno
Nostri spes regni: huic uni concreditur ingens
Imperii regimen, caelum huic, et tartara parent.
Haec Paulus, tacitusque stetit. Tum maximus heros
Magnanimos spectans proceres lectamque coronam,

Laetitia illacrymans, placido sic pectore fatur:
Salvete, o proceres, inquit, salvete quirites:
Quae petere arcanas tharsensi ex ore loquelas
Suadet Relligio? an tali dignatur honore
Rex superûm, exultatque novo res romula cultu?
Tum vero in Paulum flammantia lumina figens:
Ergone carceribus Christi venerabile nomen
Clarescit, moresque novos loca cuncta sonabunt?
At Tu, Christiadûm clarissima gloria, macte
Insolita virtute: sacras quae vincula palmas
Aspera constringunt, in serta nitentia caelo
Mutabit Dominus; mutataque Roma sacrato
Excipiet templo pignus venerabile, templum
Visent postgeniti, et figent his oscula vinclis [16].

Talia dum memorat, captorum plurima turba
Intuitu manet immoto, spe tacta metuque.
Caesareae in primis aulae duo lumina stabant
Cuncta admirantes: tum laeto lumine Paulum
Spectans Annaeus dulci sermone profatur:
Mira quidem video. Sine magno numine divûm
Non ego crediderim venisse ad Tybridis undas
Teque ducemque tuum, totamque incendere Romam.
At mihi, quandoquidem Hebraeae miracula gentis
Tanta tuor, certum est divinitus omnia ferri.
Quin potius prima crescentem ab origine gentem
Narrare aggrederis, primasque evolvere caussas?
En nova progenies doctrina imbuta recenti
Haud obscura quidem nostra consurgit in urbe.
Dic, age, quae victae subita haec fiducia genti?
Quae nova spes Solymae? scrutanti talia Paulus
Respondit Senecae: Multa et praeclara requiris,

Caelesti patefacta fide: sed nôsse licebit
Aut hic aut nusquam, posito velamine, verum.
Tum vero hic Burrus pauca interpellat amice:
Et mihi cuncta placent: at vos oblivio cepit
Vivere foedifragum furiata mente Neronem,
Contactumque nova rabie penetralibus istis
Affore quamprimum? Potius quacumque juvare
Arte juvet captum, foedoque abducere ad ungue.
Nec nobis, Seneca, his tutum cunctarier umbris.
Quin potius, si tanta seni stat corde voluntas,
Et cupit Hebraeûm lapso succurrere regno,
Proxima lux, nosti, laterana palatia [17] pandet.
Quid non ipse senex veniat? Graviora gerenda
Et populis cunctis communia: quidve requirat
Judaca indignans, rerum quo cardine fidit,
Nos ipsumque juvat sociato noscere coetu.
Tum vero Paulus: Quando Rex adfuit ipse
Christiadûm, atque olli flammantia pectora majus
Inspirat numen, prima ipse exordia rerum,
Hebraeique vices populi, et venientia fata
Christiadûm memorare potest. Tu, maxime pastor,
Divinae ductor gentis, quae nomen et ingens
Principium a Christo ducit, mirandaque certat
Facta sequi, tibi fas, errorum disjice nubes
Collectas, veterisque aevi monumenta reposta
Enuclea. Placido Petrus sic incipit ore:
Si vacat annales judaeae evolvere gentis,
Romani, et primas rerum cognoscere causas,
Non equidem fugio: Deus haec mihi munera credit,
Signataque die laterana palatia scandam.
Interea Burrus manicas atque arcta levare

Vincla viro mandat: bona cuncta Annaeus amico
Pollicitus Burrum superam assectatur ad aulam.
Tum vero Petrus captivo farier infit:
At quoniam, pacemne ferat Nero Caesar, an arma,
Incertum, nobis opus est in utrumque parari.
Quod nequeunt homines omen tibi ferre salutis,
Ipse fero: cape vicinae munimina pugnae,
Loricam cape victor, inexpugnabile scutum
Indue, quae bellatori dat tegmina Christus [18].
Haec ait, atque superpositum quod corde gerebat,
Sacramentum aperit, gemmis auroque nitentem
Pyxin, qua Christi vicina in praelia ituris
Robur inexhaustum sacrata viatica [19] condit.
Flectit humi Paulus genua, ardentique coruscans
Aspectu immortale epulum manet: ille ministrat
Oranti lacrymasque oculis, votumque calenti
Diffundenti animo. Neque Petrum flentis amici
Tangebat pietas minor: ambo amplexibus arctis
Haerent, nec caro divelli corpore possunt.
Tandem Pontificum senior migrare coactus,
Nescius ipse sui, et ferratae in limine portae,
Aethera suspiciens calido sic corde precatur:
Omnipotens Genitor, tibi nos confidimus uni.
Quae patet auxilii via, nescio: cuncta videmus
Deficere; humanis sed defensoribus haec res
Non eget: ipse potens nostri molimina regni
Egisti, ipse foves: tantum hoc scio. Suscipe nostras,
Quaeso, preces; si forte homines deliquimus, et nos
Non exorato sanctarum injuria rerum
Judicio exercet, pater es, mitescere gaude.
Cerno tuo sensim surgentem nomine Romam

Monstrantemque tibi donum immortale, cruorem
Unigenae: ah! pacem, Genitor, te poscimus omnes.
Redde gregi Paulum, socium mihi redde laborum.

Nunc age praepetibus caelo delabere pennis,
Aligerae, Michaël, decus immortale coronae.
Judaeae quondam gentis tibi tradita cura,
Tuque aderas custos, sive ingredientibus olim
Agminibus sicco patuit via flumine facta,
Seu rigido exesae percusso vertice rupis
Desertam illimis scatebra irroravit arenam,
Seu sole ardenti sublimis in aëre nubes,
Atque per obscuram rexit lux praevia noctem
Turbam incedentem deserto errore viarum [20].
Si fata Hebraeae gentis meliora secutus
Per Solymam errantem Christum comitatus, ab ore
Divino audisti sanctarum oracula legum,
Et modo nata novi genitrix Ecclesia mundi
Auxiliis commissa tuis [21], teque auspice, primus
Christiadûm pastor romana spargit in urbe
Semina, quae magni sevit vox dia magistri;
Ipse ades o vati, sacra caligine septas
Dum res conabor merita perfundere luce.

Romanas inter matres lectissima laude
Praecipua emicuit Pomponia: Julius olli [22]
Graecinus Pater; antiqua de gente Senator
Eloquio insigni pollens, studiisque refertus
Socraticis Caji invidiam mortemque decoram
Promeruit. Jussus Silano imponere crimen,
Respuit officium indignans, et nobile lethum
Maluit, oblatos turpi quam crimine honores.
Cara parens Procilla fuit, rarissima conjux

Univira [23]. Ipsa dolens latia cecidisse securi
Dulce caput, pectus saevo laniata dolore
Excessit Roma. Tali sata sanguine virgo
Graecina omnigeno cultu virtutis avitae
Massiliam [24] incoluit, quae Grajis condita priscos
Servabat mores, studiisque nitebat honestis.
Nec graecina domus graias contemserat artes,
Unde etiam clarum generi cognomen adhaesit.
At genus, et proavos magno superabit honore,
Augebitque novis titulis Pomponia, Christum
Ausa sequi, atque aliis famam sibi quaerere palmis.
Plautius [25] ingenuam praestanti laude puellam
Uxorem duxit, notus belloque domique
Plautius, et caro semper dilexit amore.
Illa virum redamans per totam innotuit urbem
Laude pudicitiae, raro celebrare coronas
Lectarum comitum, raroque invisere sueta
Limen caesareum, et foedatam sordibus aulam.

Jampridem ausonias subjecta Britannia virgas
Noverat. Immissis bellatrix insula habenis
Tota videbatur leges tolerare latinas,
Romanoque jugo paullatim assuescere: sed non
Insita barbarico libertas corde resedit.
Ventilat indomitos ignes, occultaque flamma
Serpens unanimi prorupit conscia motu.
Baudicaea [26] ferox animi regina pererrat
Castella, increpitans resides, patriaeque ruinas
Indigitans: Miseros huc duxit inertia cives?
An nobis graviora ferocior imperet hostis?
At fortasse aliud superest? magalia nostra
Incendit: natos nostris abduxit ab ulnis.

Deseruit nihil intactum bacchata libido.
Raptores orbis, postquam vastantibus omnes
Terrae defuerunt, stimulante cupidine, quaerunt
Submotos fluctus. Locuples erit hostis? avari.
Pauper erit? caeca elati ambitione coërcent [27].
Non oriens, non occiduus saturaverit: uni
Paupertatem et opes adamant, rapiuntque feruntque
Omnia: cum feritas dederit loca vasta, quiescunt [28].
Eheu! pro patria tantum miserabile vulgus
Audemus nescire mori? vos patria, matres,
Auxilium poscit. Saevum Germania pugnax
Servitium excussit, parvo vix flumine tuta:
At nos Oceanus refluentibus ambiit undis.
Romanis fuga nulla: mare atque incognita circum
Flumina tradiderint clausos vinctosque Britannis:
Arma, viri, capite arma, ferum consurgite in hostem.
Orantem excipiunt alacres, totusque remugit
Armorum fremitu, et raucis clamoribus aether:
Agrestes in bella ruunt. Praenuncia luctus
Ingentis subita Romam formidine complet
Fama volans. Toto ecce autem suadente senatu,
Plautius acceitur gentem domitare rebellem.
Consulis officium romana functus in urbe
Heros oblatum munus non respuit, acrem
Militiam, et duros solitus tolerare labores,
Ut fines patriae aequoreis extenderet oris.
  Interea summo Omnipotens qui spirat ab axe
Qualibet, et Christi sacrum propagat ovile,
Graecinas sedes oculo respexit amico:
Natura egregias mentes, lucique paratas
Haud patitur foeda errorum sordescere nube.

Jamque, volente Deo, tacitas irrepserat aedes
Inclyta Relligio Christi: nam servus Anicles
Audierat Petrum caeli praecepta docentem.
Assuetus famulos tristi terrere flagello
Induerat dociles animos mentemque benignam
In socios. Famulum bona consectatur amantem
Lucia, quae officio servas supereminet omnes.
Grandaevam, natamque domi Pomponia amice
Tractabat, caraeque loco genitricis habebat.

Ergo his principiis aurata palatia scandit
Relligio. Incepere sacrum diffundere verbum
Nobile par, conservi humiles [9]: venisse salutem
Narrabant, et dulce malis venisse levamen:
Est Pater, ajebant, caelo cui fervida vota
Assurgunt animi, cujus mandata secuti
Parerent dociles dominae, impensoque labore
Curarent laeti impositum persolvere pensum.
Porro sidereo sperarent praemia regno;
Post aevi spatium breve, post exhausta severae
Tempora militiae, caelestia gaudia Christum
Servare. Hoc uno assidue sermone sonabant
Concava saxa domus, vasto submota recessu,
Queis aggesta simul variam exercentur in artem
Mancipia, et dominum largis proventibus augent.

Quaenam vis ferri flammis obstare valebit,
Spiritus alme, tuis? Tu lenior aura tepenti
Expirans flatu foedae caliginis umbras
Disjicis, humanoque oculo nova lumina veri,
Expulsis nebulis, reddis. Tu frigida corda
Divino igne feris, absortaque vortice amoris
Te cupiunt unum, atque tibi noctemque diemque

Suspirant, vitaeque cadunt mortalis amores.
  Ergo quamprimum gaudens Pomponia cernit
Res ire in melius: famulos instare volentes,
Sollicitosque operi; quamvis absente virili
Imperio, pacem cunctas regnare per aedes,
Virtutisque novum studium praeferre frequentes
Ancillas: regit has longos dilecta per annos
Lucia; sed servos unus moderatur Anicles.
Dum videt haec dubitansque rogat, quae causa scelestos
Mutavit mores, cellis unde orta repostis
Tanta repente quies, vultu demissa modesto
Lucia: Ne mirere, inquit, Domina inclyta, quot sunt
Romuleas virtute inter clarissima matres.
Si mutata domus inspectas omnia, Christi
Ingrediens doctrina domum mutavit herilem.
En famuli famulaeque pii, impositumque laborem
Ultro suscipiunt, redduntque, et rustica corda
Rupibus asperiora feris sanctissima mollit
Relligio. Eccurnam nostris tua nomina castris
Invideas? Dudum coetus exosa profanos
Ecquid adhuc sacro lustrari fonte moraris?
Ipsa vides, quanta laetatur pace beato
Natorum numero domus haec; quibus aucta relucet
Aggestis opibus: quali virtute coruscat
Servile ingenium: eja animis audacibus ingens
Perfice opus: clara egregia de stirpe nitescas
In gentem magnam; tua nati exempla sequentur;
Ipse vir, extremis quem amotum flemus in oris,
Ipse triumphator Capitolia ad alta redibit,
Teque domumque tuam Christi vexilla secutam
Aspiciens sancto laetus succedet ovili.

Aude: rex caeli omnipotens tua coepta secundet.
Haec illa, et lacrymans olli Pomponia paucis
Respondit: Ne plura mihi, mea Lucia: sextus,
Crede mihi, mensis vix tandem labitur, ex quo
Plautius ab toto divisos orbe Britannos
Visit, multa meas exturbant somnia noctes.
Saepe domus positos potiori in parte penates
Inviso, et textas lecto de flore coronas
Affero; perpetuo scintillat lumine lampas,
Effususque canis parvam cruor imbuit aram [30].
Isidis aera mihi manibus persaepe repulsa;
Bisque die resoluta comas contectaque lino
Ante fores sedi, consuetaque carmina dixi.
Quid ritus celebrare sacros, quid fonte lavari [31]
Profuit, et Laribus sanctis dare menstrua thura?
Moesta traho luces: somni sine munere noctes
Aegra traho: mediis et nunc mihi Plautius undis
Absumptus, saevo nunc et circumdatus hoste
Visus adesse mihi. Consurgo: Lararia lustro
Illacrymans, flexoque genu pia vota precesque
Ingemino; et lychnos humore fragrantis olivae
Pendentes saturo: sed quae mihi nocte propinqua
Evenere, magis commotam tristia monstra
Terrificant mentem. Thalamo vix languida membra
Composui, ecce ignis per cuncta Lararia serpens
Effigiesque Deûm veteres, sanctosque penates
Incendit. Mihi quam sortem portenditis atram,
O superi! tectis omnem divertite pestem.
Hic sese major, dominae quae muta querelas
Audivit, flevitque simul, pia Lucia vocem
Extulit: O felix Pomponia, desere fletus.

Plautius incolumis nostras remeabit ad oras;
Sed nostro te redde Deo, Christumque sequare.
Christus herum servat nobis: fanum arserit igni?
Accipio agnoscoque Deum, qui numina falsa
Migrare edixit; mihi quod mens augurat, opto;
Et reor; eja parum nostras descendere ad aedes
Ne dedignare; atque aliam properemus ad aram,
Quam famulae structam prope nostra cubilia sancto
Thure vaporamus pro te dominoque precantes.
Vidistine senem, pietas quem fallere notos
Custodes docuit, postica per ostia nostris
Aedibus irrepsisse? sacrae documenta salutis,
Relligione nova, veroque ab numine sparsa,
Nos humiles servi famulaeque docemur: ab illo
Odimus infandos divos, et vovimus uni
Mentem animumque Deo. Hic saevas avertere curas,
Tristes inter amarities tibi reddere pacem
Hic unus poterit: famulam ne temne precantem.
Restitit hic subita rerum novitate, oculosque
Fixit humo lacrymans Pomponia: Vincimur, inquit,
Vincimur haud aegre: quoquo vestigia duces,
Lucia, te sequimur. Caelesti voce vocàrat
Christus matronam, et sacro confoderat ictu.

Tempestate illa, qua uno contentus honesto
Aurea Fabricius spernebat munera regum,
Sudabatque gravi consul Serranus aratro,
Et casa pugnaces Curios angusta tegebat [32],
Vestibulum ante ipsum, perque atria vasta videres
Lanicium. Matrona potens stipata puellis
Pectebat lanam, et magnos glomerabat in orbes,
Nec pudor inducto medicari vellera fuco,

Aut celeri stantem percurrere pectine telam.
Morigerae haec uxoris erat dos maxima, pensis
Lanificam [33] imposuisse manum. Sed discolor aetas
Antiquum repulit morem, invaluere pudenda
Otia: lanificas visa est contemnere curas
Non humilis mulier, sedesque abduxit in imas
Textrinum, ut curis dignum servilibus, ore
Conspectuque hominum procul. Has Pomponia sedes,
Immensae inferiora domus conclavia lata
Tunc dignata prius invisere, jamque jacentes
Cernens turmatim famulas famulosque coactos,
Conjunctos potuit sibi primum agnoscere fratres,
Communi lege, atque spei communis amore.
  Interea caveae penetralibus abditus imis
Pontificum senior qui totum sustinet orbem,
Parvam aram propter, quae curvo in fornice structa
Stabat, pendentemque Deum de robore monstrans,
Concilio famulos parvum collegerat agmen,
Et sensim arcani volvens abscondita veri
Caelesti doctrina animos formare parabat.
Cum Dominam, magna circum comitante caterva,
Adventare vident; studiis matresque virique
Insoliti excitis uni consurgere, et uni
Offerre obsequium. Steterat vix cominus illa:
Ergone, sic Petrus, miseras Pomponia sedes
Visere dignatur, totam quam fama per urbem
Praedicat insignem meritis? Pomponia felix,
Si quam sponte tibi summi Rex aetheris offert,
Sorte tua uteris, Christo tua nomine sacrans!
Restitit admirata virum Pomponia: barbam
Squalentem, et lacero contectum corpus amictu,

Oraque tot rerum curis, macieque senectae
Pallida conspiciens, haec secum corde volutat:
Tantane demisso hoc habitu sapientia? tanta sub alto
Pectore justitia, et rebus constantia in arctis?
Non tamen ipsa morata diu sic ora resolvit:
Tune ille Hebraeûm ductor clarissime, et ingens
Christiadûm genitor? Quando sine numine Divûm
Non huc advenio, tibi cuncta abscondita rerum
Nosse Deus dedit, et longo praedicere cursu,
Dic, age, laeta refers? externis Plautius oris
Salvus agit? Petrus sic reddit pauca roganti:
Ne dubita: patrias remeabit victor ad arces
Plautius: hoc primum: mitte hanc de pectore curam;
Adventu sed tota suo turbabitur ingens
Haec domus. Hic medias subito Graecina loquelas
Abrupit patri, et sic interfata dolore est:
Quid narras, venerande Senex? quae multa supersunt,
Clarius eventura aperi, uxorique dolenti,
Si qua potes, dubiis inger medicamina rebus.
At Petrus: Eja para mentem majoribus orsis.
Ipse tuam insidiis quaeret pessumdare mentem
Infensus Caesar, sponsique avertere amores:
At cuncta in melius referet Rex aetheris alti;
Cedentemque virum gavisa tuebere, et ultro
Christi amplectentem fulgentia signa: nitentes
Virtute omnigena cernes consurgere natos.
Tota domus sancto Christi fragrabit odore.
Olli pacata retulit Pomponia voce:
De Christo ipsa quidem audivi permulta, libensque
Christiadûm sanctis voluissem accedere castris.
Nec tantum incoepto Plauti me terruit ira,

Quantum caesarea crescens quae regnat in aula
Barbaries. O sancte senex, discrimina rerum
Mille tuo impendent capiti: numerata patescunt
Agmina, quae Christo totam devota per urbem
Auspice te, crescunt: paulum tibi consule prudens:
Te primum quaerunt; magni tu pastor ovilis
Praecipue expeteris. Pacatus talia Petrus:
Quas memoras caedes, quae mille pericula narras,
O Graecina, mihi cuncta expectata: feroces
Nulli terrebunt hostes; me nulla vetabunt
Vulnera Christiadûm sanctos diffundere ritus.
Misit ad hoc Pater, et totum concredidit orbem.
Et tibi, quandoquidem sequeris vestigia Christi,
Et tibi certa manent magnae praeludia pugnae.
Talia commemorat Senior, circumque supraque
Pendent haerentes famuli. Pomponia vile
Mancipium placido dignatur cernere vultu,
Et circumfusis sese confundere turbis,
Romuleae gentis matrona, et macta superbo
Conjugio; prole ingenti ditatus abibat
Petrus, digrediensque tibi, Rex maxime regum,
Solvebat grates, quod magnam crescere donas
Progeniem, Christique sacras adolescere caulas.
Ex illo Graecina domus florescere sanctis
Moribus, atque novae fama pietatis in urbe.

Plautius agrestes populos pro consule vicit [34]:
Post, ubi jam latio tremefactas nomine gentes
Impulerat magnae imperiis assuescere Romae,
Non sine barbaricae gentis lugente senatu,
Laetus romanas victor remeabat ad oras,
Praemia laturus laudis. Praenuncia fama

Rettulit adventum. Vicina sub ostia [35] tendit
Amplexura virum Pomponia: tresque moratur
Luces nequicquam, tres et sine munere somni
Noctes, nec patiens flagrantia littore curvo
Lumina declinat. Vix tandem quarta rubebat
Orta dies, tetigit tiberinas Plautius undas.
Nec minus advenisse virum gratantur amici
Inclyta victrici redimitum tempora fronde.
Praecipue Patres cogit laetata frequentes
Curia: jamque simul fulgentia limina templi
Introiit victor, magno consurgere honore
Visi, victoremque novo clamore salutant,
Qui gentem indomitam toto procul orbe remotam,
Quaerentemque diu latias evertere leges
Presserit, et tota imperium firmaverit ora.
Haec dum felici properabant omnia fato,
Cuncta foris, bene cuncta domi procedere spectans,
Plautius auratum conscendit limen et aulam
Caesaris, atque alios meditatur mente triumphos,
Antehac expertus facilem in sua vota Neronem.
At Tigellinus Judaei nominis osor,
Surgentem populum tota molitus ad urbe
Ejicere, infirmum saeva catus arte Neronem
Turbârat, Plautìque domum contage veneni,
Auspice Graecina, attactam, sedemque rebelli
Factam concilio narrat. Facili ebibit aure
Princeps, Graecinumque videns, vix pauca moratus
De rebus gestis: Majus nunc instat agendum,
O Plauti, dixit: nescis qui rumor in urbe
Vulgatus? te absente, domus subversa, tuasque
Vana superstitio Hebraeûm pervasit in aedes.

Fida tibi semper conjux nunc crimine foedo
Urgetur, dubiosque domo interiore, per umbras,
Concelebrat coetus: nobis tua fama decusque
Cara diu, et nuper devicta gente Britannûm
Carior ipse redis: i Plauti; more Quiritûm
Privatim commissa cito cognosce; profundis
Velemus tenebris inhonestae opprobria culpae.
Plautius obstupuit dictis concussus acerbis.
Et quamvis fidam multos expertus in annos
Sit sponsam, dubio tamen externatus iniquo:
Exequar, ibo, inquit, tacitoque obmutuit ore.
Romulus invictae jaciens fundamina Romae,
Instituit, si qua mulier peccaret, amicos,
Concilioque vocans consanguinitate propinquos,
Privato vir judicio rem nosceret [36], atque
Supplicium inferret dominus vitaeque necisque.
Dum stabat res incolumis, primisque vigebat
Ordinibus, prisci valuerunt jussa Quirini.
At postquam romanus eques furibundus Erixon [37],
Dictus sanguineo natum occidisse flagello,
Plebsque irata foro fugientem pone secuta est
Confodiens graphiis, sensim mollita potestas
Et patris et domini: cecidit vetus horrida morum
Asperitas. Tantum longos servata per annos
Consuetudo vetus; si forte uxoria inessent
Crimina, facta viris antiquo more potestas
Quaerere et ulcisci poenis; jus mortis ademptum [38].
Audiit insuetos strepitus Pomponia: crebras
Perque domum atque foris subitas resonare querelas
Audiit, et nullis cedit mutabilis iris.
Lectae circumeunt comites, vanoque fatigant

Terrore immotam mentem: quandoque dicaces,
Risoresque agitant sanae rationis egentem,
Excipiuntque jocis. Cognato sanguine juncti
Agglomerant lateri sese, assiduique precantur
Sedibus a patriis instantem averteret iram.
At non illa potens precibus, neque flectitur ullis
Rerum lamentis: calida sed voce sorores
Affatur: Quae vos nostri miseratio tangit,
In vos, in vestros potius convertite natos.
Ibo ego, quantalibet patior discrimina rerum,
O matres: sorte ipsa mea feliciter utar.
Ah! nolite meam luctu turbare quietem.
Me miseret vestri, quae atra caligine mersae
Odistis lucem. Potius si tanta cupido,
Tantus amor nobis vitam praestare beatam,
Eja, agite, aethereo sic vos tueatur ab axe
Omnipotens, properate, admissaque crimina vitae
Aeternis urgete odiis; melioris amore
Vitaï, veniam culpis exposcite vestris,
Me ducente, sacrae me recludente salutis
Largifluos fontes. Nihil illae reddere contra.
Occupat ora pudor magnus, verecundaque jactant
Lumina fixa solo. Nempe tu, Gratia, summi
Nata patris, quae humiles caelo descendis ad oras
Sponte tua, obtusas nondum contingere mentes
Dignata es: nondum caelesti cuspide amoris
Tacta, venenatis languentia pectora vinclis
Exolvere: Tibi quoquo libet, ultro pererras,
Antevolans lucemque ferens ignemque potentem
Simplicis aurai, nec erit te fallere cuiquam.
Jamque dies praedicta aderat, moesti ecce propinqui

Succedunt, spatiisque cavae bipatentibus aulae
Convenere: domus qua longe amota recedit
Vestibulum contra, circum vacua atria currunt,
Amplis porticibus. Media testudine pendent
Parietibus vivo ducti de marmore vultus,
Maiorumque sacrae effigies, quos pace vel armis
Insignes summo aequavit prudentia caelo,
Nigroque obnupsit fumo longaeva vetustas [39].
Ergo marmoreis ubi structa sedilia saxis
Romuleas matres passim accepere, cathedra
Conjux conspicua tristi sic ore profatur:
Invitus, fateor, vos haec ad limina, matres,
Appello: vobis nimium nimiumque beata
Nostra domus visa, o Superi, si nulla querela
Connubio, et magno certantes foedere amoris
Viverem ego et mecum Pomponia. Floruit omnis
Copia dives opum: quamplures crescere natos
Cernimus, et firmo ad laudes incedere gressu.
Nec desunt natae, nostras quae fallere curas
Purpureo ore queant, intermiscentque jocosis
Seria: nostro etiam felix fortuna labori
Adfuit, et victis romano marte Britannis
Ornatos lauro licuit spectare penates [40].
At mihi, quod minime rebar, mare, sidera juro,
Dum debellato remearem victor ab hoste,
Aedibus in mediis, Larium ipsa sub ora, nefastas
Innecti fraudes reperi, subitumque parari
Exitium. Mihi cara diu Pomponia, dulci
Dulcior hac anima conjux (quis talia fando
Temperet a justis lacrymis?) me absente, nefandis
Artibus Hebraeae gentis devota, vetustae

Sacra domus violans, et publica sacra, reliquit
Romanos sine more Deos, peregrina requirens
Numina et imperii sacrata arcana retexens.
Altera nec porro optârim mihi numina, quam quae
Ascensos Gallos, Capitoliaque alta tenentes
Dejecere solo, atque incendia vasta ferentem
Annibalem, elatumque diu felicibus armis,
Septenos vetuere tamen contingere colles [41].
Quare, agite, o matres, quando vetus extat avorum
Tradita lex, quid opus factu, cognoscite: nostri
Spem, quaeso, generis firmate, et jussa Neronis,
Jussa mihi sacro semper ceu Numinis ore
Prodita, commendate animo, et parete volentes.

Ecquid agis rebus dubiis, Pomponia? quamnam
Implorabis opem? In primis moestissima mater
Saeva bile tumet, dubiis quae saucia curis
Intactam dederat natam, primisque jugârat
Ominibus. Largo perfundit flumine vultum,
Natae ignominiam referens, et magna Neronis
Imperia. Illa tenax romani moris, avitos
Commemorans ritus, veteresque ex ordine Divos,
Insuper Hebraeos peregrinam assurgere gentem
Adspicit indignata, novumque erumpere virus.
Eheu! quo me, Nata, adigis? nec nostra vereris
Consilia et lacrymas? nulla est clementia praesto?
Ast matrem laeso experiere in jure severam;
Romanam experiere, nec exorabilis ira est.
Tum vero duplices tendens ad sidera palmas:
Parcite vos, sanctae praesentia numina Romae;
Parcite, si vestram suprema comprecer hora
Mater opem. Vestris video desciscere sacris

Indignam natam, et nostrae foedare senectae
Canitiem: mea nata mihi deperdita! Tuque
In primis, Regina Deûm, Saturnia Juno,
Si tibi matronae [4] cui vincla jugalia curae,
Servamus memores solemnia festa quotannis,
Sospita si Romae fereris domibusque latinis,
Huc ades: ipsa tuos praesens ulciscere ritus.
Non ego, non patiar indulgentissima mater
Relligione nova, morum contage pudenda
Romanumque jacere genus, privataque sacra.
Talia vociferans jactat, generumque Quiritum
Lege agere, et saevi jussis parere Neronis
Imperat. Ipse tuo, Plauti, jure utere: vera
Si pateant commissa, licebit sumere poenas.
At soror unanimem quae semper amore sororem
Foverat, et Christo dociles jam accomodat aures,
Aegla feras medio abrumpit sermone querelas:
Quin potius accita soror Pomponia nostro
Judicio adfuerit? Proprio sic ore fatentem,
Damnantemque licet commissa piacula culpae
Audire. Haud equidem nobis res gratior ulla est,
Innocuam quam si dabitur cognoscere, et omnis
Flagitii ignaram. Neque dicto Plautius obstat.
Ecce vocante viro, cunctisque rogantibus unum,
Concilio praesens aderat Pomponia. Casu
Non illam timor ambiguo, saevique dolores
Turbavere: praeit medio secura periclo:
Quin etiam matronales fulgore recenti
Erubuere genae, roseo quas imbuit igne
Dia Charis: blandum illa oculos dejecta modestos
Matribus obsequium spectantibus injicit ingens;

Plautius augusta tactus gravitate stupescit.
Pulchra fuit quondam: insueta nunc luce coruscat
Pulchrior; et quiddam placida venerabile fronte
Incessuque patet. Tenuere silentia cuncti.
Illa virum pietate nova, matresque tuetur,
Nec mortale sonans: Coram quam quaeritis, adsum,
Nescia peccati, roseo sic incipit ore.
Et primum luce atque anima mihi carius ipsa
Esse caput Plautî, et nulla vixisse querela [43]
Univiram, quocumque modo moritura fatebor.
Hic subito exoritur per spissa sedilia murmur.
Assensere omnes, lacrymaeque per ora volutae.
Plautius in primis non falso edicta monebat.
Adspectu hic maior, maiori lumine fulgens
Sermonem incoeptum sequitur Pomponia victrix:
Quem vitae socium nobis thalamique sodalem
Tradidit Omnipotens, dum luce hac vescar amica,
Servabo, et sancto constans amplectar amore.
At, si fida viro vivam, fidissima Christo
Vivere debuerim. Dicta hic intercipit ardens
Plautius: Haec porro ignaram documenta docebat
Fatifer ille senex, nostras qui irrupit in aedes
Turbidus, et cuncta infando permiscuit ausu.
At mihi, ne dubita, tanto pro crimine poenas
Ipse dabit; fuso polluta domestica sacra
Sanguine lustrabo, atque optata pace fruemur.
Sub noctis tenebras postica per ostia Petrus
Non observatus Graecinûm intrârat in aedes;
Matronamque suis magna in certamina Christi
Egerat alloquiis. Altaria ad ipsa calentes
Fundebant lacrymas simul, et sacra vota ferebant.

Dum vero introgressa aulam solemne subibat
Judicium, Petrus haec fundebat pectore ab imo:
Christe Pater, tua causa agitur: da pandere verum
Matribus insuetum, et lucem monstrare coortam.
Scilicet inde nova nascetur origine mundus.
Namque horrenda lues, et detestabile saeclum
Conjugium primum infecit, stirpemque domosque,
Unde per incautam serpunt contagia Romam.
Nos, duce te, Omnipotens, genitalia semina rerum
Corrigimus: matres discant ubicumque latinae,
Quae tu caelesti retulisti nuncius axe.
Discant exemplis, quanto splendescat honore
Auspiciis educta tuis domus inclyta. Dixit;
At qui caelesti moderatur numine sortes
Humanas, sanctaeque regit prima ordia Romae,
Pontificem insueto sublatum flamine jussit
Squalentis caveae inferiora relinquere tecta.
Nec mora; per mediam procedere cernitur aulam
Christiadûm ductor. Senioris imagine dia
Matres excussae injecta formidine pallent:
Plautius ipse stupet, fiducia perculit audax
Conspectusque senis. Suavi subridet in ore
Simplicitas, oculique ardenti lumine lucent.
Ipse Pater superûm canentia tempora circum
Sparserat auratos radios lucemque serenam.
Omnes ecce viri adventu consurgere visi
Sponte sua, ceu numen adest aut numinis instar,
Et nova commovit trepidas reverentia matres.
Tum vero ingressus magno sic incipit ore:
Vera loquor, Matres; summo Deus aethere Christum
Misit, qui populos nigranti nocte sepultos

Luce superfusa compleret. Crimina prisca
Ipse abolens, fusa sacrati sanguinis unda
Progeniem antiqui lustravit labe veneni,
Speinque facit rursus caelo regnare paterno.
Ille satam quondam legem mortalibus aegris,
Inscriptamque animis imis, primo ipsius ortu
Humani generis, nativa in luce locavit.
Desinite innocuis indicere bella cruenta
Christigenis: cinctos quid dira indagine cerno,
Qui vestra adveniunt caelo defendere jura?
Eloquor, et vobis, Matres, quas caeca libido
Degeneres afflixit humi curisque morari
Ambiguis jussit, neque caelo lumina ferre,
Ipse novae pandam veneranda volumina legis.

Oh nimium miserae vos, et genus aerumnosum!
Nì grave erit, justa paulum componite lance,
Quid matrona potens antiquo ex jure Quiritum,
Quid conjux Christi doctrinam amplexa verendam.
Nupta viro mulier per connubialia jura,
Per legum tabulas, nutu dependet herili,
Nil potis ipsa sui. Laribus digressa paternis,
Conjugis inque manum veniens sua corpora dotemque
Et vitam domino interdum committit iniquo.
Nubilis imperio Patris fratrumque, virili
Subjecta imperio conjux, juga barbara perfert
Foemina, non istis porro sata legibus olim:
Juncta homini comes, et vinclo sociata jugali,
Ut communis amor foret, et communia jura.

Quae primum foedus copulat damnosa libido,
Haec eadem sequitur: stant casu cuncta minaci
Lubrica: sive domi vitam consumit inertem,

Ancillasque inter spatiosa per atria ludit,
Seu pertaesa otî, fastu tumefacta superbo
Per populosa urbis procedit compita, amictu
Purpureo insignis, gemmisque auroque relucens,
Matronam pudet aspicere: heu levitatis imago est!
Quid memorem, ut foedae celebrantes orgia Bacchae
Perpetuis instent opulis, vinoque diurno
Incaleant, pransaeque vomant et ubique coëmptas
Absumant epulas? prohibet me plurima fari
Hic pudor: extinctum tamen o lugete pudorem!
Sordibus obscoenis maculantur tecta domorum
Omnia; lascivos virgo meditatur amores
Impatiens, et mox taedas exosa jugales
Nupta aversatur. Servarum vendere famam
Non renuunt dominae! Quae foedae exempla ruinae [44]!

Ergo damnemur, si dira opprobria saecli
Odimus? augustae sequimurque oracula legis
Quam caelo retulit Christus, quam sponte secutas
Edocuit turbas, quam primus nuncio terras
Petrus ad occiduas? Quanto praestabit honore
Christiadûm mater! quae libera, sponte vocata
Ipsa sua, stabilis consortia foedera vitae
Contrahit: unanimae benedicit Gratia flammae,
Inque ipsum attollit sacra sub imagine caelum.
Tum sociata viro, vesani turpia luxus
Gaudia contemnit: tantum terrestria curat,
Quantum sidereo nequeant abducere regno,
Immotas figens acies, qua dia voluntas
Errantem moderatur, ubi stat meta laborum
Extrema, emeritaeque decus, promissaque merces
Militiae. Mirare domi, mirare per urbem.

Non illa armillis dextram, varioque monili
Pectora condecorat: sua magna monilia curat
Natasque et natos, tenero quos ornat ab ungue
Moribus integris, sancto pietatis amore.
Quem dedit Omnipotens, uno contenta marito,
Et curis impensa domus opera omnia complet.
Unum ferre jugum gaudent; ceu spiritus unus,
Una caro, leges et connubialia jura
Observant ambo; ambobus concordia mira;
Templa eadem laeti celebrant, eademque modesti
Prandia, contentique eadem jejunia servant.
Ipsa foras etiam egreditur, sed daedala curas
Urgens aethereas: nunc languida corpora fratrum
Invisens fert ipsa dapes, fert ipsa medelas;
Nunc tristes sine sole domos faucesque penetrat
Carceris horrendas, et basia mille catenis
Martyris invicti libat, lassosque viarum
Accipit hospitio sanctos, et pulvere vestes
Excutit, atque pedes illimi flumine lustrat [45].
Nec longum tempus porro: majora manebunt,
Cum virtus firmata animis: desueta relinquet
Otia tuta domus: fratres hortabitur, armis
Sese miscebit dubiis, praetoria viset,
Atque sibi interdicta prius fora, magna loquetur
Eloquia, et se judiciis defendet iniquis;
Et, si res poscet, securo interrita vultu
Conscendet moritura rogos, mortemque subibit [46].

O divina mihi semper venerandaque Christi
Inclyta Relligio! quae victrix barbara duri
Vincula servitii solvis, dominoque tyranno
Ereptam, sociam curis vitaeque sodalem

Egregiam nuptam facis, et mortalibus aegris
Sufficis, ut sancte venientia saecla propagent.
Auspice te, mulier curas deponit inanes,
Par similisque viro, pariterque in magna vocata
Muneris officia, et caelestis praemia palmae.
Qualis ubi dudum latebroso clausus in antro
Captivus jacuit, saevus circumstetit horror
Squalentem caveam, et spiracula nulla patescunt,
Assuevere oculi trepida impallescere nocte;
Plurimus extemplo foribus si forte reclusis
Emicuit sol, et nigrantes discidit umbras,
Splendorem immissum nequeunt tolerare retusa
Lumina, purpureis flammis nisi tempore multo
Rursum perdiscant hebetes consuescere visus;
Talis ad ignaras major sapientia mentes
Labitur: at crassa torpent caligine sensus
Obseptae, aut violens exterret Caesaris ira.
Ceu si immota silex, vultu perstabat in uno
Contremefacta socrus, neque matrum mutua quaequam
Dicta referre valet. Sed non obmutuit ore
Plautius intento: utque olli prudentia major,
Ipse aderat Deus, agnovit meliora, priorque
Incoepit: Salve, Senior, cui copia tanta
Eloquii, tanta arcanis vis credita labris:
Et mihi, militibus sueto dare jussa cruentis
Bella inter caedesque, mihi tua dicta stuporem
Injiciunt. Equidem credo, Pomponia sanctae
Laude pudicitiae per totam inclaruit urbem
Auspiciis edocta tuis. Me absente (notatum
Omnibus hoc unum) solas secreta per aedes
Innocuam potuit famam servare marito.

Acceptum id refero, Senior, tibi: pluraque mecum
Quae mira enarras, commota mente revolvi.
Haec domus ut primum pateat tibi: visere suetus
Jamdudum dominam, ne jam tua dicta colentem
Dedignare virum quoque visere saepius. Omnes
Audistis matres. Ego nullum in conjuge crimen [47]
Invenio, innocuamque voco. Sic fatur, et ingens
Laetitia exoritur. Circumdant brachia collo
Vir mulierque, diuque arctis complexibus haerent.
At matres mira steterunt dulcedine captae,
Et primum sancto didicerunt plaudere amori.
Tum Petrus in medium adductos ridere quaternos
Conspectans pueros, colloque humerisque parentum
Ludere pendentes: Sancto florescat honore
Conjugium hoc, media praeclarum exemplar in urbe:
Ut patula effusi dependent arbore rami,
Quos non ulla manus, violentis et impetus Euri
Exturbare valet, laeti multiplice fructu
Ditescunt, succoque fovet materna virenti
Arbor, largifluam inspirans per brachia vitam:
Limite praeteriens vicino saepe viator
Miretur, laetasque umbras et pendula poma.
Dixerat, et surgens solito de more salutat
Christiadùm, et pacem donat. Stupefacta quiêrunt
Agmina spectantum, penitusque inscripta medullis
Verba manent, vocesque viri sensusque loquentis.

Nox erat, et magno cessare a murmure Roma
Coeperat: insomnes scandunt coenacula summa
Patricii, dapibusque vacant genialibus, et plebs
Procubuit somno curis evicta diurnis.
Compita vasta tamen nocturno horrore frequentes

Illustrant taedae, et tenebras funalia vincunt;
Cum Glaucas: Quo, sancte Parens, divertimur? anne
Sub dio censes totam consumere noctem?
Ille autem: Glauca, quae nobis mitior instat
Rerum conditio! Terras descendit in imas
Christus, dumque hominum ingentes reparare ruinas
Venerat, ingratis terris depellitur: omnis
Clausa domus Solymae, nec diversoria nota [48]
Quaerenti patuere Deo! Sat commoda tecta
Nunquam deficient nobis: totamque per urbem
Clarescens pietas spatiosa palatia pandit.
Et nunc securum hospitium Plautilla ministrat.
Illic virgineos, nata praeeunte, triumphos
Visere fas: Christi contentae sorte puellae
Errantem sponsum campi per amoena sequuntur,
Deliciisque modo intentae caelestibus haerent.
Sic inter sese vario sermone levantes
Sollicitas curas, regalia tecta subibant,
Qua Plautilla parens titulis melioribus ornans
Progeniem antiquam ingentes eduxerat aras,
Et tibi, Pontificum Senior, commendat habendas.
  Ne turbata foret, viso pastore repente,
Tota domus, Senior qua pervius usus, ad aedes
Postica ingressus foribus sese intulit altis.
Quis tibi tunc sensus, tibi quae, Petronilla [49], videnti
Talia mens? Vocem Patris ut cognovit amatam,
Accurrit Virgo, subito ceu territa monstro,
Et summis haerens scalis: Pater optime, quid te
Adspicio nostras inopinum accedere sedes?
Quae tibi causa viae? quaerit: satin' omnia salva?
Omnia salva, quibus non est ablata superna

Gratia, respondit Senior, piaque oscula carae
Delibat natae, et magnam procedit in aedem.
Ut sedit Senior, magnoque infracta labore
Corpora composuit, majorem haurire vigorem
Visus, colloquia admiscens, animumque paternum
Exsaturans casto juvenilis lumine vultus.
O nata, o sanctae mihi vivida matris imago,
Haec vita est nobis, qualis peregrinus opacas
Per sylvas agitur, quem multa pericula rerum
Conantur praesignato deducere calle [50].
Per varios casus, aliam quae patria caelo
Quaerimus, optata quo fas consistere sede.
Ah! ego commota nunquam sine mente recordor
Egregiae matris! Quae nuncia prima jubentis
Audiit ut Christi, atque virum ad graviora vocatum
Adspexit, nihil ipsa nisi caelestia rerum
Excupere incoepit, perituraque gaudia temnens,
Ceu soror adsedit lateri. Vestigia Jesu
Pone legit venerans, atque immortalia cernens
Facta novum terris Judae testantia regem,
Ipsa etiam ritus coepit solemnis honorem
Matres imbuere, et meliorem fingere vitam.
Illa virum assectata diu, gaudetque doletque
Eventis rerum variis. Quis dulce levamen
Attulit, et luctus animae mollivit amaros,
Cum nostrum infami maculatum crimine nomen?
Captivum Jesum praetoria dira tenebant:
Vestibulum ante ipsum primoque in limine tecti,
Foemina quaerebat Jesu nomenque genusque,
Meque incusabat comitem. Terque ipse rogabar,
Ter Dominum nosse inficior: praenuncius ales

Luminis interea superas cantavit ad auras [51].
Tunc primum discussae umbrae, et lux reddita menti.
Poenituit: subito tristi proficiscor ab aula.
Vitam infelicem in tenebris luctuque trahenti
Solatrix aderat, nec dulci lumina somno
Declinat: tandem ambobus fiducia surgit:
Ad conspectum imus chari Genitoris, et ambo
Supplicibus gemimus votis, veniamque precamur.
O felix mater! quae vel muliebriter horrens
Navifragum mare me ignota regione viarum
Ausa sequi, qua me caeli vox dia vocabat;
Unum quod calido sperabat pectore, vidit
Arce quirinali divinum insigne locatum:
Vidit, et ardenti comprêndens mente futuros
Successus rerum, magnam concurrere Romam
Imperii sacri dominam, sociata virorum
Agmina conspexit, nullisque exterrita monstris
Occubuit prima adventus dulcedine. Felix,
O nimium felix! Tiberim requiescit ad amnem,
Quo centum Mystae cineri funebria sancto
Rite ferunt, pacem orantes caelumque sepultae.
Talia dum memorat Senior, Petronilla nitentes
Fundebat lacrymas; et mox ad sidera vertens
Rorantes oculos, fletu haec permixta locuta est:
Scis porro, scis ipsa Parens, si nostra quiêrunt
Lumina, terrena postquam discesseris ora;
Si te commemorans, votis precibusque peperci.
Multum flevi equidem, fateor, multumque rogavi
Caelicolas, si quae mortali corpore sordes
Concretae, exuerent demum, et lustralibus undis
Flammarum praereptam animam super aethera ferrent.

Sed jam cessatum lacrymis, simul omine certo
Ipsa eadem nostris non indiguisse querelis
Admonuit. Mihi crede, Pater; vix clausimus arca
Dilectos cineres, nomenque forinsecus aptum
Dia intertextae crucis obsignaverat arbor,
Ipsa domum redii. Nôrunt pia sidera, nôrunt
Interiora domus, quos acri fixa dolore,
Ingentes gemitus turbato e pectore fudi.
Ecce autem matutini cum lampade solis
Surgebam, caeloque manus cum voce supinas
Extuleram, fundens pro matre novissima vota:
Ut te praesentem, talem ipsam incedere lento
Intueor gressu, nostrasque errare per aedes,
Qualis erat quondam terris, dum vita manebat.
Ipsa videbatur veneranda modestia vultum
Composuisse; tamen caelesti luce juventa
Vestierat, diosque oculis augebat honores.
Illa nihil primum: mox natam laeta tuetur,
Acceditque prope adridens, et talia verba
Obtulit, in medio mihi quae stant pectore scripta.
Filia, parce metu: contracta piacula non me
Lustrali tenuere lacu; vix spiritus artus
Liquit corporeos, cunctas mactata per aras
Hostia lustratam ad caelestia templa vocavit.
Ipse mihi Michaël stellatae nuncius orae
Visus adesse, manu aethercam qui duxit in aulam.
Hoc ego te moneo: indignas depone querelas.
Dixit, et auricomo nubes circumdata nimbo
Complexa est: abiens exhortabatur euntem
Pone sequi, et natam risu exhilarabat amico.
Ex illo vanos coepi deponere fletus.

Quin etiam oravi supplex supera alta tenentem,
Quandoquidem dignas Regi persolvere grates
Non opis est nostrae, caeli facta incola vellet
Collaudare Patrem, qui nostram lumine dextro
Praecipue stirpem adspexit, nec divite cultu,
Nec prisci merito generis, nec luce nitentem
Virtutis propria. Cui Petrus: Nata, sequare
Exemplar matris praeeuntis. Disce puellas
Exuperare omnes diae pietatis amore,
Et cunctis minor esto: mihi superimminet ingens
Insuetum pondus; quo major facta potestas
In terris, majus supremo ab judice pendet
Judicium. Quascumque Deus mihi tradidit orbem
Per vastum errantes pecudes pecudumque magistros,
Quos Christo genui, queis lac epulasque ministro,
Ut Christo servem, vires animumque precare.
Sed mihi quid Plautilla gerit? lectissima matrum,
Quantum Christigenûm viduis exemplar honestis!
Quid Domitilla piae quae nata simillima matri?
Quam mihi dulce foret sanctas invisere sponsas!
Talia dicebat: subitus sed nuncius aedes
Exciverat summas, pergrata voce reportans
Affore Pontificem. Summa decurrit ab aede
Caesarius [52] suetus sanctos invisere coetus,
Et procul: Ingredere, o Christi supreme Sacerdos.
Tota domus gestit sancto commota tumultu.
Jamque ascendebant summi fastigia tecti.
Ingentis patuere domus laqueata columnis
Limina mygdoniis, fortunae signa vetustae,
Quae magnum Plautilla sacrat tibi, Christe, tropaeum.
Namque aula in media circum velamine cinctae

Candenti, tonsasque comas, frontemque ferentes
Demissam Patri lectae occurrere puellae.
Quas circumfusas lacrymoso lumine spectat,
Et sic alloquitur Senior: Quae lilia cerno,
Lilia virgineo late candentia flore
Brumalem decorare hyemem? Romam aspera sylva
Occupat, et spinis inculta minacibus horret.
Quae genuit flores medio lactata decembri
Villula? qui cultor Romae caeleste viretum
Sevit, et ambrosiis eductum nutriit auris?
Vos Christi sponsae, prae virginitatis amore
Omnia despicitis, sanctas erratis ad aras,
Candida quaerentes Jesum per lilia; Jesu,
Te compellantes, te candide, suspirantes.
At vos (quas foedae ignorat vesania Romae,
Idque reor vobis melius) vocat altera cura,
Nec porro inferior, blanda prece flectere numen
Aetherium, et facere obscoeno exorabile mundo.
Omnia mira cano: Christum exaudite loquentem:
Qui vos oderunt, benefacto augete perenni.
Si quis persequitur, si quis convicia fundit,
Vos orate Deum pro illis. Sic dia propago
Estis digna patre, aetheria qui regnat in aula [53].
Sponsae caelestes, odium Roma auget iniquum.
Dum nova divinas injuria suscitat iras,
E sacris claustris nubecula thuris odori
Emineat, soliumque Dei complexa tremendum
Contineat rapidi stridentes fulminis alas;
Vim faciat caelo irato, mentemque benignam
Inspirans minuat romanae damna ruinae.
Orando Moses divinam molliit iram,

Quae rapido Hebraeam jaculari fulmine gentem
Coeperat: orando properantem gurgite solem
Occiduo Josue medio fraenavit in axe,
Fatifer obstantes donec consumeret ensis;
Orando igniferos excivit ab aethere nimbos
Helias; circum assyrio vallata tyranno
Moenia Bethuliae orando castissima Judith
Liberat: oranti tellus, mare, sidera cedunt.
Orate assidue, Romaeque Ecclesia vincet
Terribiles Amalecitas, seu fraude lacessunt
Occulta, seu dira palam certamina miscent.

Quî poterat Petrus sacrata excedere sede,
Nec tamen amoto servatam turbine Grajam
Solari, aut pavidam saltem spectare puellam?
Longinquo ceu vecta mari laetatur hirundo,
Si quando domini pacatas divitis aedes
Inciderit, non illa pedum tremit excita motu,
Porticibus vacuis, nidoque operosa struendo
Incumbit; sic nullo animum turbata dolore
Eune tuta manet secreta incognita sede,
Omnipotens, inopina Dei quam dextra reclusit.
Ex quo divinum sapiens matrona volumen
Monstrârat, per corda statim commota quiêrunt
Insani strepitus, atque illaetabile murmur;
Consiliisque adhibet socium, totumque volutat
Luminibus tacitis. Lucae bona nuncia laetam
Praecipue mentem rapiunt, iterumque legentem
Atque iterum oblectant: pollens sententia fibris
Insinuat se imis, mutatque antiqua sacrarum
Aspectu rerum: nova corde exurgit amorum
Insueta effigies, nova mens meliore locatas

Lumine res hominum, et venientia fata stupescit.
Praesentis documenta Dei patuere, movetque
In primis pietas: cunctis affabilis urbes
Circumagit medias, miserosque efflagitat ultro,
Auxilioque juvat, turbas miseratus egenas,
Digna indigna ferens ultro. Tamen arctius urget
Magdalis exemplum, vario quae errore vagata
Jamdudum, nota irrupit convivia, sanctas
Irrorans fletu plantas, roseaque retergens
Caesarie: atque Deus miseram non sprevit amantem [54].
Ast ego, quam Romam e media vocat Hellade, quamque
Incolumem servat per tot discrimina rerum,
Quid faciam? Tales versantem pectore curas
Arcessit Petrus. Infelix! venerabile nomen
Audiit; excussus manibus labor omnis, et omnem
Laetifico clamore locum complevit, amico
Obvia pastori, dextramque amplectitur ultro,
Illacrymans: Coram ecce tibi, Pater, altera venit
Magdala, quam crinale aurum, colloque monile
Exutam, lacrymisque pedes et rore rigantem
Ambrosio mensa Jesus excepit amica.
Audit magnanimus senior: Mecumque parumper
Hic sedeas, inquit, Virgo. Vix ipse tenere
Laetificas poterat lacrymas, mutata puellae
Ora habitumque videns: mercati conscia cultus
Lascivis aberat formis lasciva venustas,
Inque vicem roseasque genas oculosque decoros
Simplicitas, atque arcana dulcedine ridens
Gratia Christiadûm sanctos habitare recessus
Sueta. Pater monitis illam complebat amicis:
Nos, Nata, aeterno Jesus dilexit ab aevo;

At tu grata illum nunc primum diligis. Illa
Texit utraque oculos palma, mirandaque secum
Dicta putat. Sed tu vestes induta nitentes,
Petrus ait, tibi quas primaeva labe novisque
Detersas maculis aeterno accensus amore
Ornavit Christus, primo candore tuere.
Et cum conceptas pudibundo pectore flammas
Ipse idem bonus explebit, sponsoque recepto
Majorem imperiis hominum mirabere dextram
Cuncta gubernantem, caeli manifesta sereni
Signa memor colito, et constans servato per ipsum
Conjugium niveas, caelestia lintea, vestes.
Talia dum secum vario sermone serebant,
Ille piis monitis, dulcique levamine mentem
Aegram accendebat, magna dulcedine mota
Illa videbatur roseo bibere ore loquelas;
Ipse aderat mediis tecti penetralibus Hermus.
Ex quo Pontificem orantem, ambiguasque loquelas
Audiit, is lateri nunquam secessit amato.
Fando, et Pontificis relegens vestigia novit
Virginis argolicae latebras, discrimina novit,
Quodque erat in votis, lustrali fonte renatam.
Mens assueta diu sacrarum abscondita rerum
Quaerere, vividiorem ignem exardescere sentit:
Nec requiêsse potest, dum dextrae arcana supernae
Prodigia, et rerum eventus divinitus actos
Deveneratur ovans: saltem illam visere, saltem
Affari, caraque semel gaudere figura
Excuperet. Dubitat dudum, at fiducia gliscit,
Ut meminit Petri: Juvenem solatus amantem est.
Ibo: Christigenam insolito splendore nitentem

Eunen adspiciam. Tuto requiescere portu
Gratabor: memorabo fidem, promissaque cuncta,
Quae dedit abscedens supremo tempore Athenis.
Christe pater, miserere mei: maria omnia et omnes
Circumago terras; dum sponsae dulcis imago
Me comitat semper, te cunctis comprecor horis,
Ne mens lascivo commota cupidine, justum
Quem tibi debuerim, forsan deturbet amorem.
At non Tu magna inspiras praeconia Paulo,
Qui toties Christi commendat imagine sponsi
Sacramentum ingens? Non haec tua gloria major,
Concordes animas si caelo gratia ducet
Alteram in alterius fisas ope, teque favente,
Tellure ex humili paribus se attollere pennis
Gaudentes? Tacito memorabat talia corde
Cecropida ardescens, monstrataque limina primo
Audax mane subit, nota de virgine quaerens.
Grajugenae patuere fores: vix ipse, calenti
Multa movens anima, tacitas intrabat in aedes,
Ecce videt sponsam magno cum Patre sedentem.
Ingressum illa videt juvenem, subitoque tumultu:
Hermen', te aspicio? Stupor una et gaudia sensus
Percellunt, subitoque haeret vix credula visu.
Vidistin' Patrem? Fletuque effusa resedit.
Hermus permetuens, ne Sanctos tempore laevo
Interpellârit, flagrantia lumina terrae
Dejecit; retro ille pedes nec ferre, nec audet
Anceps ulterius procedere; deficit omne
Consilium ambobus. Lacrymarum largior imber
Occupat, ingenuusque pudor, longumque morantur,
Nec vi verba viam inveniunt: sed rumpit acerbam

Moestitiam Pater, et: Sinite ah! complectar utrosque,
O nati, dixit, quos praesens adjuvat aether,
Ereptosque malis Romae ad majora vocabit.
Quae dextra Omnipotens pastorem servat, itemque
Errantes custodit oves. Formidine pulsa,
Spem jacite in Domino. Ceu si mutata reducit
Sors geminos natos, quos dudum obliqua locorum
Diversos tenuere, in dulcia tecta receptos
Ludere contentos pater ipsa sub ora tuetur,
Perfectamque studet redeuntibus arte paterna
Laetitiam praestare, viae sic taedia longae,
Sic dubiae varios vitae mulcere labores
Christiadûm genitor quaerit: Confidite, Nati.
Per maria et terras, urbana per atria et aulas
Qui dedit incolumes, et gaudia certa paravit,
Quae celebrat terra, et caelestis sanciit aula.
Quin agedum, Juvenis, studio quocumque require
Patrem infelicem, natamque ostende repertam.
Forsitan insolita victus virtute relinquet
Iphitus antiquas iras: jaculabitur ipse
Omnipotens telum: telo confixus amaram
Ponet tristitiem, atque ultro tua vota replebit.
Talibus exactis, caveam descendit ad imam
Pontificum Senior: maculatae e sordibus urbis
Conveniunt ingens numerus, sanctaque palaestra
Edocti sancte discunt consuescere mori.
Praesertim pueri, magnae spes altera Romae,
Pontificem alliciunt: olli spes certa refulget,
Si nova progenies doctrina imbuta recenti
Antiquos ritus moresque odisset avorum,
Hinc fore romanam renovato semine gentem.

Nìl obstat, seu quis plebeio sanguine natus
In triviis errat, seu bulla argentea pendet
Pectoribus, tenuique togae circumdata limbo
Purpura majore ostendit de gente creatum.
Ante Deum porro discrimina nulla: Redemptor,
Dives inopsve fuat, pretio reparavit eodem.
Discite, Terrigenae, nati primordia juris,
Unde vetus generi sua reddita forma, priorque
Naturae instaurata salus et gratia vivax.
Dum gaudens Senior crescentem invisere pubem
Ingreditur, dulcis resonat concentus ad aures:
Namque chorus puerûm spatiosa per atria magnum
Pontificem sacra venientem voce salutat.
Atque ubi suaviloquo implèrunt modulamine Patris
Exultantem animam, effusi certamine sancto
Circum versantur, sanctam spectare figuram
Quaerentes, propiusque sacrae oscula figere dextrae.
Stat Petrus in medio: magnum flectuntur in orbem
Omnes intenti, pendentque loquentis ab ore:
At vos, o pueri, vos magno Christus amore
Dilexit quondam [55], propius succedite patri:
Tuque prior: stabat juxta pulcherrimus infans
Nereus [56] suppliciter, veneratusque ora tenebat:
Dic agedum, et nobis magno donabere dono,
Quis Deus? Ille alacer laeto sermone secutus:
Spiritus est sine fine Deus, sine origine, mundi
Omnipotens Dominus, rerumque hominumque creator.
Tum Petrus: eja mihi, qui extremus in orbe residis,
Quot Divos numeras? Unus, respondet Achilleus,
Est Deus atque nihil simile est olli, atque secundum.
Tunc Senior lacrhymans laetanti protulit ore:

Macti virtute, o pueri, sic itur ad astra.
Tum vero ad Glaucam versus, sociosque secutos:
En nostri pueri doctrinae arcana repertae
Plenius et melius docto novere Platone,
Atque Stagyrita [57]. Pueris tum lumina volvens:
Huc properate, inquit; Crucis hoc venerabile donum
Sumite, olivifero excisus qui termes in horto,
Vidit ubi Christus pennatum instare ministrum
Gestantem calicem, stupuitque exterritus undis
Flumineis Cedron. Hic divinus spiritus almam
Implevit mentem, saeclique arcana futuri
Posse videre dedit. Servate in pectore munus,
O pueri: perfecta viros cum fecerit aetas,
Anxure testatis dominum insuperabile robur
Sufficiet: fera carnificum tormenta furentum
Temnetis, superosque Deus deducet in orbes.
At non haec segni conspectat lumine Grajus.
Dum nova tot calidam rapiunt spectacula mentem,
Christiadûm aggestis exultat honoribus, atque
Accedens Petro: Quae auri argentique talenta
Millia multa tuli mecum, Pater, accipe, donum
Pro pueris, vestes coëme, et quae postulat usus.
Magnanimi sensus laetum tetigere Parentem:
En Deus in dubiis geminat solatia rebus!
Quo major desaevit hyems, quo crudior atris
Tempestas Euris, crebrescit copia florum.
Si tale auxilium, quid Romae Ecclesia egebit
Amplius? I, sequere, o Juvenis, tua grandia coepta,
Sic immortales super astra merebere palmas.
Talia praefatus, ut circumfusa ruebat
Turba recessuri defigere dulcia dextrae

Oscula, collegit sese paullisper, et aethram
Suspiciens superam palmas utrasque tetendit,
Et capita in tenera auxilium caeleste vocavit,
Verba arcana loquens. Sancta ipsius ardet in ore
Laetitia irradians, et magna excessit ab aula.
At veneranda dies puerili mente manebit,
Pontificis vocem magni vultusque recordans.

NOTÆ

[1] *Iniquo.* — Florus III, 20. Servi per fortunam in omnia obnoxii, quasi secundum hominum genus sunt. Servus capite minutus dictus est, quia omni jure spoliatus. Mitiora tempora Senecae : Clem. Cum omnia in servum liceant, esse aliquid quod in hominem licere commune jus animantium vetat— *Fugitivum.* Noxii servi Ergastulis continebantur, et multiplex extitit suppliciorum genus, quibus in eorumdem flagitia animadverteretur : nempe flagra, seu flagella, pistrinum, metalla, crurifragium, crux. Notas candenti ferro inurere etiam solemne fuit, ex earum genere, quas ad rei exemplum affert Lipsius II, Elec. 15. Cave a fure, cave a fugitivo.

[2] *Enne.* — Urbs Siciliae, in umbilico Insulae inter Leontinos et Panormum, templo Cereris clara. Ibi una hora serviles manus per Siciliam effusae ad modum justi exercitus convenerunt, et exinde omnia ferro flammaque populata vastaverunt. *Spartacus* insignis gladiator ex Thracia, qui effracto Lentuli ludo gladiatorio erupit Capua, manuque servorum congregata, Campaniam populatus est, de Urbe invadenda deliberavit, imperator salutatus, cum Brutium occupasset, et Siciliam trajicere pararet, fortissime dimicans, cum suis omnibus in acie cecidit.

[3] *Servat utrosque.* — Paul. Ephes. cap. VI, 5. Servi, obedite dominis carnalibus cum timore, et tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo. Et ad Tit. II, 9. Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes, ut doctrinam Salvatoris nostri ornent in omnibus. Col. III, 22. Servi obedite per omnia dominis carnalibus non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. Denique Petr. II, 18. Servi, subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. Haec est enim gratia, si propter conscientiam sustinet quis tristitias patiens injuste. Hoc servorum officium: sed et sua *Dominis* adsunt praecepta. Eph. VI, 9. Et vos, Domini, eadem facite illis, remittentes minas, scientes, quia et illorum et vester dominus est in caelis, et personarum acceptio non est apud Deum. Et Jac. II, 2. Si introierit in conventum vestrum vir annulum aureum habens in veste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu, et intendatis in eum qui indutus est veste praeclara, et dixeritis ei: Tu sede hic bene: pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum, nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis judices cogitationum antiquarum? Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?

[4] *Praecipue Austrinam.*—Nihil unquam terris illiberalius, nec inhumanius visum, quam quod transatlanticae regiones exhibent spectaculum. Praecipue austrinae foederatae gentis provinciae, quamvis libertatis nomen prae-

seferant, foedissima ethnicae antiquitatis instaurant opprobria, raptisque ex Africa infimae notae hominibus sordidissimam exercent mercaturam. In primis agrorum culturae, maximo quidem dominorum usu, ingentes familiae mancipantur. Mirabilius profecto, quod isthaec de servitute abolenda quaestio saepius in toto foederatorum statuum senatu proposita adhuc in controversia versatur. Jura humanitatis sarta tecta servare poterit una quae creavit catholica fides. Ea profecto sinceram omnium utilitatum naturam praescripsit, eaque animos ad quaestum et nundinationem omnia traducentes suis consiliis atque hortatibus ad Evangelicae formae sanitatem revocare poterit, sine qua nulla bene constituta consociatio fingi potest.

[5] *Traheretur.* — Christiana Europa ad omnem humanitatis rationem comparata, ultro vocem extulit, teterrima rei indignitate stomachata. Perhonorifica sane Galliae et Britanniae praestantissimarum gentium cogitatio! quae collatis viribus, speculatoriis navibus ad militarem usum comparatis, mare totum explorare sategerunt, eo consilio, ut si quae servili praeda onustae naves occurrerent, vehementiori impetu excussas publicarent. Res ex animi sententia primum successit. Verum pedetentim de curriculo, deque consuetudine majorum institutio deflexit.

[6] *Induperator.* — In his immorabamur, et ecce Potentissimus Russorum Autocrator servitutis labem, proposito edicto, per universam suam ditionem abolevit. Sapientissimo sane consilio ingentes servorum familias, quae imperatorium patrimonium in agris versabantur, ad libertatem vocat, eosque rustico operi mancipatos, civium jure donatos, per sua quosque municipia communibus imperii legibus frui jussit. Primum ipse, eque domo sua coepit, proprio quodam naturae munere ad benignitatem factus Caesar: utque vetus consuetudo penitus abolesceret, nobili loco natos et rerum experientia, et suis consiliis edoctos, ad opus humanissimum complendum illexit.

[7] *Tritum palliolum.* — Pallium vestis erat longe lateque diffusa quae superne injiciebatur, seu tunicae superinduebatur. Graecorum habitus erat uti toga Romanorum. Unde *palliatae fabulae* Comoediae seu Tragoediae dicebantur, quibus personae graeco more palliis indutae in scenam prodibant.

[8] *Philaemonis aede.* — Philaemon nobilis Colossensis fuit, in cujus domo Paulus collegit Ecclesiam. Ipse servum Onesimum habebat, qui domini domo fugiens Romam se contulit: sed Apostolus, cujus factus fuerat auditor, datis litteris, quae hodiedum extant, plurimum domino commendavit.

[9] *Servire labore.* — Paul. ad Phil. 13. Quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii: sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.

[10] *Jam senior.* — Paul. ad Phil. 8. Propter quod multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet, propter charitatem magis obsecro te, cum sis talis, ut Paulus senex, nunc autem et vinctus Jesu Christi.

[11] *Utilis.* — Ibid. 10. Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem et mihi et tibi utilis, quem remisi tibi. Vide, quomodo doctissimus graecarum litterarum Paulus ad nomen Onesimi alludit, quod graece *utilis, commodus.*

[12] *Debuit ipse tibi.* — Ib. 18. Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa.

[13] *Vos odit mundus.* — Ex Evang. Joannis XV, 17. Si mundus vos odit, scite, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus .... Si me persecuti sunt, et vos persequentur; si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt .... Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, et Patrem meum odit.

[14] *Contagia pellant.* — Id quidem non uni Romae, sed toti ethnicae antiquitati improbandum, cujus sapientia eo denique recidit, ut hominem sive domi sive foris divitem, potentem, gloriosum faceret, eumque sic ad bene beateque vivendum componeret. Quae vero fuit vel humanitate praecellens natio, ut hominum calamitates levaret, morbisque affectos exciperet? Nomen ipsum Christianum est: Evangelica caritas mala tacet, rem indicat, aegrosque veluti *hospites* omnigeno solamine solatur. Quod Latini *valetudinarium*, Graeci *ξενοδοχειον hospitum collegium,* exquisito sane judicio appellarunt.

[15] *Nunquam fiducia fallax.* — Psal. XXVI. Dominus illuminatio mea, salus mea, quem timebo? Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo?

[16] *His oscula vinclis.* — Lucas, Act. XXVIII, res gestas Pauli Romae prosequens, eum ipsum inducit de suis vinculis gloriantem: Propter spem enim Israël catena hac circumdatus sum.

[17] *Laterana palatia.* — Nobilis basilica in Coelio monte, quae postea usui cessit Christianorum et in principem conversa Ecclesiam, quae appellata est Lateranensis.

[18] *Tegmina Christus.* — Usitatissima Apostolorum, et omnium Ecclesiae patrum locutio. Ad Eph. VI, 11. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, quoniam non est colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus. 15. Induti loricam justitiae .... sumentes scutum fidei. Et 17. Galeam salutis assumite et gladium spiritus, quod est verbum Dei.

[19] *Sacrata viatica*— Viaticum erat apud Romanos, quidquid iter agendi causa necessarium est, sive cibus sit, sive pecunia ad cibum expendenda. Vide, quanta sapientia majores nostri et Sacrosanctum Eucharistiae mysterium *Viaticum* appellaverunt, siquidem homini vitae tempore in terris peregrinanti robur, et extremo die per iter aeternum proficiscenti beatitatis sempiternae praerogativam praeberet.

[20] *Deserto errore viarum.* — Non singulis hominibus tantum, sed et gentibus et populis tutandis praepositos esse Angelos, cum graecae, tum latinae Ecclesiae patres affirmant. Michaëlem profecto Judaico populo praeesse Moses innuit in Deuteron.

[21] *Auxiliis commissa tuis.* — Quod vero et singulis Ecclesiis Angeli praesint, Greg. Nazianze. Orat. XXXII docet : Nec enim mihi dubium est, quin alii aliarum Ecclesiarum praesides ac patroni sint, quemadmodum in Apocalypsi Joan. me docet. Sed ex Angelis omnibus Romanam Ecclesiam Michaëlem legisse custodem, et alias diximus, et patrum omnium suffragatur auctoritas.

[22] *Julius olli.* — Tac. Agr. 4. Julius Graecinus, Senatorii ordinis, studio eloquentiae sapientiaeque notus, iisque virtutibus iram Caji Caesaris meritus. Namque M. Silanum accusare jussus, et quia abnuerat, interfectus est.

[23] *Univira.* — Tac. 26. Mater Julia Procilla fuit, rarae castitatis. In tanta morum corruptela, honestissimum mulieris nomen erat *univira*, nempe mulier quae unum tantum virum habuit.

[24] *Massiliam.* — Tac. Agr. 4. Sedem ac magistram studiorum Massiliam habuerit, locum graeca comitate et provinciali parsimonia mistum, et bene compositum. De Massilia ad omnem humanitatem comparata et Strabo 4. lib. loquitur : Hoc tempore romana nobilitas litterarum studiosa Massiliam se confert, ante solita se conferre Athenas.

[25] *Plautius.* — A. Plautius Aelianus, uti e Tacito accepimus, Britannos rebellantes vicit, et triumphavit. Consul fuit an. 29.

[26] *Baudicea.* — Tac. Agr. 16. His atque talibus invicem instincti, Baudicea generis regii foemina duce (neque enim sexum in imperiis discernunt), sumpsere universi bellum : ac sparsos per castella milites consectati, expugnatis praesidiis, ipsam coloniam invasere, ut sedem servitutis: nec ullum in Barbaris saevitiae genus omisit ira et victoria.

[27] *Elati ambitione coërcent.* — His Britanni inter se agitare mala servitutis, conferre injurias et interpretando accendere. Tac. Agr. 31. Raptores orbis (Romani), postquam cuncta vastantibus defuere terrae, et mare scrutantur. Si locuples hostis est, avari; si pauper, ambitiosi.

[28] *Quiescunt.* — Tac. ib. Quos non Oriens, non Occidens satiaverit: soli omnium opes, atque inopiam pari affectu concupiscunt. Auferre, trucidare, rapere falsis nominibus imperium; atque ubi solitudinem faciunt, pacem ap-

pellant — *Germania*. Tac. ib. 15. Sic Germanias excussisse jugum, et flumine, non Oceano defendi.

[29] *Conservi humiles*. — Hoc saepenumero ipsis Christianae religionis incunabulis ab Ethnicis improbatum est: neque nos inficiamur: ibi enim Christi verbum consolationis auctor benignius acceptum, quo mala erant graviora. Divites, potentes, fortunati, nobiles qui bene beateque sibi vivere putabant, serius fortasse, aut majori difficultate austera documenta audire, atque amplexari poterant. Hinc illae Ethnicorum objurgationes in Christianos, apud Orig. *Homines rusticos et pauperes*, Octav. apud Minuc. *Illiteratos pauperes et imperitos*. Et ib. *Homines deploratae, illicitae et desperatae factionis*. Et apud Origenem Celsus: Hoc pacto, inquit, satis apparet, quod solos fatuos, ignavos, stolidos, mancipia, mulierculas, pueros captent, et pelliciant.

[30] *Imbuit aram*. — Lares qui et penates, dii erant familiares et domestici, qui in *Larario*, sive sacrario, quae domestica aedicula, singularibus observantiae officiis colebantur. Imagunculae canina pelle obtegebantur, ad domus custodiam indicandam.

[31] *Quid fonte lavari*. — Ut sacrificaturis pura cuncta essent, omni videlicet vel macula vel vitio expertia, satis indicant Scriptores, et illa: *pura cum veste, vasa pura, puraque vina, vivo perlue rore manus*. Nec modo manus, sed pedes etiam elui consuevisse ex illo deducitur proverbio: *illotis manibus et pedibus*, cum quis imparatus aliquid aggreditur.

[32] *Angusta tegebat*. — C. Fabricius bis consul fuit, bis triumphavit. Paupertatis studio nobilis neque a Samnitibus, neque a Pyrrho rege auro corrumpi potuit.—*Serranus*. L. Quintus Cincinnatus bis dictator, octogenarius ex agro quatuor jugerum, quem arabat ipse et serebat, ad Magistratum vocatus, unde *Serrani* nomen habuit a *serendo*. — *Curios*. Curius vir summae frugalitatis et fortitudinis, qui cum rapas in foco torreret, Samnitium legatos magnum auri pondus publice missum offerentes irretorto oculo rejecit. Hic belle quadrant Plinii verba XXXIII. Videret haec Fabricius, et stratas argento mulierum balineas, ita ut vestigio locus non sit, cum viris lavantium, Fabricius, inquam, qui bellicosos imperatores plusquam pateram et salinum ex argento habere vetabat. Videret hinc dona fortium fieri, aut in haec frangi. Heu mores! Fabricii nos pudet!

[33] *Lanificam*. — Asc. in Cic. pro Mil. 5. Ex vetere more in atrio telae texebantur. Et ab Auson. Parent. 11, 3. inter morigerae uxoris dotes enumerantur probitas, forma, fides, fama pudicitiae, lanificaeque manus. Sed Colum. Proae. jam queritur: Nunc pleraeque sic luxu et inertia defluunt, ut ne lanificii quidem curam suscipere dignentur. Hoc ut cetera, servis assignatum fuit, unde *textores lanifici*, et *textrices lanificae*, et locus texendi *textrinum* vel *textrina* vocatum.

[34] *Pro consule vicit*. — Tac. IX, 33. Plautio qui ovans se de Britannis

retulit. In vita etiam Agricolae meminit quidem Plautii, sed non ovationis: consularium primus Aulus Plautius praepositus (Britanniae) ac subinde Ostorius Scapula, uterque bello egregius.

[35] *Vicina sub ostia.* — Nempe *Tiberina.* Ostia Tiberis duo, quibus la mare tyrrenum evolvitur, et urbes duae, *Ostia* ad orientem, *Portus* ad occidentem.

[36] *Rem nosceret.* — Val. Max. V, VIII, 2. Adhibito propinquorum, et amicorum consilio. XIII, 11. Ju dex adductus, adhibitis in consilium principibus civitatis, prudentia et religione sua mulierem repulit. *Noscere* et *cognoscere* sunt verba judicialia.

[37] *Erixon.* — Annaeus Seneca de Clem. lib. I. Erixonem equitem romanum, memoria nostra, quia filium suum flagellis occiderat, populus in foro graphiis confodit. Vix illum Augusti Caesaris auctoritas infestis tam patrum, quam filiorum manibus eripuit.

[38] *Jus mortis ademptum.* — Cassius privato judicio capitis filium damnavit, quod agrariis legibus studuisset, et Fulvius Senator adolescentem filium, omnibus bonis artibus excultum eadem poena e medio sustulit, quod Catilinae affinis fuerat conjurationi. Sed Imperii tempore clementius actum, Tac. IV, 16. Ex horrida illa antiquitate ad praesentem usum quaedam Augustus flexerat.

[39] *Vetustas.* — Nobilium imagines e cera effictae, in atriis aedium, suis quaeque loculamentis asservabantur. Eaeque quo plures et vetustiores ampliorem familiae nobilitatem indicabant: inde *fumosae* appellatae, saepenumero ad splendoris jactationem, quae ob vetustatem fumo denigratae.

[40] *Penates.* — Maximo atriis ornamento esse solebant hostium spolia, quae ad perpetuam partae gloriae recordationem, et ad alienae virtutis incitamentum affixa foribus pendebant. Tib. I, 1.

Te bellare decet terra, Messala, marique,
Ut domus hostiles praeferat exuvias.

[41] *Contingere colles.* — Ethnico homini, et Romano, nullis gratiae divinae donis adjuto, quaenam justior videri poterat Religio? Quam penitus patriae superstitio animis insederit, ex Livio videre poteris, lib. III, 17. ubi, Herdonio Capitolium cum servitiis suis occupante, Valerius ad multitudinem versa oratione: Si vos urbis, Quirites, si vestri nulla cura tangit: at vos veremini Deos vestros ab hostibus captos. Jupiter optimus, maximus, Juno Regina, et Minerva, alii Dii Deaeque obsidentur: castra servorum publicos penates vestros tenent. Certe isthac veterum religionum memoria Romanos prohibuit Camillus, quominus Vejos transmigrarent: Liv. X, 51. Quum victoribus Gallis, capta tota urbe, Capitolium tamen atque arcem diique et homines romani tenuerint, habitaverint; victoribus Romanis recuperata urbe, arx quoque et Capitolium deseritur?

[42] *Matronae.* — Liv. V, 52. Juno Regina transvecta a Vejis, nuper in

Aventino quam Insigni ob excellens matronarum studium celebrique dedicata est die! Hujusmodi festa *matronalia* nuncupata, quod iis matronae Junoni sacrificarent, Kal. martiis. Hujusmodi nomine honestabatur mulier quae justo matrimonio uteretur, non tamen in mariti manu, mancipioque esset. Romae, Fortunae, Virtuti, Pudicitiae muliebri templa excitata. Matronae, si fide in conjugem, pietate in filios claruissent, majus erant Reipublicae ornamentum. Cic. pro Coel. 13. Matronarum sanctitas. Afran. Majestas, Sanctitudo.

[43] *Vixisse querela.* — Frequens de prospero conjuglo a Latinis adhibita locutio, praesertim in Iscriptionibus: *vixit sine querela.*

[44] *Exempla ruinae.* — Teterrima quidem fuit romanae mulieris conditio ex XII tabulis. Ea enim non per justas nuptias, sed usu, confarreatione, coëmptione in manum viri conveniebat (scilicet in potestatem), et ex illo, Cajus, Inst. III, 3. *Filiae locum obtinet:* omnia jura cedunt ante *majestatem viri*, eoque moriente, tutori a viro, vel ab lege dato subjicitur. Cajus I, 148. Liberis meis, vel uxori meae Titius tutor esto. Cato apud Liv. XXXIV, 2. Majores nostri nullam ne privatam quidem rem agere foeminas sine auctore voluerunt, . . . in manu esse parentum, fratrum, virorum. Quae lex Romuli, utpote (Dionys. Alic.) mulieres nuptae nullum aliud refugium haberent, ad unius sui mariti mores se conformare cogebat. Sed publicis moribus a prisca severitate sensim delapsis, vide quid evenerit. Val. Max. IX, I, 3. Foeminas imbecillitas mentis et graviorum operum negata affectatio omne studium ad curiosiorem sui cultum hortatur conferre. Et apud Liv. I, 57. jam Collatini tempore, amici sponsas suas in convivio luxuque cum aequalibus viderant tempus terentes. Severus Caecina, Tiberii aetate conqueritur, Tac. III, 33. quod sequior sexus imbecillis, impar laboribus, levis, ambitiosus. Et idem Tac. III, 34. Vix praesenti custodia manere illaesa conjugia, et lib. IV, 16. Omissa confarreandi consuetudine, aut inter paucos retenta.

[45] *Lustrat.* — Vide diaconissarum officia, lib. 4. not. 52. Si apud ethnicos populos mulier viro succubuit, ubi primum evangelica dies illuxit, pari dignitate aequiparantur, cum nullum sit neque gentis, neque sexus discrimen. Apost. ad Gal. III, 28. Quicumque enim in Christo baptizati estis Christum induistis. Non est Judaeus neque Graecus; non est servus neque liber, non est masculus neque foemina. Plena sunt Evangelia et factis et dictis, quibus nova isthaec mulieris amplitudo asseritur, eque *re mancipi*, ex jure Quiritium, jure Christiano facta est domina. Neque solum intra domesticos parietes vere materfamilias est habita, sed matrimonii sanctitas, et totius domus ad Christum conversio debetur mulieri. Ad Cor. VII, 14. Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem. Vi minor homine, fide major saepe: Matt. IX, 22. Dicebat intra se: Si tetigero tantum vestimentum ejus,

salva ero. At Jesus conversus, et videns eam dixit: Confide filia: Fides tua te salvam fecit. Et XV, 28. Tunc respondens Jesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua: Fiat tibi sicut vis. Et forsitan in amoris fervore homini praestat: XXVI, 7: Accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem discipuli, indignati sunt dicentes: Ut quid perditio haec? Quae *credulae* et *imperitae* mulierculae a Celso vocabantur, ad Ecclesiam Dei amplificandam incumbunt: viden illam Phoeben, Ep. ad Rom. XVI, quae est in ministerio Ecclesiae quae est in Cenchris: . . . ipsa quoque astitit multis, et mihi ipsi. Et paulo post illam Mariam: Quae multum laboravit in vobis. E Romana inertia, eque domesticis umbraculis in solem et pulverem egredietur; docebit, velut apostolico munere functura (ignotum ethnicis), Christianae caritatis operibus cum viris ipsis Apostolicis certabit. Quid plura? Pulcheria et Eudoxia in solio evangelicae virtutis lucem collocabunt.

[46] *Mortemque subibit.* — Ipsos tortores Virginum tenellularum in exquisitissimis tormentis constantia perterrefacit.

[47] *Nullum in conjuge crimen.* — Totam hanc narrationem e Tacito hausimus, IX, 32. Isque (maritus) prisco instituto, propinquis coram de capite famaque conjugis cognovit, et insontem nunciavit.

[48] *Diversoria nota.* — Luc. 4. 7. Non erat eis locus in diversorio.

[49] *Petronilla.* — Antiqui omnes de hac Petri filia loquuntur, et Ecclesia maximis ceremoniis anniversariam commemorationem celebrat, die 31 Maji, et ejus nomine insignitum vetus et nobile coemeterium in Act. Greg. Papae III, memoratur. Certe et conjugem habuisse Petrum, et antequam ad supremum Apostolatus dignitatem a Domino vocaretur, hanc filiam suscepisse, nobis sufficiet constans Ecclesiae testimonium.

[50] *Deducere calle.* — Ipsius Petri similitudo epist. I, 11. 11. Charissimi, obsecro vos, tanquam advenas peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quae militant adversus animam — *Aliam quae patria caelo.* Petr. IV, 13. Novos vero caelos, et novam terram secundum promissa ejus expectamus, in quibus justitia habitat.

[51] *Cantavit ad auras.* — Joan. XVIII, 27. Iterum ergo negavit Petrus, et statim gallus cantavit.

[52] *Caesarius.* — Diaconus fuit qui Flaviam Domitillam Romanam Virginem Tarracinae passam cum Theodora, et Euphrosyna collactaneis suis confirmavit, earumque corpora sepeliit. Vide Boll. XII Maji.

[53] *Qui regnat in aula.* — Matth. V, 44. Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii patris vestri qui in caelis est.

[54] *Non sprevit amantem.* — Marc. XIV, 2. Et cum esset Bethaniae in domo Simonis leprosi, et recumberet, venit mulier habensal abastrum un-

guenti nardi spicati pretiosi, et fracto alabastro, effudit super caput ejus. . . Jesus autem dixit: sinite eam, quid molesti estis? bonum opus operata est in me.

[55] *Dilexi quondam.* — Matt. XIX, 13. Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret. Discipulis autem increpantibus eos, Jesus vero ait eis: Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum caelorum.

[56] *Nereus.* — Nereus et Achilleus, eunuchi erant Flaviae Domitillae, quae a Beato Petro una cum ejus matre Plautilla baptisma acceperat. Tarracinam perducti a Pontia insula, ubi fuerant relegati, securi omnes percussi sunt. Romam delata corpora, via ardeatina sepulta. Vide Boll. die XII Maji.

[57] *Atque Stagirita.* — Pet. II, I, 16. Non enim doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et praesentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis.

PETREIDOS

LIBER VIII.

ARGUMENTUM

Triduanis precationibus pro Pauli judicio imminente indictis, Christiadae non *Pudentis*, aut *Aristoboli*, aut *Caesaris*, sed *Narcissi* domum conveniunt — Qui Narcisso, nequissimo Claudii liberto, natus, et Christianis mysteriis imbutus male partas a patre divitias christiano usui mancipavit, et domum ad Capitolii pedes Sanctis aperuit — Die dicta, frequentissimus Christianorum chorus, remotis arbitris, aderat — Occasionem capit poëta potissima Ecclesiae romanae ornamenta recensendi, et episcopos, presbyteros, diaconos, et selectissimas christianas familias celebrat — Parvus quidem numerus pro urbe omnium populorum domicilio — Sed ecquisnam tunc temporis, nisi christiana spe praelucente, credidisset mavortiam Romam christianae cessuram? Excubitorum vafritiem sancta sollicitudine frustrati, in sacra aede Christicolae versantur — Neque dum formidine omni expediti ne gemitus quidem altius tollere audebant, effusis tantum lacrymis orantes pro Paulo, veluti amissi patris desiderio costernati — Sed, inclinato in vesperam die, supremus ipse Romae Antistes ex inopinato sacris aderat — Qui omnibus reverentiae indiciis, atque adeo gestienti laetitia exceptus, recta ad aram processit, et lacrymis, et obsecrationibus Deum obtestatur — Deinde pro suggestu collectum coetum alloquitur — Ille triplicem commemorat Ecclesiam, *mi-*

litantem, quae christiana fide et professione auctorata periculosam in terris exercet militiam — *Purgantem*, quae solutas corporibus animas piacularibus flammis lustrandas complectitur — *Triumphantem* denique, quae caelesti civitate donata, in quiete placidissima, et vita sempiterna, torrente voluptatis perfunditur — Ad illum divinae majestatis adspectum, ad illum aeternae felicitatis portum erigenda Christianorum mens — In spem victoriae, in terrestri peregrinatione cum hostibus praeliandum, qui romanam Ecclesiam ceterarum Ecclesiarum magistram praecipue adoriuntur — Haec praefatus Petrus, ut omnes pro Paulo, strenuissimo Ecclesiae duce, pro Roma, pro Nerone ipso orarent, hortatur — Et e Sacrario egreditur, omnibus altissimi eloquii admiratione obstupescentibus — Interea Neronem ad aulam redeuntem antiquus conscientiae angor, et scelerum recordatio excipiunt — Metu diurno, nocturnoque confectum, nova periculorum denuntiatio exanimat — Phygillus enim, et Hermagoras, Judaei Asiani, Christiano nomini infestissimi, Tartareis insuper persuasionibus impulsi, alter graecinae domus judicium, clandestinis Petri consiliis subversum, alter orientale imperium per universum terrarum orbem disseminatum ostendit — Cujus opulentissimum solium Christianorum regem occupaturum — Paratum incendium spectans Satanas, Locustae personam indutus, Saganae celebratissimae, Tigellinum ad omnia audenda hortatur, Sejani exemplo, qui ad aulicum connubium aspiraverat — Neronem ex integro Romam aedificare molientem, ut veterem urbem incenderet, hortaretur — Tanti facinoris molimen facillime in Christianos rejici posse, sceleratissimam gentem Neroni, et Romae ipsi abominatam — Impulsibus paret Tigellinus; Neronem solitudiae et moerore perditum exhilarat oblatis capitibus Syllae, et Plautii, quorum alterum Massiliae, in Asia alterum interficiendum curaverat — Ipse Burri mortem imperat, et praetorii praefecturam inter Fenium Rufum, et Tigellinum partitur — Denique de Christianis apud Graecinam coetibus sermonem intersereuti Tigellinus audacter novum consilium patefacit — Romam incendat, in Christianos crimen injiciat; utque res ex sententia succedat, assimulata clementia Christianorum fiduciam captet — Qui e suis latibulis in lucem egredientes facillime innotescerent — A Pauli Tarsensis judicio inciperet, cumque e carcere liberaret — Ejus consiliis assentitur Caesar, remque totam constituit — Tigellinus honores amplissimos consecutus ex aula egreditur — Nero omnibus laetitiis incessit, aulicolis ceteris repentinam Domini mutationem demirantibus — Paulus ad preces, obtestationesque conversus pro sua et Ecclesiae incolumitate, inopinate praetoriae cohortis comitatu ad aulam advocatur — Deque suo crimine a Nerone interrogatus, liberrime confitetur senibus aegro-

tis suppetias ad Insulam tiberinam tulisse, seque Christi esse sectatorem — Quod nomen, cum sine furore et amentia non audiisset Caesar, eumque et inquieti ingenii, et ad novas res avidi accusasset, Paulus pacate admodum respondit Christi regnum virtutis esse regnum in terris, Christianos pro principe assiduas ad Deum preces effundere; se Romanum pro Romae gloria vota nuncupare — Qua oratione se repente mitem et placatum Caesar ostendit, eumque omni molestia liberum abire jussit — Christianis precationibus annuerat Deus, jamque praecipiti in occasum die, dum strati ante aras Christifideles malorum finem exposcebant, ingreditur Paulus — Subita coorta laetitia, Petrus redeuntem amplectitur comitem, interque gestientes lacrymas, manu triumphatorem ad aram ducit, ubi solemnes gratiae pro liberatione exolvuntur — Paulus exinde populum alloquitur, ut pro se gratias reddat, quod dignus factus fuerit pro Dei nomine contumeliam pati: se suum exitum quam primum Romae in gentilicia urbe expectare, ab Agabo Solymis praesignificatum — Petrus ingenti Dei beneficio attonitus populum hortatur, ad divinae bonitatis fontes inexhaustos concelebrandos — Eoque praecinente Psalmographi carmen, totus Christianorum chorus respondit — Demum facto sacris fine, tanta iterum laetitia animos incessit, ut victorem Paulum medium complexi per urbis compita deducerent — Sed vetuit Petrus, ne profanis nova odii flamma subjiceretur — Parte alia Nero, legatis e Graecia afferentibus lemniscatas coronas pro cantus principatu, in Graeciam ire meditatur—Tantoque operi se parans primum suae vocis facit periculum Neapoli, graeca urbe, bonarumque artium studiosissima — Unde haec cantorum omnium cupido, ut Neapoli primum tirocinium ponant? — Explicat poëta Syreuis fabulam — Naturaque ipsa impressum neapolitanis animis atque auribus Harmoniae sensum celebrat, cum exteriore locorum pulchritudine mirifice congruentem — In Achajam profecturus, Helium libertum Reip. gerundae praeficit — Scenicos apparatus, ancillarum, et Augustanorum comitatum, militares manus, quasi provinciam expugnaturus, instruit — Graeciae appulsus, terram omnium terrarum parentem exosculatur, humi procidens, symphoniacis canendo, aut citharas pulsando animas cientibus — Tota ex ultimis finibus excitur Graecia — Extra ordinem simul Olympica, Isthmica, Nemaea, et Pythica indicuntur — Theatra ubique excitantur — Apud Elidem primum Circenses ludi maxima celebritate committuntur — Quadrigis e carcere emissis, ipse octojugem currum moderatur, bigamque aemulam praecurrentem equo transversim injecto ad murum lateritium confringit — Sequitur certamen Athleticum apud Isthmum corinthiacum, quo concertatoribus ceteris propulsis, Pammeni-

dem, senectutis causa vacationem assecutum, in arenam iterum prodire jussit, eoque, levi brachio, dejecto, ejus omniumque retro victorum statuas per graeca fora positas evertit—Tanta victoria elatus Isthmum perfodere aggreditur—Marinis numinibus carmine pacatis, primus rastello humum effodit — Dein praetorianos pro concione cohortatus ad opus emisit—Sed inter triumphales salutationes, scelerum obstrepente conscientia, quiescere non potest — Neque Lacedaemone, neque Athenis morari ausus, dum in Eleusinis audit: Procul o, procul este, profani, ipsemet flagitiorum memoria exagitatus, e sacris, atque e templo excessit —Delphis consulta petentem Sibylla eum Alcmaeonem vocans, templo exire jubet; sed ipse ira incensus templum depopulatur, sacram tellurem publicat, speluncam obstruit — Denique ad musicum certamen se convertit tantopere expectatum — Sortibus eductis, primus se Caesar obtulit —Qui, consulari viro citharam sustentate, primum varietate sonorum excitavit animos; mox Cluvio Rufo consulari praenunciante Nioben canit, mollissimis et delicatissimis pro re vocis flexionibus. — Demum personatus cantat *Oedipodem excaecatum* et *Canacem parturientem*, ad horam fere decimam — Eo cantante, cum ne causis quidem necessariis e theatro excedere liceret, Vespasianus quod discesserat, atque obdormiverat, gravissimam tulit offensam — Nero luxu et libidine omnia polluit — Porro Christiana Graecia, Petro ex urbe Roma admonente, a profanis spectaculis sese abstinet — Et Ecclesia Corinthiaca, et Atheniensis, divinae Justitiae iram, fusis ad Deum precibus, mansuefacere conantur —Dionysius Areopagita selecto Christianorum coetu gentiliciae sapientiae vanitatem explicat, teste Paulo: *Tradidit illos Deus in desiderio cordis eorum, in immunditiam* (Paul. ad Rom. I, 24).

Tres sanctis patuere domus, ubi rite liceret
Suetos consociare choros. Regionibus urbis
Diversis habitant: sed ubi mysteria rerum
Concelebrare juvat, variis a partibus omnes
Conveniunt. Alios recipit penetralibus altis
Magnus *Aristobolus*, censu qui dives avito
Argentum atque aurum Christi partitus egenis,
Augustas aedes generoso corde recludit
Christicolis: audax ipsum pars altera limen
Caesaris accedit, cellaque absconditur ima,
Qua secreta domus, et inobservabilis horror.
Flagitio omnigena foedam, quis crederet? aulam
Occupat insinuans pietas, tacitosque tuetur
Discipulos. Poscit tacitas pars altera sedes
Narcissi [1], et properans aurata palatia scandit,
Quae capitolini propter latera ardua clivi
Dives libertus magno fundaverat auro.
Proh mirum! Claudî per pessima cuncta minister
Proruit in praeceps, pariisque effulta columnis
Fundamenta domus superas eduxit in auras:
At quo sub turpi domino deterrima turba
Vixerat, obscoenis celebrans convivia ludis,
Mutatus natus patrisque exempla perosus
Narcissus Sanctos penetralia in alta vocavit

Christicolas, audire sacri mysteria verbi,
Apposuitque lucro fraternae accumbere mensae,
Et dias gustare dapes, libare beata
Pocula, queis summum latitat sub imagine numen.
Mille domi famuli famulaeque examina longa
Assistunt: armentales praesepibus altis
Mille tuentur equas: picenam mille per oram
Seu ducunt pecudes, seu junco obducta paludis
Pascua pomptinae purgant. Vix nomina Christo
Ille dedit, pariter Christo socia agmina jungit,
Veracique deo jubet omnes credere, falsis
Posthabitis divis. Clemens comes additur olli,
Qui famulos fidei sanctae praecepta docebat,
Et doctos sanctae renovabat in amne salutis.
Ipse autem clamore fori strepituque senatus
Abstinuit, vitamque pios convertit ad usus.
Qua subjecta domus spectat Capitolia parte,
Secedit tacitum conclave, aderatque sacellum
Christiadûm soboli ingenti venerabile cultu.
Diditur extemplo romana per agmina jussum,
Lectaque progenies magno concussa dolore
Templa petunt, qua Pontificis vox maxima monstrat.
Non tamen una via est cunctis; pars moenia lustrat
Circuitu longo, strepitumque et strata viarum
Consulti vitant, quando excubitoribus agmen
Invigilat magnum, atque virûm vestigia signat.
Pars noctis sequitur tenebras, pars luce diei
In media ignoti monstrata palatia scandunt.
Quales campestri quondam regione volucres,
Si praeceps nigro glomeratur in aethere turbo
Noctem hyememque ferens, caeli praenuncia vitant

Indicia, et turris latebroso in pumice sidunt.
  Quis mihi concedat laeta circumdare luce
Nomina Sanctorum, qui cuncta pericula temnunt,
Et jussi meritos aris imponere honores
Impavidi properant? vati ne, casta Poësi,
Defice: terrenae immortalia semina mentis
Instaurata videns, habitusque, animumque vigoremque
Ipsa etiam instauras: et primis gesta diebus
Singula Christiadûm meministi porro, nec unquam
Poscenti auxilium tua defit fervida virtus.
Ipsa etenim argolicas obscoenis sordibus urbes
Pollutas fugiens, mutata sede, beati
Laetior ad Tiberis ripas vestigia sistis:
Septeni montes et montibus addita Roma
Nota tibi: vastis regina in moenibus errans,
Inclyta perlustras totam monumenta per urbem,
Et templa et sanctos ritus et nomina rerum.
Auspice te, sacris expirat collibus aura,
Aura novas rapiens rerum ad sublimia mentes.
Tu mihi perfectam formis, vultuque micantem
Aethereo, atque novam accitam ad sacraria Romam
Pingenti faveas: trepidum, fidissima custos,
Vatem confirma, et densis semota tenebris
Deprome in lucem, quae condita mente tueris.
  Ceu caput, et varia cernis compagine membra
Corporis humani integram complere figuram,
Haud secus exterius constructa Ecclesia concors,
Atque eadem: totum sua quaeque effusa per orbem
Agmina rectores jactant gentesque regundas.
At romana Parens cunctas supereminet omni
Ornatu: *Cletus Linusque* a principe Petro

Et *Clemens* una vastum moderantur ovile.
Dum lectos celebrant coetus, populisque coactis
Leges Christiadûm explanant et credita vera,
Praecipue orantes, terris traducere vitam
Caelestem satagunt, caelesteque Numen iniquo
Orbi conciliant. Tum maxima sacra novantes
Chrisma pium faciunt, quo delibuta resurgens
Virtus Christiadûm durae exercere palaestrae
Interiora queat certamina: munere magno
Dignatos sacrant fratres, oviumque magistros
Praeficiunt, sanctumque genus per cuncta propagant [2].
Inde alii atque alii rerum inferiora sequuntur,
Presbyteri [3] innumeri. *Seniorum* nomine cunctos
Non aetas grandaeva facit, sed maxima virtus.
Cura ollis potior fidei documenta puellis
Tradere, discipulos lustrali spargere lympha,
Immortale epulum Christi sacrare, piosque
Pascere Christigenas augusto corpore; vitae
Si quis praeteritae commissa piacula fletu
Ablueret, caeli limen recludere, terris
Communes praestare aras, communia sacra.
Sancti primores populi vetus obruit aetas,
Tot rerum vicibus: sed nomina lecta vetusto
Abstergam senio, atque nova exornabo juventa.
Fortes Agricolas. Salve venerabilis omni
Virtute, *Evelli*: salve, sanctissime *Torpes*:
(Illos caesarea Christi sapientia ab aula
Abduxit quondam); salve fortissime pugnis
Christiadûm *Herodion*, neque tu memoraris, *Olympa*,
Inferior, Pelopis quem aluit ditissima tellus;
Romaque miratur sanctis adolescere castris.

Bethlaeum, natale solum, reminiscitur antrum
Saepe *Evaristus* amans, patriae neque tangit *Achaten*
Spes minor: at Dominus jussit discedere ab Argis,
Mercarique alio centum commissa talenta.
Cyrenes veniens arenti pulvere, gazam
Quam Sophiae arcanam Antiochi collegit in urbe,
Lucius explanat facundo flumine Romae:
Et tu perdomito extollis phlegethonte trophaea
Victor, *Nicasi: Euchaerus* laetatur in uno,
Ut Christi vulget vicina per oppida nomen,
Tuque, *Beate*, piis aequas cognomina factis:
Quem sequitur gravior meritis *Fridolinus* [4] et annis
Et *Stachys* ingenti Paulo dilectus amore,
Christique impavidus causa auxiliator agenda
Urbanus, vinci officio neque passus *Apelles*.
Magnanimum insolitis fulgere nitoribus agmen
Prospectans Petrus, meliorem quemque beato
E numero excerpit, sacraque perungit oliva
Et merito vasti partem dat pascere ovilis.
Ceu solet egregii cultor laetissimus arvi,
Postquam viva sua excoluit plantaria terra,
Sicubi termitibus exuberat arbor opimis,
Transducit sobolem, et silva multiplice solam
Ornat planiciem, atque novae facit omina frugis.
Praeterea lecti comites ad sacra ministri,
Namquid *Caesarium* linquo, abrupto Anxure natum,
Circaeique jugi spernentem insomnia vana?
Addunt se socios par fratrum insigne, *Novatus* [5]
Timotheusque, sati praeclaro e sanguine gentis
Corneliae: ille foro primum, hic castrensibus armis
Quaesivit laudem; at malefidae munera vitae

Deseruere. *Pudens* alia sudare palaestra
Imperat, et numquam perituras quaerere lauros.
Nec modo praefecti mensis communibus adsunt;
Munera sacra ferunt altaria ad ipsa, piique
Pauperiem excipiunt miseram, puerosque parentum
Auxilio orbatos tutis penetralibus abdunt.
Pastorum haec series; haec florida pascua monstrat,
Qua tutum per iter romanum incedat ovile.

Parvum equidem Romae mundi pro principe ovile.
At quantum Christi decus! at quantum instar in illo!
Quas latuit terras romana Ecclesia, in ipsis
Principiis? quanto virtutum effulsit honore?
In primis aderant magna comitante caterva
Cornelidûm gens tota, *Pudens*, praeclaraque conjux
Et Natae natique: aderat viduata marito
Lucina, et viduae decus inviolabile servans;
Tuque aegro genitore aderas, *Servilia* [6] virgo,
Et furtim egrederis lecto latura magistro
Auxilium. Magnos sequitur *Pomponia* coetus,
Et graecina domus sanctas veniebat ad aras
Pro capto oratura Deum, votivaque secum
Dona ferens, partum testantia dona triumphum.
Nec te praeteream, *Rufe* electissime, teque,
Eubule (effecit prudens sapientia nomen);
Teque, *Demas*, foedi qui absorptus vortice saecli
Liquisti Petrum, et posthac exosus iniquum
Dedecus ad patrium illacrymans contendis ovile.
Quo *Nereus*, et sancta soror, quo *Julia*, tuque
Materno studio procedis, *Olympia*? In unum
Vis eadem impellit cunctos, eademque cupido
Aemula majori Christi concrescere amore.

Vives carminibus memoratus, *Asyncrite;* vives
Lucescente, *Phlegon*, scintillans suaviter igne,
Et vos in Christum parili certatis amore,
Hermes et *Patrobas*. Nostris celebrabere chartis,
Philologe, assuetus per docta cacumina Pindi
Versari; sed ubi veri sanctissima lampas
Emicuit, graecos vates cultumque deorum
Mendacem linquis, Christi documenta secutus.
Cui comes it *Proculus* sublustri noctis in umbra,
Aulica qui postquam complevit munia, sanctis
Audet certatim sese sociare catervis.
Concelebrat Romam cunctis e partibus orbis
Turba frequens: salve, felix *Epenaete*, feracis
Flos Asiae, Christi qui fulges inclytus horto;
Nec minor *Andronicus* sanctas trahit ardor ad aedes,
Cui sociam sese intulerit per tela, per ignes
Junia digna viro mulier, quos sanguine junctos
Paulo fama refert caput objectasse periclis,
Et jacuisse diu ferrato in carcere clausos.
Vos quoque, felices sponsi, laetissima *Prisca*,
Atque ardens *Aquila*, ordinibus spes ignea sacris
Addidit: ambo pares magnis virtutibus, ambo
Casibus aggressi variis defendere sanctos.
Dites atque pii patria persaepe Corintho
Adveniunt Romam rivos haurire salubres,
Qua scatet e primis uberrima fontibus unda.

Nec sua foemineo generi laus maxima deerit.
Partem dia fides opera ad caelestia mittit.
Ingens propositum est ollis, animosque viriles
Indutae nullo terrentur imagine mortis.
At pars grandaevae lustrali mergere fonte

Exultant socias (ea sancti cura pudoris):
Prima rudimenta et vitae praecepta beatae
Enucleant pueris, mentes formantque tenellas.
Carcere quin etiam siquos manus impia tetro
Clausit Christiadas, sese formidine nulla
Ante fores sistunt laturae nuncia, laetum
Laturae auxilium. Quid enim metuisset iniquus
Tortor foemellas, foribusque arceret ahenis?
Sancti prima chori fuerat lectissima *Phoebe* [1]
Quae viduata viro, et jam maturior annis
Constiterat Romae. Cenchris est patria (nautis
Tuta Corinthiaco sedes in littore): suêrat
Christiadûm crebro extremis succurrere rebus,
Solarique aegros studiis caelestibus. Illam
Erudiens Paulus, castamque ad sacra ministram
Legerat, impositaque manu praefecerat aris.
Nunc eadem Romae pietas ad maxima ducit.
Sese addunt *Tryphosa* parens, et nata *Tryphena*,
Et *Persis* nullo rerum cessura periclo.
Quis te, *Perpetua*, aut quis te, *Plautilla*, relinquet?
Et te Torquatûm magna sata, *Claudia*, gente?
O Petri Roma, o medio Roma edita luctu,
Namquae vesano tumefacta superbia fastu
Conspiciens tanto luctantem turbine rerum
Hausisset docili praelata oracula fronte,
Quae quis praeveniens saecli decora alta futuri
Dixisset: Tibi Roma olim mavortia cedet,
Inque vicem ipsa potens fastigia summa tenebis?
Jam populus duplex una concrescit in urbe:
Rerum alter princeps fasces dominasque secures
Attollit, magnique regit moderamina regni

Atque domi atque foris: sed certae proxima morti
Vis animae labefacta gravi sub pondere languet;
Damnatumque sibi populum, sua regna pererrant
Lucifugae pestes moribundaque membra gubernant;
Alter egens, numeroque minor, si moenia vastae
Metiris Romae, misera stat spretus in umbra.
Sed Christi promissa fides exordia magni
Prima locat populi, rerumque ingentibus orsis
Designat: vix natus heri; sed certa futuri
Spes alit, atque animo totum complectitur orbem.
Ipsa fovet, caeloque auget spirabilis aura.
Cui populo pugnata diu victoria cedet?
Cui septingemino parebit vertice Roma?
O stirps Christiadûm supero acceptissima regi,
Perfer et obdura: tibi felix destinat aether
Imperium: quamvis centena pericula cingant,
Quamvis romuleae gyro depelleris urbis,
Urbi fundamenta sacrae nova condidit ipse
Omnipotens opifex, clypeûmque insignia mille
Ardenti longe lateque umbone relucent.
Postgeniti praedicta vident: ruit ethnica Roma:
Progenies renovata patrum malefida reliquit
Exempla; aetherei spatiata frequentat ovilis
Septa novus populus Christi de nomine dictus.
Concursu interea magno matresque virique
Deproperant Christo solemne effundere votum.
Ipso in vestibulo venientum noscere vultus
Prudens aedituus vigilat, postesque sub ipsos
Deducit, fraus ulla viris ne occurrere possit.
Divinum tecto patet interiore sacellum.
Quae rerum pretiosa tulit natura creatrix,

Seu quae nobilibus studiis industria solers
Extudit, huc domini sapiens opulentia confert;
Et Paros et Mygdon dant candida marmora, datque
Sidereae luci certantes India gemmas.
Ardentes lychni pendent laquearibus aureis,
Et flammis incensa fugant funalia noctem,
Araque panchaeo calefacta exhalat odore.
Mane novo Mystae libant, parvaque locatus
Pyxide, divina velatus imagine Christus
Vivax expiransque oculis mortalibus adstat.
Qualis ubi subito correptus fulmine mortis
Languescit moriens genitor, gemebunda per aedes
Versatur medias natorum maxima turba,
Singultusque ciens et luctisonos ululatus;
Flere juvat, lacrymae longum lenire dolorem
Nempe unae possunt; venientum talis imago
Christiadûm, admonitique cavent effundere questus.
Scilicet hoc etiam crimen? Solatia luctus
Lamenta ingentis, suspiriaque aegra recondunt.
Intentis perstant animis, genibusque voluti
Hic matrum chorus, ille virûm, pendentque tuentes
Sollicitis oculis placabile Numen, et orant.
Interdum templi tranquilla silentia rumpit
Insuetus gemitus, magni ut pastoris imago
Cuique subit, terrentque viri vicina pericla.

Proxima nox aderat, cum sanctas rite per aras
Consociata phalanx caelestia vota ferebat
Caelicolûm regi: paucis comitantibus, ingens
Christiadûm ductor sub noctem solus adibat
Ipse etiam Christo solemne exolvere votum.
At vix vestibulum ingreditur, famulique fideles,

Qui primo instabant aditu noctemque diemque,
Agnovere virum, cunctas it rumor in aedes
Ocyus, augustum sanctos conscendere postes
Pontificem. Ecce sacerdotum manus emicat omnis,
Laetitiaque ardens festoque elata tumultu
Sacrae Rectori Romae venit obvia. Laetis
Occurrentem animis et festo murmure turbam
Conspiciens Senior, totus sacro aestuat igne,
Effusaeque oculis lacrymae: simul excita miscet
Laetas turba omnis lacrymas, tristisque recedit
Moestitia, et totam pervadunt gaudia sedem.
Ut sacras tetigit valvas, magnoque stupore
Defixi, ingentem Romae mundique magistrum
Conspexere sacram recta procedere ad aram,
Laetitia augescit: maiori luce frequentes
Arae scintillare faces, visumque repente
Numine praesenti totum exardescere templum.
Namquid ego memorem nutanti carmine voces
Corde erumpentes? Primum ipse in vota vocavit
Pastorem; multum flevit, multumque potentem
Servatorem hominum oravit, quo Ecclesia Romae
Impavida obstaret magnis surgentibus undis,
Interpres fidei illa prior, qua principe pendet
Innascens cunctis Christi res publica terris.
Tum vero exurgit Senior summoque resedit
Conspicuus solio, et magna sic voce profatur:
Quod suevit saecli infelix insania, bellum
Intulit, o fratres. Quid ni? vetera omnia mundi [8]
Eruere, et molem super aedificare recentem
Hic labor est nobis: in munia tanta vocamur.
Quae dicam porro, saeclis vos dicite cunctis.

Quae nova per cunctas terras Ecclesia surgit,
Diversas uno complectens foedere gentes,
Bellatrix audit: genus insuperabile duram
Militiam exercet: contra stat totius orbis
Antiqui improbitas: tenebroso Acheronte refusa
Noctipotens errat manus, et terrena remiscet
Concilia, atque furens commota exuscitat arma.
Mox, ubi mortalis revoluta volumina vitae,
Bellantem excipiet *purgans* Ecclesia. Sordes
Sicubi concretae terreni corporis ulva
Caelesti prohibent patria, regione reducta
Semoti lugent admissa piacula, et igne
Lustrali sponsas Genitor caelestis amantes
Perpurgat, terraeque luit miserabile coenum.
Utque serenatae maturius inferat aulae,
Gaudia Caelicolûm fruituras, vota precantum
Sollicitat, properae suffragia certa salutis.
Altera sed demum defuncta laboribus, exsors
Omni curarum specie, purissima cunctis
Terrenis maculis, dignata Ecclesia caelo,
Jure *triumphatrix* audit. Spes excitat una
Haec, desideriis communibus unica meta;
Tendimus in patriam, Christo duce et auspice Christo.
Verum ipse admonuit: *Caelestis gloria regni*
Vim patitur [9]. Romaeque potens quae Ecclesia surgit
Sanctarum omniparens genitrix Ecclesia, quaeque
Concilia instituit, dictisque e nomine Christi
Conciliis vario praeponit nomine lectos
Pastores, pecudesque regit pecudumque magistros,
Praecipue impetitur: quaeque evomit horrida monstra
Tartareus Phlegethon, quaerunt pessumdare turrim,

Qua nempe excisa (tanta haec vesania menti!)
Omnia collabi sperant, superante ruina.
Ergo alia ex aliis, vos fortia pectora, fratres,
Saeva pericla manent: sed certo numine freti
Discite cuncta pati, atque animas opponere letho
Pro spe caelesti et patriae immortalis amore.
Qui metus est? vobis est Christus militis instar
Militibus: nobis aderit ductoribus instar
Ductoris magni: tali signavit honore
Omnipotens stygias infernum extrudere ad undas
Praedonem, et foedis mundum purgare tenebris.
Hoc duce, Tarsensis metuendo comminus hoste
Congreditur: Paulum victoria certa manebit.
Infelix Nero! cui caecam circumdata nubes
Offundit mentem, prohibetque agnoscere verum.
At nos, dum sancto positus discrimine pugnat
Bellator, gestitque tuam defendere causam
Impiger, o Christe omnipotens, o nostra salutis
Anchora, te oramus, tu mentem animumque ministra;
Proque etiam misera Roma, pro principe caeco
Oramus. Dextrae cuinam exuperare licebit
Robora magna tuae? tuque eja immitte furenti
Mitius ingenium: tibi saevum verte Neronem.
Hic tacuit Senior: labefacto in pectore sensim
Surgere nutantum coepit fiducia rerum.
Ipse autem, comitante choro, descendit ad imum
Altare, atque genu rursum subnixus utroque
Summum obtestatur caeli terraeque Statorem,
Pastoremque gregi, et templo servare columnam.
Tum vero egreditur: dextra laevaque frequentes
Stipant Christicolae; quoquo vestigia figit,

Turbae convertunt avidae pia lumina; vultum
Pars stupet ardentem, exauditaque verba volutat;
Pars sacrae limbum vestis contingere gaudet,
Et Christi effigiem, atque vicem gradientis adorat.
Ventum erat ad limen, cum Petrus: Sistite gressum,
Pastores, inquit: sacro ne absistite templo,
Praesentemque Deum cultu celebrate frequenti.
Solus et ignotus cunctis evadere quibo
Tutius insidiis: Glaucas mihi sufficit unus.
Dixit. Pontifici dociles parere jubenti
Accedunt Mystae, dextraeque abeuntis inhaerent
Suppliciter flexi veneratique oscula libant.

Dum longas turbata preces Ecclesia summo
Solvebat Patri, longumque bibebat amorem
Caelestis regni, consuetaque murmura saecli
Despiciens sanctas urgebat sedula curas;
Parte alia obscoenos lymphata mente furores
Explêrat Caesar, foedamque redibat ad aulam.
Vix intermissis tamen ipse accessit habenis,
Exploratorum coepit manus improba foedis
Illaqueare dolis: duplicat versutia fraudes,
Ut primum timor attonita regnavit in aula.
Tartarea haec pestis romanam effusa per oram
Spectat, jampridem tempus speculata nocendi.
Ceu si densa acies munitam accessit ad arcem,
Non jam luce palam campo confidit in aequo,
Jamque prius tormenta parat, qua machina celsos
Arietet in muros, aut subterranea passim
Furta locat, patulasque scrobes, turresque praealtas:
Dum tamen insidias meditatur, turbida celsos
Perlustrat muros, speculansque per avia quaerit,

Qua tentet ratione aditus; sic nominis hostes
Humani graviora parant molimina pugnae.
Formas insimulant varias vulgique labantes
Hebraei tentant animos et crimina spargunt.
Non pudet, Isacidae, proavos clarumque paternae
Nomen virtutis senio torpere situque?
Gens nova vos spernit numero nec viribus aequa.
An, Patria amissa, dominis parere superbis
Quamprimum deceat? Capite arma, evertite cuncta,
Aut meliore via pavidum turbate Neronem.
Instructos monstrate dolos: terroris abunde est.
Aggerite eoi fatum exitiale tyranni:
Graecinae manifesta domus praepandite facta.
  Ex quo Tarsensis romanam allapsus in urbem est,
Primores Judae sacrarum abscondita rerum
Persaepe erudiit, caeloque allata salutis
Nuncia monstrârat: sed dira amentia gentis
Hebraeae Pauli monitus contemsit amicos;
Et primi Isacidûm juris legumque tenaces,
Judaeos excire omnes, ambire Neronis
Commaculatam aulam, variaeque innectere culpae
Crimina. Juvit opus mimorum sordidus auctor
Caesarea late dominans Aliturus [10] in aula
(Hosce Nero comites lateri, hos sibi legit amicos),
Jamque etiam gliscit pestis deterrima: venit
Omnibus insidiis instructus et arte maligna
Hermogenes: venit fandi cui magna Phygillus
Copia, judaei ex Asia, qui praelia miscent
Indignabundi. Stygia urit flamma medullas;
Atque ubi Tarsensem subeuntem magna Neronis
Judicia adspiciunt, tota bacchantur in aula

Immanes furiae: foedisque audacior orsis
Hermogenes redit ad pugnam, et sic suscitat iram:
Non sumus immemores, terrarum maxime Princeps,
O Nero, quod victos, extorres, omnium egenos
Regali mensa excipias aulaque superba.
Magnifico luxu Judaeae opprobria gentis
Mutasti, invidiaque tuens macrescit iniquus
Hospes. Quae poterit benefacta volubilis hora
Delere? Ingrati nullo dicemur in aevo;
Et quoniam tanto nil principe carius uno,
Cuncta exploramus noctemque diemque, nec ullas
Te contra insidias impune adstruxerit hostis.
Dira superstitio Solymaea prodiit urbe,
Quae postquam violens rabidi contage veneni
Regna Palaestinae infecit, perrupit in omnem
Italiam, et Romae victrix dominatur. Iniqui
Christiadae tendunt antiqua evertere regna.
(Tantaque inhumano generi dementia!) sperant
Ut toto surgat Christi Respublica in orbe,
Unius imperio Petri. Sic nomine dicunt,
Cui summam imperii, et rerum commissa potestas.
Graecinam purgare domum contage pudenda
Plautius aggreditur, teque hortatore, quiritum
Moribus antiquis, matrum solemne vocavit
Judicium. Haud equidem, nisi res mihi prodita certis
Judiciis fuerit, te auderem exponere coram.
Ipse inter servos penetrali in sede latebat
Auctor consilii Petrus, sortemque regebat
Judicii: tantumque ausa est versutia pollens,
Ut subito egrediens plenam incantator in aulam,
Ipso in conspectu matrum, contagia foedae

Doctrinae sereret. Praedulci melle loquelae
Contactae matres violens plena aure venenum
Combiberunt. Timuit quem victa Britannia, victus
Plautius, et nimium indulgens, uxore jubente,
Conticuit. Princeps, patiemur vivere Romae
Incantatorem, et nostris illudere rebus?
Nec plura Hermogenes: at mox graviora Phygillus
Obtulit, ingeminans terrorem caedis, et ignis:
Progeniem magnam hebraeo cognomine dictam
Non regio capit una: Asiae populosa tenemus
Oppida, per cunctas Europae spargimur urbes.
Immotis oculis, quaecumque habet ora, tuemur
Jerusalem, magni qua surgunt atria templi
Aeterno sacrata Deo. Audi, Maxime Princeps:
Immensum populum prognatum sanguine ab uno
Non te praecipuo fovisse pigebit amore.
Fama Palaestinae per cunctam increbuit oram
Venturum regem, qui victo oriente resurgens
Jerusalem decus occiduo firmaret in orbe.
Gens insana, crucisque ferens opprobria foeda
In titulos, juvenem damnatum lege Quiritum
Projicere infami sceleratam stipite vitam,
Si qua fata sinant, in maxima regna reponet?
Quod Judaea canit, constanti carmine vates
Romani cecinere: canit tibi Mantua fatum [1]:
Jam nova progenies caelo demittitur alto,
Cara Deûm soboles, magnum Jovis incrementum.
Crede mihi, Caesar, tu Rex, te praescia poscunt
Fata: sed alter adest, tanti qui conditor orbis
Dicitur, et furtim caecis molitur in umbris,
Atque per occidui, coi per moenia mundi

Digerit indomitas acies, animosque futuro
Adparat imperio. Non est mora longa: vocanti
Nî fato occurris, furtim diffusa coibit
Seditio, atque uni parebit subdita tellus.
Qualis fervescens per olympica septa quadriga,
Quam vis quadrupedum ignipotens, lapsusque rotarum
Torquent praecipites, inopino si impete flectunt
Colla feri, fugiuntque aversa fronte, patenti
Segnior illa ruens stadio, huc defertur et illuc
Mole sua; talis dubio sermone Phygilli
Obstupuit Caesar; neque jam pro tempore agendum
Occurrit quidquam. Tamen exploratoris honestum
Officium laudat: Jamdudum cognita nobis
Vestra fides: nobis unum et commune periclum.
Occulti varios coetus lustrate: novarum
Si cupidi rerum quidvis conantur, amici
Deferte: in vacuum recident sic irrita tela.
Dixerat: Hebraeique humiles genibusque voluti
Vilibus obsequiis fidum testantur amorem.

At Sanatas facinus, quo non praesentius ullum,
Versabat, formamque indutus et ora Locustae,
Aula quae fuerat quondam dominata potenti,
Ad Tigellinum venit, variosque vicissim
Sermones miscent. Demum, ratione parata,
Talibus aggreditur perversam attollere mentem:
Heu! quianam, miserande, jaces? quo condita fulcro
Stat fortuna domus tua? Quisquis major in aula
Imperitare cupit, cunctas majora per horas
Audere, et docilem nova per benefacta Neronem
Devincire juvat. Meritis sic gratia major.
Quid cessas? veterum praeclara exempla teneto.

Callistus, Pallas [12] quanam ad fastigia rerum
Incessere via? Instrumenta potentia regni
Roma illos habuit: magnis illi omnia quondam
Consiliis egere. Tuum quoque concute pectus.
Christigenae, infaustum nomen, scelus omne moventes
Omni regem opplent formidine; crimen acerba;
Aut rebus si magna tuis consulta requiris,
Huc animos adhibe. Caesar stat totus in uno,
Ut Romam instauret: cunctis incendia tectis
Misceat, injectae absumant vetera omnia flammae.
Si quidquam musset populus, suppone ruinae
Auctorem Hebraeum populum, Christumque secutos.
Talia in obscoenas Satanas immurmurat aures.
Audacis monitu Saganae Sophonius haesit
Territus. Illa autem: Molimina prima timendus
Injecit Simon: nec tantum nomina vana,
Judaeos, quantum malesanae stirpis iniquam
Vafritiam ostendit Romae imperioque minacem.
Lubrica per populos insuetaque jura canentem
Roma odit: nonne ipsa fuat quoque grata Neroni,
Si pestem extinguet? Dictis muliebribus impar
Stabat adhuc Tigellinus. Audacia quamvis
Sit longis firmata dolis, sententia nutat.
Parebit Nero consiliis? incendia cunctis
Injiciet domibus? ruet alto a culmine Roma?
At Sagana atroci pallentia lumina flamma
Inficiens, vultuque minax graviore profatur:
Et metuis? quae foemineo sub pectore serpit
Segnities! at non metuit Sejanus [13]; in unum
Elatum ingenium intendens viresque secundas,
In majus semper contento Caesare crevit;

Consul totam uno tremefecit nomine Romam,
Praetorî ipse idem Rector, ipse arbiter aulae.
Jamque adeo rerum dominus regale parabat
Connubium. Via vi fiet: nì pergere tendis
Ulterius, retro cedes, tuaque ultima cerno.
Dixit, et incertum liquit. Teterrima et audax
Foemina jamdudum obscoena regnabat in aula;
Noxia namque manu tractans aconita docebat
Triste satellitium! succos herbasque nocentes
Inficere, et pateris mortem miscere latentem.
Certaque corruptam manabat fama per urbem
Ipsam carminibus magicis, structisque venenis
Tartareos imis manes excire cavernis,
Et canere, arcanus fati quae posceret ordo.
Saepe agitat monitus diros, et saepe revolvit
Praemetuens Tigellinus: consuescere rerum
Sensum adimit, longoque animus durescit ab usu.
Antehac horrendum, casuque informius omni
Laudat consilium tandem, exiluitque recepto.
Hoc ego, ut augusto regnarem pectore solus,
Quaesieram votis, hoc ultro fata ministrant.
Aulica contendat suetas fallacia fraudes,
Serviet ipse mihi: quis foedera nostra resolvet?
Nec minus interea rerum formido Neronem.
Terrificat; domus illa feris lustrata ministris,
Unde tot exilia, et fraudes, et dira venena
Irrupere, metus centum domus illa figuras
Ingeminat. Quanto incessit vesania luctu,
Ut primum Hebraeis exploratoribus ingens
Audiit arcanum! rapido mens fluctuat aestu.
Et nova succedit capiti deterrima erinnys.

Ipse execrabatur Judaeae nomina gentis,
Et nunc crescentes odium implacabile surgit
Contra Christiadas. Latitantem et multa timentem
Summota excepit zothecula: solus et expes
Auditos casus, latebrosaque nuncia librat.
Ecce autem, cui cuncta uni secreta patebant,
Ingreditur Tigellinus, quem passibus aequis
Stipabat famulus, patulaque in lance ferebat
Nescio quae ferrugineo latitantia velo.
Ut coram venere : Vides tua maxima, Caesar,
Jussa, inquit, perfecta; nigrumque excussit amictum.
Ecce tibi Syllae, et Plauti [14] capita offero. Risit
Munere praesenti Caesar, dextraque recepit.
Calvitio Syllae, praematuraeque senectae
Illudens raros discerpit vertice crines:
I, Drusos jacta: Romam revocato vetustam.
Et Plauti spectans foedatam sanguine frontem:
Poppaeae bene fausta Nero connubia quibo
Maturare, inquit? Tunc magna laude superbus
Patrator sceleris sic est audentior orsus:
Non ego, ceu Burrus [15], diversas pectore in imo
Spes agito; mihi curae unum servare Neronem;
Nec modo ab urbanis praesentia tuta tenere
Insidiis satago, at per longinqua minaces
Fluctus prospicere, et primos compescere motus.
Gallia jam nutans ad dictatoria [16] Syllae
Nomina consurget? Frustra simulator iniquus
Turpem desidiem externa ostentavit in ora,
Audendi opperiens tempus, turmasque rebelles
Extimulans furtim: neque se irrequieta movebit
Gens Asiae, Plauti fidens locupletibus arvis [17];

Inter opes qui congestas neque fingere novit
Otia, sed veteris jactans imitamina Romae
Stoica voce palam referebat dogmata, vulgi
Fallens ingenium, et rerum fastigia captans.
Vae miseris! ambo nostris cecidere sub armis.
Plurimus occulta percussor [18] classe petebat
Massiliam, ingressusque domum, dum segnior ille
Luxuriosa parat lautis convivia mensis,
Nullo rumore obtruncat. Conspersus olivo
Stoicus [19], inque gravi exercens membra aegra palaestra
Lethifera occubuit tranfixus militis hasta.
Tum Nero: Nec magno facinus sine munere linquam.
I prius, atque diu suspectum interfice Burrum [20].
Partior armorum imperium: praetoria castra
Parebunt Fenio atque tibi. Fastigia honoris
Non tulit aequo animo fraudis scelerumque repertor
Partiri; nec surgentem compescere quivit
Invidiam. Objecto Fenium [21] praevertere tentans
Crimine: De Burro, faciam quae jusseris, inquit.
Est quod de Fenio addubitem. Neque munere eodem
Aequari indoleo: ast hominis me terruit anceps
Ingenium, nimiumque studens popularibus auris.
At Caesar: Ne plura tibi: nunc instat agendum
Majus opus: tua quae rerum experientia, posco.
Tum vero fixum refricans in pectore vulnus:
Audistin'? certus retulit mihi nuncius aedes
Graecinas noctu ingenti crebrescere coetu?
Plautius anne potens nimium, victisque Britannis
Clarior imperium affectat, discordia miscens
Murmura? Funestis laribus malesana propago
Christiadûm coiit: ne quid deterrima turba

In tenebris agitet, toto nunc marte cavendum.
Sic ait, et contra socius fidissimus orsus:
Nec tu me falsi argueris, ter maxime Princeps.
Quae monui manifesta vides: sed certa paravi,
Quae poterunt tutam nobis praestare salutem.
Maxima res agitur; spes una audacia restat.
Namque ego consilium tacita cum mente revolvo,
Quo genus invisum Romae communibus iris
Devoveam. Vastae cunctis regionibus urbis
Ignes supponi jubeo; cum incendia Roma
Spectabit, subitoque ruet commota tumultu,
Auctores scelerum Hebraeos clamabimus omnes.
Immortale odium facto cum erumpit aperto,
Hebraeum semen Romae delere licebit.
Hoc unum commendo tibi: dum cuncta parantur,
Consilium simula, clemens, placabilis esto
Hebraeae genti: et quoniam fortuna reservat
Tarsensem Paulum (cavea detrusus in ima
Judicium expectat), vetus est quae rebus agendis
Dexteritas, potes inde novos componere mores.
Mitte virum incolumem, et melius sperare jubeto
Totam progeniem. Quae olli fiducia, pace
Concessa, extemplo tacita egredietur ab umbra.
Cernere erit cunctos totam deerrare per urbem
Atque impune loqui, et sacros indicere ritus.
Tunc ego, cum non ulla inerit suspicio, certos
Dimittam qui cuncta notent, procerumque priores
Anquirant. Ubi composito data venerit hora,
Aut cinere immundo eversae tumulabimus urbis,
Aut urbs ipsa suas repetet pro crimine poenas.
Talia jactabat secura mente nefandus

Molitor scelerum; Princeps subsidere magnam
Tempestatem animo sensit, risitque malignum.
Tigellinus abit. Magno procedit honore
Per vastas aulas, dextra laevaque frequentes
Circumdant famuli, et domini assectantur amicum,
Caesareaeque domus columen insigne. Triumphat
Laetitia insolita Nero, seque e sedibus altis
Extulit, et tota laetatus obambulat aula.
Mutatum aspiciunt sparsi per magna ministri [22]
Limina; qui taciti nuper moestique dolore
Principis indoluere, vicem mutare laborant;
Ridenti arrident, animisque audacibus extant.
Mox ille: Hebraeus, nisi fallit opinio, nostram
Justitiam implorat. Nostram revocetur ad aedem
Ocius; ipse gravem cupio cognoscere caussam.
Nec mora: festinant jussi et mandata sequuntur.

Ex quo funestam Princeps remeârat ad aulam,
Burrus et Annaeus venientis imagine foeda
Terrentur, superasque petunt evadere ad aedes;
Solus squalenti perstabat Paulus in umbra,
Opperiens casus constanti corde futuros.
Namque licet rerum discrimina mille recursent,
Omnia quae obveniunt animo, solamine magno
Laetatus recolit, lacrymisque ita fatur obortis:
Haud equidem licuit tantos superare labores,
Te sine, magne Pater: dextra omnipotente per ignes
Servasti incolumem, per mille sequentia tela [23].
Quod spiro, omne tuum, Pater, est: mihi sola cupido
Posse placere tibi: mortales amplius horas
Quid moror? hoc uno fuerit gratissima tellus,
Si toleranda tuo pro nomine plura supersunt [24],

Si defensorem certamina plura requirent
Christiadûm, et tua prodigiis caelestibus aucta
Gloria florescet. Dixit: totamque per aedem
Lux subita emicuit: media vox reddita luce:
I, sequere audacter: nostras testare loquelas
Caesareum ante thronum: quae dicas, ipse docebo.
Nec longum in medio tempus, reserata patescit
Janua magna domus: hastilibus horrida densis
Irrumpens pubes captum circumdedit. Ille
Nil metuens: Paulum petitis? quem quaeritis, adsum.
Ducite, Romulidae: vultuque immotus eodem
Constitit. At custos, horrendi carceris antro,
Qui vigilans seros nocturni ad luminis ignes,
Omnia spectârat tacite, captique stupescens
Virtutem insolitam, casum miseratus iniquum est:
Ut primum accessit, resolutaque vincula jussus
Innectit manibus: Senior venerande, molestum
Cogor ad officium; nulla pallescere culpa
Innocuum video: sic me tueatur ab axe,
Quem colis ipse, Deus, vitae me poenitet actae.
Parce mihi, et numero comitum me ascribe tuorum.
Cui Paulus: Rata vota bonus Deus excipit. Ipse
Qui mites spectat nullo discrimine mentes,
Non dedignatur custodem carceris, arcem
Omnibus aetheriam reserans, regnumque paternum.
Deserit interea stridentia claustra domumque
Aerisonam, tumidique subit funesta Neronis
Limina: stant circum praetoria tela cohortes
Innumerae, saevoque aditus custode coronant.
Ecce autem Princeps solio consedit eburno:
Jamque age quid venias, inquit. Quae causa subegit

Longinqua e Tarso nostram contendere ad urbem?
Objiciunt quae multa vides. Nec plura: piumque
Se simulat. Tamen obscuro clementia vultu
Diffugit inconstans: animo diversa loquentem
Omnes accipiunt, rerumque eventa perhorrent.
Ast heros nulla placidus formidine fatur:
Romulidûm Princeps, iterum ad tua limina supplex
Advenio. Injustis Solymorum exercitus iris
Caesarium solium romanaque jura vocavi
Quondam, ut romano removerem corpore virgas.
Nunc noxae dabitur Tiberim transnâsse, locoque
Deserto expositos certae spectacula morti
Servos procurasse senes? Vilissima rerum
Mancipia immites domini morienda relinquunt:
Et nostri adsimiles generis, sanctoque redemptos
Sanguine, totque malis tardaque aetate caducos
Eripuisse neci Romae multatur, ut ingens
Esset flagitium? Sed Caesar talia fantem
Conspexit, patulo distorquens ora cachinno:
Haec tibi parcam, inquit: sed nunquam ferre nequibo
Progeniem hebraeam Romam turbare quietam.
Tum Paulus: Quondam confidentissimus unus
Pro templo steteram, et pro Relligione parentum.
At Domini vox omnipotens me in castra vocavit
Christiadûm. Hic Caesar furiosior intonat ore:
Christiadûm dicis? Latet hoc sub nomine partis
Tessera judaeae: de Christo plurima novi,
Quem quondam petiit Romae inter cetera poni
Numina [25] mens Tiberî: petiit, renuitque senatus.
At nunc, proh! nostro prognata infamia saeclo!
Detestanda lues, et inexcusabile probrum

Commaculat nostram mala per contagia Romam.
Quod Judaea pati nequiit, nostram occupat urbem;
Humanique odium generis, miserabile vulgus
In triviis errat, praecelsa palatia scandit,
Et pede securo nostram pervasit in aulam.
Scilicet ut Romam evertant, solioque Neronem
Expellant? Nostra Judaeus sede sedebit
Rex alius? Demens! porro dementia ferro est
Delenda atque igni! Placidus cui talia Paulus:
Et me Romanum fateor, nec gloria Romae
Quemquam adeo tangit. Nôrunt, qui nostra frequentant
Agmina, compositas cum victima major ad aras
Libatur, magnus si in vota precesque sacerdos
Cessat. Quam multa oramus pro principe rerum [26],
Pro te, Romulidûm princeps, quem avertere sacris
Conjurant nostris inhonesto nomine culpae.
Nôris Christigenas? uno virtutis amore
Praecellunt aliis: et nos qui praesumus, unum
In terris conamur opus, spes omnibus una,
Ut Christi regnum toto dominetur in orbe,
Sanctae virtutis magnum, laetabile regnum.
Audiit orantem Caesar, veniaeque paratus,
Moribus antiquis dici, aut potuisse videri
Mutatus voluit: clementis imagine quadam
Virtutis, sparsae in vulgus mala murmura famae
Emendare studens, collectas comprimit iras.
Mollius alloquitur: Neque te, Judaee, morabor;
Vinclorumque jubens geminata volumina solvi:
Jam jam salvus abi; patrio te limine siste
Incolumem: video caussamque caputque malorum
Invidiam; nostra insontem clementia servat.

Nec plura effatus foribus sese intulit altis.
  Tertia lux aderat sanctis solemnior aris:
Ad sacra Christiadûm plebes confluxerat omnis,
Communemque precem templo geminabat in uno.
Ipse etiam veniens alacer Galileïus heros,
Fulgebat mediis in millibus, atque vocabat
Caelicolas omnes sanctae defendere Romae
Principium, et stygii conatus frangere regni.
Omnibus idem animus fuerat, votum omnibus unum.
Et qui sidereo circumspicit omnia templo,
Unanimem sese terris attollere vocem
Audit natorum, et patrio miseratur amore.
Ille quidem lucis pater et purissima origo
Aetherium plerumque thronum caliginis atrae
Majestate replet, pedibusque horrenda tonare
Fulmina, terrifico procedere murmure linquit
Luctantes Euros: sed tali saepe furore
Propositum fidei constans, animumque tenacem
Explorat. Sponsae mittit certamina carae,
Luctificos mittit casus, tristesque dolores:
Visa odii indicia, at sancti sunt pignora amoris.
Tunc Sunamitis primo mutata colore
Engaddi supra colles descendere cernens
Tempestatem atram, vinetaque culta [27] maligna
Grandine quassari, lacrymosis aëra replet
Questibus; et Superûm Rector placatus inanes
Non sinit ire pios gemitus aut irrita vota.
  Dum sua Christigenae geminant suspiria, dumque
Orando unanimis populi fiducia crescit,
Ingreditur Paulus pleno sacraria coetu.
Laetitia est ingens commisto exorta tumultu:

Ipse triumphato redeuntem ex hoste (frequentes
Circumstant comites) sanctam ducebat ad aedem,
Maximus Antistes, festisque altaribus ambo
Procubuere genu, et solvunt solemnia vota.
Tum vero assurgens Paulus sic fatur ab ara:
Haud equidem, socii, tali me dignor honore:
Totus honor Christi, si quid cum laude patratum.
At vos si pietas tangit pastoris amati,
Hoc precor, unanimes Christo persolvite grates,
Me quod abortivum [28] dignatur munere tanto,
Ut lectus sancto possem pro nomine virgas,
Atque ignominias et vincula et horrida lustra
Carceris, innumerosque necis tolerare labores.
At quae praesagus quondam portendit Agabus [29],
Nunc graviora manent. Laeta regione redibam
Caesarea, hospitiumque dabat Philippus amicum;
Quo simul ac vates ipsum me accumbere vidit,
(Me Tarsi is pulchre nôrat) sacro excitus oestro
Constitit, intorsitque oculos, zonamque resolvit
E nostro latere; atque manus religare pedesque
Ipse sibi: tum, afflante Deo, sic farier orsus:
Vir, cujus zona haec, vinctus retinebitur urbe
Jerusalem, inque manus gentis captivus abibit.
Hic flebat simul ipse, simul circumflua turba.
Jerusalem vatis firmavit praescia verba,
Et nunc hesperias venio moriturus ad oras.
At Petrus illustri palma, socioque recepto
Exultans stabat: superis mox ignibus actus,
(Nec jam exundantem potuit compescere corde
Laetitiam) tali exolvit praeconia voce [30]:
Tempus adest Domino dignos depromere cantus,

Qui bonus est, omni qui clementissimus aevo.
Dicat nunc omnis nata Israële propago:
Qui bonus est, omni qui clementissimus aevo.
Dicant Aronidae: Bonus est, Clementia sancto
Semper adest lateri. Dicant, quicumque vereri
Edidicere Deum: Bonus est: non ulla valebunt
Saecula inexhaustos bonitatis claudere fontes.
Me, quoties supplex sub aperta pericla vocavi,
Audiit orantem, laqueoque exolvit ab omni.
Ipse mihi adjutor Dominus: quaecumque lacessat
Vis adversa hominum, nulla formidine tanget.
Ipse mihi adjutor Dominus: si cominus hostes
Tercentum occurrent, tela aspernabor iniqua.
Quam melius Domino, quam humano fidere nisu!
Quam melius tutam a Domino sperare salutem,
Quam sese procerum vanis committere verbis!
At tu, Christiadûm Pater optime, maxime, salve:
Ne nobis sit partus honos: tibi gloria soli
Cedat; sed nobis bonitas tua prisca perennet,
Ne quando elatae nostro discrimine gentes:
Ah! ubinam Deus illorum est? convicia jactent.
In caelo Deus est noster: quaecumque placebunt,
Ipse facit: nullam omnipotens scit dextera metam.
Dextera virtutem exeruit divina: subacto
Dextera nos divina dedit dominarier hosti,
Dextera virtutem exeruit divina potentem.
Talia clarisona declarant gaudia voce
Christiadae laeti: festum testata fragorem
Ardua vicino reddunt Capitolia clivo.
Atque adeo ardentem rapuit praefervida turbam
Laetitia, ut medium amplexi per maxima Romae

Compita victorem plausu fremituque referrent.
Sed vetuit Petrus: Neque enim fas tempore laevo
Ingenti strepitu turpes excire profanos;
Nec dum terrarum vastum qui condidit orbem,
Uni victa suo famulatur numine tellus.
Et nos improbitas vario circumfremit astu.
Quas Patris magnas media inter gaudia voces
Accepere omnes, et ubique silentia facta.
Ilicet incipiunt sacris discedere tectis,
Agmine partiti tacito, celantque tenebris
Laetitiam, et magno miscentur vortice Romae.
At Nero majores elata mente triumphos
Sollicitat: nec parva capit jam Roma canentem;
Externosque adamat plausus, scenamque theatri
Majorem. Ipsa favet magnis sors prospera coeptis;
Namque oratores mittebat Graecia Romam,
Qui domino rerum cantoris praemia prima
Afferrent. Stulto placet assentatio Regi.
Legatos adhibet mensis, multisque moratur
Alloquiis: vocem illi unam laudare nitentem,
Caelestem, multisque orant, ne longius orbe
Submoto vectos sacri dulcedine cantus
Fraudaret. Facilis dictuque affabilis ille
Arridet, coenaque super cantavit Achillem
Hectora raptantem ter circum moenia, moestas
Crinibus Iliadas passis, casuraque Troiae
Moenia. Tum vero varios mutare colores
Adspiceres Grajos [31]: alius flet mollior; ille
Tellurem pedibus tundit, clamatque stupescens
Laetitia: resonat festivis plausibus aula:
Effusique omnes magna in praeconia laudum

Phoebum ipsum appellant, maiorem et numine Phoebi.
Ille at felicis successus gaudia testans:
Id quidem ego nôram: o soli cantare periti
Grajugenae [32]; soli nôrint audire canentem.
Ipsa quidem nostram non aspernabere vocem,
Graecia: mox veniam magna in certamina, tuque,
Sperârim saltem, insigni redimire corona
Gaudebis. Siluit ridens, genibusque voluti
Assentatores lacrymis, precibusque fatigant:
Anne aliud Graecis fuerit jucundius usquam,
Quam contemplari propius sacra ora, fluentemque
Haurire attonitos mira dulcedine vocem?
Lymphatam mentem rapit irrequieta cupido.
Libera qualis ubi stabulis erupit ab altis
Armentalis equa, et campis exultat apertis;
Nequicquam domini remoratur cura sequacis;
Avia per saltus vacuos, per nota vagatur
Pascua, et herboso spatiatur libera prato;
Talis erat Nero; vix, Graecis monstrantibus, aether
Largior adparet, te, Graecia, postulat unam,
Arrectasque fovet spes, et sublime videtur
Ferri, jamque audit strepitus, plaususque secundos,
Liberiora petens arti spectacla magistrae.

Non tamen ante audet dubio se credere campo,
Quam te, Parthenope, invisat. Mea patria, salve;
Non indicta tuae segnis decora inclyta laudis
Praeteream, ingratisque sinam languere tenebris.
An quaequam statio toto formosior orbe,
Ridet ubi tellus, ridet mare, sidera, caelum?
Tyrrheno ipsa sedens roseas lavit aequore plantas,
Plurima dum adversi salis oblatrantibus undis

Insula defendit: spatiata utrinque recludens
Brachia, vallesque et laetas complectitur urbes,
Et caput inflexum monti reclinat opaco.
Contra elatus humo toti supereminet orae
Ingens Vesevus: caelo capita ardua tollens
Flammantesque humeros, qualis custodia pernox
Subjectam servat vallem: nunc concipit iras
Innocuas luditque senex: super ignis inerrat
Parvulus, et placidas circum discriminat auras;
Nunc veteris memor imperii nova damna minatur,
Internisque furit specubus, ruptisque caminis
Grassatur, flammaeque globos, et saxa volutans.
Nempe sacra est tellus: qua vertis lumina cumque,
Natura inspersit rerum miracula: saxo
Scripta vides omni priscae vestigia laudis.
Nec vos indictas jucundo carmine linquam,
O Surrentinae valles, et amoena vireta,
Qua domus est sanctis Torquati cognita musis:
Nec te qui florens clivo laetaris amoeno,
Pausilype, et magni servas sacra ossa Maronis.
Salve iterum, salve, venerabilis urna: virenti
Frondescat laurus ramo, rosa spiret odores
Perpetuos. Prope Syncerus musaque Maroni
Proximus et tumulo dormit, cineresque beati
Virgineos partus, magno aequaevamque parenti
Progeniem cecinisse tuba, sonitusque canoros
Saepius ingeminare sacra laetantur in aede.
Parte alia Pontani ingens, jactantior umbra
Citrea per nemora exultans, collesque peragrat,
Antiniana, tuos; illum caelo edita caelo
Uranie toto numerantem sidera ducit;

Et nunc Hesperidum silvas, genialiaque arva
Citrigenumque canit decus: aut graviora subacto
Ingenio meditans lectum catus educat ingens
Robur opemque virûm; resonatque Academia plausu;
Ingentem repetit plausum Sebethus ab ima,
Et repetit supera Eridanus commotus ab unda [33].

Quod si stellifero veniat nox splendida peplo,
Et fessum curis aut candida Mergelline
Aut te regifico recreabit Olympia [34] luxu,
Dum Capreas, tristes scopulos, spumantibus undis
Innare aspectas, et circum lumine rident
Perpetuo Stabiae, et Rhetinae proxima tellus,
Dum vaga nocturnas meditatur in axe choreas
Cynthia, dum celeres tranquilla per alta carinae
Certatim volitant, si regia villula laeto
Ceperit hospitio, et circum modulamine suavi
Audis Harmoniae centum resonare ministros;
Non dices hic Elysios ridere beatos?
Syrenaeam urbem somno lusuque jacentem
Santeramus pater ingenti complectitur umbra;
Cuncta tacent: sed musaeo saturata lepore
Aura sonat, tuque aethereas spatiaris in oras,
Avius, ingenti tactus dulcedine rerum.

Nempe animo sedet ingenui vis ignea pulchri
Sedula formatrix: vultu exteriore locorum
Interiorem animum aequavit natura creatrix,
Sensusque arcani superemicat impetus, ora
Atque aures complens. Nam quis cantare peritus
Mirificis totum implevit concentibus orbem,
Nec prius hic Siren vocis solemnia fecit
Arbitria, aut sperata dedit primae omina palmae?

Nec vero abludens quondam vaga fabula finxit
Melpomene natas, citharaeque insigne ferentes
Postquam vicere aonias certamine musas,
Theleboûm naves tyrrhena per alta secutas
Ad Capreas posuisse pedem: tum gurgite cano
Virgineo extantes vultu modulamine vocis
Ambrosiae attonitos nautas tenuisse propinquos;
Quarum quae forma pulcherrima Parthenopaea [35]
Nequicquam incerta socios regione vagatos
Vicina suasit tandem tellure potiri.
Delius ipse ratem flexit, concessaque monstrans
Fata dionaeam emisit per inane columbam.
Ipsi urbem statuere loco, quem saga futuri
Monstravit dea: sed terras vix ipsa reliquit,
Parthenopen dixere urbem, titulosque sepulchro
Imposuere lyram, et solemnia justa frequentes
Instituere choros, primae praesagia laudis.
O liquidae genitrix vocis, magna arbitra cantus
Legitimique soni, tu prima pericula vocis
Augustae facis: ipse petit tua munera Caesar [36],
Crescentem laurum Sebethi ad fluminis actam,
Nec nisi solemni redimitus tempora fronde,
Judice te, graecos audet tentare triumphos.

Totius interea regimen quis sustinet urbis?
Helius [37] eligitur: longo jam cognitus usu
Caesareas quondam gazas Asiaeque beata
Arva procurârat; magnum obtruncare Silanum [38]
E genere augusto jussus mandata patrârat.
Et nunc effoeta pollens libertus in aula
Se jactat, dominusque vices sic tradit agendas:
Heli, quandoquidem me poscit Graecia, vocem

Miratura meam, Roma discedere cogor.
Urbs fidei commissa tuae: tu prospice longe,
Ne qui se a tergo possint attollere fluctus.
  Ergo theatrales scenis decora alta futuris
Expediuntur opes, aulaea imitata domorum
Limina, qua veteres lacrymosa tragoedia casus
Instaurat, tyrioque rigentes murice pallas
Atque auro syrma illusum, grandesque cothurnos,
Melpomenae decus, et veterum gestamina regum.
Augustani ingens properat comitatus, et ingens
Turba puellarum, atque aulae contagia foedae:
Illi, quo victrix proscenia lata pererret
Fabula, quaesitisque decens concordia constet
Plausibus; albatis hae cinctae vestibus omnes
Grandia plectra ferunt, verique imitamina vultus
Personas, mollesque lyras, quibus Orphea vincant,
Orphea mulcentem sylvas, tygresque sequentes.
Graecia trhejicio cantantem blandius Orpheo
Audiet, atque uni plaudet stupefacta Neroni [39].
  Haec ubi solemnis certo stetit ordine pompa,
Ceu pelopaea fero peteret si moenia bello;
Navigat armipotens selecto remige classis.
Conscendit lectam tota de classe biremem
Princeps: auleten acies densata sequuntur.
Et vix montana consurgens Casius arce
Jupiter [40] emicuit, suavi modulamine magni
Incipiunt sonitus, festis concentibus aurae
Per mare tranquillum antevolant; at Graecia tota
Mirabunda ruit conferta ad littora, pompae
Insolitum visura genus. Tibi Graecia gaude:
Flaminii et Memmi devicta potentibus armis

Ipsa triumphatam molli dulcedine Romam
Cernis, adesque tuis merito laetata triumphis.
At Caesar, tanto strepitu tantaque frementis
Vulgi laetitia, vix littora prima prehendit,
Tellurem Phoebo sacram, sanctisque camoenis
Suspicit attonitus, primaeque dat oscula ripae.
Tum secum: Tantum venienti Graecia plaudit;
Quid si divinae audierit miracula vocis?
Haec agitans magnam veterum praecurrere famam
Ardet: victrices, rarissima praemia, palmas
Judice contendit populo et spectante mereri.
Quatuor ingentes celebrabat Graecia ludos [41].
Clarior ante omnes extabat Olympia: victor
Amphitryoniades, deducto fluminis alveo
Alphoei eluerat stabulorum ingentia septa;
Fraudatus sed enim pacta mercede peremit
Perjurum regem, victorque apud Elidis amnem
Immensi posuit monumentum insigne laboris.
Parte alia ingenti sese Pythona moventem
Corpore, terrentemque gravi formidine Delphos
Contudit Arcitenens citharae pulsator, et idem
Si fera pugna vocat, certo implacabilis arcu,
Pythius unde parens populari carmine dictus;
Utque operis magni non infima fama maneret,
Pythia de domito dixit spectacla dracone.
Nec vos praeteream immemori illaudata Camoena
Isthmia, quae bimaris prope moenia vasta Corinthi
Instituit Theseus, Neptuno maxima sacra;
Nec quae digresso Nemei de caede leonis
Ipse Cleonaeo celebravit pastor in arvo,
Herculeo ut staret non impar gratia facto.

Tota aderat festis spectatrix Graecia ludis,
Seu quae foecundas Asiae praedivitis urbes,
Seu quae cognata Europae populosa tenebat
Oppida, Trinacriae seu quae tria culmina, quaeque,
Matre volente ipsa, Magnae, cognomen adepta,
Ausoniae extremas tutatur Graecia fines.
Hic pater [4] historiae Musarum nomine claros,
Tam suave eloquium! libros perlegit: aventi
Aure bibit populus primorum facta parentum:
Hic et Thucidides pugnata ingentia bella
Audiit illacrymans: tenero salit aemula corde
Flammula, et incendit magnae virtutis amore:
Jamque adeo gladios materna in viscera versos,
Eductasque acies in mutua praelia scribit
Ingenio pernix. Halicarnassia musa
Suavior incedit, manantque poetica mella;
Vincit Olorides magna gravitate magistram.
Hic magnis animis ausa est Thebana virago
Thebano vati ancipiti contendere cantu.
Foemineo sive exultans audacia nisu,
Inclyta seu rapuit certantis forma tuentes,
Graecia pindarica vidit pallescere fronte
Arentem palmam, tenerae quae flava puellae
Tempora praecinxit populoque ostendit ovantem.
Et tu consessus resono memorabere plausu,
Qui patria Crotone fovens magna ossa lacertosque,
In medium egrederis stadium, taurumque furentem
Nudae ictu dextrae sternis, populoque stupente,
Praevalidis sublatum humeris per Olympia magna
Portas, immensum nec pondus tardat euntem.
Quid porro mirum, ingenti si Graecia tota

Infremuit plausu, si animis elata jubebat
Urbis victorem per diruta moenia ferri?
Quid muris [43] egeat, quae talia corpora gignat
Patria? quique ausit succedere moenibus hostis?
Haec fuerunt quondam: sua nunc opprobria cernit
Graecia, primaevae potata oblivia laudis.

Ut grajis Caesar posuit vestigia terris,
Imperii cunctos, et majestatis honores
Deposuit, barbam abrasit [44], crinesque fluentes
Molliter ambrosio subnectit circulus auro;
Et sese victor media in certamina miscet.
Corpora nunc liquida exercet praedura palaestra,
Circensi rapidos agitat nunc pulvere currus;
Nunc canit, et varia sophoclaei carminis arte
Nunc furit infelix animi, nunc parturit, et nunc
Caecutit; et laqueos persaepe et vincula sentit;
At sacram ferro dextram temerare perhorret;
Auro conciliatur honos, amat aurea vincla.

Clarior at primas sibi poscit Olympia palmas.
Non modo semotos peragrat praenuncia fines
Fama, sed exciti jussis ingentibus omnes
Grajugenae accurrunt. Tyrio conspectus in ostro
Octijugem ducit per olympica septa quadrigam
Ipse auriga Nero Caesar: loca sorte leguntur:
Centum quadrijugi reserato e carcere currus
Aequantur: data signa: ruunt, jamque acta per auras
Nubes pulvereo involvit subsellia nimbo.
Concutere immissis undantia lora videres
Aurigas sine more jugis: hos verbere torto
Pellere quadrupedes: metas ardentibus illos
Evitare rotis, rapidosque inflectere currus.

Doctior ante omnes lectas moderatur habenas
Augustus. Fremitusque inter turbamque sonantem
Jam jam septenos compleverat ordine gyros,
Cum tergo instantem bigam, jamjamque minantem
Respicit audaci cursu contingere metam.
Uritur invidia Caesar, currumque virumque [45]
Quadrupedante fero in mediam deturbat arenam:
Concidit infelix curru dejectus inani,
Et rota per medium secuit superincita: cernit
Vitam exhalantem totumque cruore madentem
Improbus, et risit, secumque obscoena caterva
Risit: tum incumbens circi spatia ultima victor
Exuperat, summaeque prior tenet omina metae.

Jamque alias Aurora rubens induxerat ortus,
Clara corinthiaco poscebant proemia in Isthmo.
Tercentum athletae vacua pugnare palaestra
Conveniunt: quis romano se conferet audax
Alcidae? metuunt in certa pericula ferri.
Pammenes [46] infelix! senio consumptus et annis
Jam rude donatus jucunda per otia vitam
Exigis: at somno Caesar te educet inerti;
Et quoniam princeps graja luctator in ora
Jactaris, cum magno aude certare Nerone.
Cum sene congreditur Caesar, cunctisque trementem
Artubus exuperat, mediaque evertit arena:
Semianimis cadit ille: choro ridetur ab omni.
At neque praesenti, neque prisco Caesar in aevo
Debet habere pares: posuit quod grata Corinthus
Pammenidi egregium pario de marmore signum,
Eversum, statuaeque omnes, spirantiaque aera
Procubuere, vetus quotquot victoribus aetas

In triviis posuit, virtuti praemia summae.
At Caesar tantae ingenti sub acumine laudis
Altior intumuit: geminum mare jungere tentat,
Perque Isthmum medium patulam deducere fossam [47].
Stant ripa instructae, praetoria signa, cohortes,
Haud aliter quam si horribilis tentamina martis
Immineant: prior incedit Nero Caesar, et auream
Dulce movens citharam, meditataque carmina dictans,
Numina compellat tumidi maris omnia, teque
Humentum, Neptune parens, generator aquarum,
Et te quae centum gremio complexa nepotes
Undisonum pelagus perlaberis, Amphitrite;
Doride vosque omnes natae, Oceanitides omnes
Quaeque lacus colitis clausos, amnesque sonantes,
Nereides: vobis ducibus, neptunia regna
Latius imperium accipiunt, sedemque recentem.
Ilicet accedit Consul, dextraque ligonem
Porrigit auratum: dextra Nero corripit ardens,
Terque fodit terram, et collecto pulvere ditat
Virgatum calathum: socium tunc agmen ad ingens
Exhortatur opus: magnus ferit aethera clamor,
Aequora quo scopulique sonant et proxima tellus.
Magnum opus exactis audax opulentia saeclis
Tentavit toties, exantlatique labores
Incassum cecidere. Jugo praerepta nefando
Graecia Turcarum, inque novae sublata juventae
Robur inexhaustum, molimina prisca resumit.
An rursus coeptum damnabit inutile sera
Posteritas? cuncta ingenium, atque industria solers
Humanis opibus superant, tantumque audere necesse est.
At Natura ultrix horrendo accincta flagello

Insequitur sontem, et variis terroribus urget.
Dum foeda illuvie graecas contaminat urbes
Augustus, cedit Lacedaemone, cedit Athenis [48]:
Hinc pavidum revocant sanctarum oracula legum,
Atque Therapnaei virtus austera Lycurgi,
Inde sacra Eumenidum, furiisque agitatus Orestes.
Tentat Eleusynae mysteria noscere matris:
Ast ubi terribili sonuerunt atria voce,
Praecone inclamante: Procul, procul este profani;
Contremuit, sacroque deae de limine fugit.
At non sortilegis haeret sententia Delphis:
Namque sagax veri vates consulta petentem
Alcmaeona vocat, monitisque horrentibus angit.
In furias abiens Caesar sacra jugera Phoebi
Cyrramque et Delphos in pubblica commoda vertit,
Immanemque specum obstruxit penitusque cavernas
Ingentes, superas sese unde ferebat in auras
Halitus, eventis reserans oracla futuris.

At non horrendi monitus, non ira Deorum
Infandis manifesta notis cohibere furentem
Evaluere animum. Ludis circensibus unum,
Unum victorem cunctis mirata palaestris
Graecia: quinam ausit dia contendere voce?
Aurea stat coram ducendis sortibus urna.
Dum citharoedorum miscentur nomina, primus
Exilit ante omnes Caesar. Clamore secundo,
In medium egreditur, nutuque et voce salutat
Spectantes cupidos, instructaque pulpita scandit.
Suggestu in magno comites supereminet omnes.
Praefectus citharam fulcit praetorius: ipse
Principio arrectas dulci modulamine mentes

Apparat. Inde gravis medium progressus in orbem,
Consulis officium functus *Niobem* edidit: omnes
Arrectos animos, et suspensa ora tenebant:
Ecce autem Caesar divino percitus oestro
Septenos natos gremio genuisse beato
Cantabat matrem misera ambitione tumentem:
Quae mox Latonam geminamque lacessere prolem
Aemula tentavit: proh gaudia vana superbae!
Cynthia silvarum cultrix, et laesus Apollo
Lethiferos arcus, venatricemque pharetram
In miseram impulerunt: levibus confossa sagittis
Corpora gnatorum illa videt morientia, et uno
Adspectu stetit ingenti perculsa stupore.
Non ipsae immoto cunctatae luminis orbe
Invenere viam lacrymae: miserabile visu!
Caelicolas pietas movet, indignumque dolorem
Solantur. Lapide illa manet mutata rigenti.
Talia flexanima Caesar nunc voce canebat,
Et nunc argutum metuens arescere guttur
Pulsabat citharam manibus seu pectine eburno,
Mutabatque novo fessas modulamine mentes.
Exin persona varia heroasque deasque
Assimulans tragicam traxit per pulpita pallam:
Oedipoda incestum exhibuit, prolemque *Canacem*
Enixam, et proprio incumbentem desuper ense.
Sic spes certantum decimam produxit ad horam.
Nulli permissum conferto exire theatro,
Aut segnem monstrare animum; et non plaudere crimen.
Vespasiae genitus quam pene novissima fata [49]
Vidit! dignatus dirum comitare tyrannum,
Interdum strepitu in medio discedere visus,

Quondam opere in longo obrepsit sopor altus inerti.
At non desidies abiit sine vindice poena.
Jussus abire choro fugit, occultique tenebris
Se tegit oppiduli nemorumque inglorius umbris,
Anquirens Titum certae subducere morti.
Heu! fuge crudeles auras, puer inclyte, mores
Heu! fuge corruptos: jam nunc adsuesce ferocis
Cernere fortunae lusum, eventisque futuris
Dignos finge animos. Te felix destinat aether
Magnis auspiciis rerum, te cernua Roma
Victorem excipiet, servatoremque vocabit.
Interea Caesar, veteris non immemor artis,
Divitiis inhians, locupletum limina nota
Ingreditur: tum ficta vocans in crimina lectos
Grajorum extinguit, spoliisque incessit opimis.
Nec minus intacti jura inviolata pudoris
Deserit, aut foedis abscondit furta tenebris.
Credens supra hominum leges, supra ire deorum
Majus inauditum calefacta mente revolvit.
Nubere Pythagorae conspexit Roma, sed illud
Connubium vetus; augusta nutritus in aula
Alter erat juvenis, roseoque micabat in ore
Lumen purpureum. Huic praeclari gloria cedit
Conjugii. Tantum laudavit Graecia factum,
Quique homines infra malesana mente putandus,
Illa deum colit, et dios indicit honores.
Talia dum grajas maculabant orgia terras,
Quid faciet sancti custos Ecclesia coetus?
Adveniente lupo veluti plenisque minante
Jam stabulis, extemplo ovium custodia solers
Inflexo insonuit cornu, lectosque magistros

Admonuit pecudes in tuta reducere septa,
Romani haud aliter supremus Rector ovilis
Excierat monitis fortissima pectora fratrum,
Praesenti errantes agnos servare periclo.
Hellados in primis duo lumina, clara Corinthus,
Et quae majori pollent sapientia Athenae,
Pollutum hospitium, lacrymosaque damna queruntur.
Unus item gemitus cunctis attollitur aris
Ad superos: caelo devota, et debita caelo
Graecia Christiadûm caeco pro principe, cara
Orat pro patria, et caelestem demovet iram.
At qui Cecropias servat Dionysius arces,
Primores populi, populumque in templa vocavit,
Monstravitque ferae vestigia prima ruinae,
Offusas menti tenebras, et crimina caecis
Indita pectoribus: Quae dicam, quaeve tacebo?
Heu! heu! praepetibus ratio graecanica pennis
Dignata est, terras queis aspernata jacentes
Surgeret, et superos, intacta cacumnia, montes
Exuperans fulgente Dei requiesceret ore.
Saepius ingenii subnixa potentibus alis
Aëra per vacuum visa est spatiarier, atque
Aeternas penetrare domos, superûm aurea templa.
Olli vultus erat multa et praeclara minantis:
Infelix! tanta nequiit consistere sede,
In terrasque ruit: vaga per deliria rerum
Incertasque scholas non extricabilis error
Implicuit: demum visco male vincta tenaci
Huc demum recidit, quod vires caeca negando
Ipsa suas proprio sese demessuit ense.
Pectore sed vocem Omnipotens impressit in imo,

Interiore loqui quae lumine quiret, et unum
Arcanum Numen miseris ostendere terris.
Quae fugiunt oculos [51], penitusque absconsa recedunt,
Omnipotens virtus, aeternaque gloria splendent
Omnigena rerum serie, quas dextra creatrix
E nihilo eduxit: nullum excusabile crimen.
Sponte sua obseptae crassa caligine mentes
Heu! heu! sacratum, nec corruptibile nomen
Mutavere Dei, corruptaque signa figuras
Praetulerunt vanas hominum, caelique volucres
Quadrupedesque feros et amantes lustra dracones.
Maluerunt segnes rebus servire creatis,
Quam laudes tibi ferre, hominum terraeque Creator.
At Deus injectis compescuit impia poenis
Saecula, quae potuere Deûm cognoscere verum;
Posthabuere tamen, foedoque oppressa veterno
Indita praeterire animae spiracula, et ultro
Pro vero coluere Deo mendacia ficta.
En desideriis vanissima pectora foedis
Praeda jacent immunda: natant, justissima poena,
Tartarea illuvie, et graveolenti sordida coeno.
At nos, dum grajas grassatur foeda per urbes
Contages, nostrasque licentius inficit aedes
Insidians, quidnam facimus? nos provida caelo
Virtus exitio eripuit, coetuque profano
Vivere secretos voluit, turbaque nocentum.
Graecia praecipue incerto per devia gressu
Errans naturam suadentem recta refugit.
(Nullaque mundities superest et nulla virilis
Ornamenta animi; tanta est peccare libido!).
Si nulla in terris regio contendere vanis

Figmentis ausit, si crasso incondita fumo
Ipsa dedit populis contagia foeda propinquis,
Ipsa ferat mentem in melius, faciemque priorem
Exinde instauret; romanis addita caulis,
Graecia veridici ignescens ad lampada solis
Terrarum cunctas audentior ambulet oras,
Judicii emendata sui documenta propagans.
Quae modo lethiferum suavissima lingua venenum
Miscebat, sanctam referat renovata salutem.
Haec e sacrato vobis mysteria templo
Pandimus, o Graji; haec summo reddenda parenti
Gratia; quem mecum hic votis precibusque vocate.
Salve, magne Parens hominum, Rex optime, salve.
Ipse vides porro, fragili quam condita limo
Membra homines gerimus. Conceptum, te auspice, votum
Nascentis populi firma: mendacia Grajis
Emendare dato, et sanctum diffundere verum.
Talia dicebat secura mente Senator
Argolicus, sanctaque sonabat plenius aede
Inclyta vox dudum indignis compressa tenebris,
Actaque judicium taciturno reddere colle [52].

NOTÆ

[1] *Narcissi* — Fuerat Narcissus libertus Claudii potentissimus, qui, teste Tacito, in eodem gestamine cum Claudio sedem sumebat. Quaestoriis insignibus ornatus, cum de Claudii matrimonio ageretur, Aeliam Petinam fovit, Agrippinam arguit inque suspicionem adduxit. Denique ejusdem odio interemptus. Tac. X, 1. Nec minus properato Narcissus Claudii libertus, aspera custodia et necessitate extrema ad mortem agitur, invito principe, cujus abditis adhuc vitiis per avaritiam et prodigentiam mire congruebat. Nos apud Narcissum filium Christianorum coetum indictum excogitavimus, ut nocturnae precationes pro Paulo peragerentur. Cum autem Apost. ad Phil. IV, 22 habeat: Salutant vos, omnes sancti, maxime autem qui de Caesaris domo sunt: cumque XVI ad Rom. ait: 11. Salutate eos qui sunt ex Aristoboli domo: Salutate eos qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino, haud immerito hic tres domesticae Ecclesiae prae ceteris nominatim celebrantur.

[2] *Propagant* — Episcoporum qui a Christo αυτοῦς plenitudinem Sacerdotii accipiunt, munia praecipua delibavimus: quae sunt Verbi Dei praedicatio, Sacramentorum administratio, inter quae Episcoporum, Presbyterorum et diaconorum ordinatio jure divino adeo Episcopis reservata est, ut Presbyteris committi nequeat: potestas confirmandi neophytos, consecratio olei Cathecumenorum et infirmorum; prae cunctis Oratio.

[3] *Presbyteri* — Nomen graeci peculii est, et latine *Seniorem* significat, idque sapientia magis et doctrina, quam aetate. Alterum ab Episcopis gradum tenent, et maxima eorum potestas semper in Ecclesia fuit: et sane jam inde ab aetate apostolica baptizabant, concionabantur, Eucharistiam conficiebant, et administrabant, Ecclesiasticam poenitentibus communionem impertiebantur, aliaque id genus, at nonnisi Episcopo absente, vel, si praesens esset, ejusmodi negotia committente.

[4] *Fridolinus* — Nomina Sanctorum quae hic in medium afferimus, ex prioribus Ecclesiae scriptoribus hausta, et sua unicuique inest auctoritas. De *Evellio* et *Torpete* memoriam habes in Martyrolog. Rom. die 27 Maji et 11.: De *Herodione* et *Olympa* meminit Metaphrastes die 29 Junii. *Evaristus* Bethleemiticus fuit quintus a Petro Pontifex Romanus; *Beatus*, *Fridolinus* a Mamachio memorantur, velut Helvetiae Apostoli a Petro missi. Confersis Canisium in vita Ss. Beati et Fridolini: idem dicendum de *Achate* Rhoetiae Apostolo. De *Lucio* Cyrenensi supra lib. 3. *Nicasius* idem qui a Clemente Petri successore datus est Episcopus Rhotomagensibus; *Euchaerium* cum Aegisto et Marciano missum esse in Germaniam nobis auctor est Baronius. Habe tres alios ab Apost. ad Rom. XVI, 9. nominatim salutatos: Salutate *Urbanum* adjutorem nostrum in Christo Jesu, et *Stachyn* dilectum meum; Salutate *Apellem* probum in Christo.

[5] *Novatus — Timotheus et Novatus* duo fuerunt Pudentis filii: quos hic a romana militia ad Christianam atque adeo Ecclesiasticam transgressos facimus. Id profecto ab loco Ignatii ad Trallianos. Ep. 5. de Timotheo habemus. Vid. lib. I, 4. Not.

[6] *Servilia Virgo*—Tac. XII, 31. de nece Serviliae Bareae Sorani filiae Neronis jussu illata narrat: Interrogante accusatore, an cultus dotales, ac detractum cervici monile venumdedisset, quo pecuniam faciendis magicis sacris contraheret? Primum strata humi, longo fletu et silentio; post altaria et aram complexa: Nullos, inquit, impios deos, nullas devotiones, nec aliud infelicibus precibus invocavi, quam ut hunc optimum patrem, tu Caesar, et vos patres, servaretis incolumem. Sic gemmas, et vestes, et dignitatis insignia dedi, quomodo si sanguinem, et vitam poposcissent: viderint isti antheac mihi ignoti, quo nomine sint, quas artes exerceant; nulla mihi principis mentio, nisi inter numina fuit. Huc usque Tacitus. Si quis rem omnem sedule perpendat, nonne Christianae virginis fuisse dixeris, quod monile, nobile cervicis ornamentum, ceterumque mundum muliebrem distraxerit, ejusque pretium ad Christi pauperes alendos contulerit? neque mirum, si gentilicius scriptor Christianae rei ignarus magiae ream ipsam fecit, siquidem illis temporibus Christiani velut magi habebantur — *Rufe*. Ceteri quorum nomina, aut facta praecipua hic innuimus, in Epistola habentur, quam Paulus Cenchreis (erat navale Corinthiacum) ad Romanos scribit. XVI, 3. Salutate *Priscam* et *Aquilam* adjutores meos in Christo Jesu, (qui pro anima mea suas cervices supposuerunt, quibus non solum ego gratias ago, sed et cunctae Ecclesiae gentium), et domesticam Ecclesiam eorum. Salutate *Epenaetum* dilectum mihi, qui est primitivus Asiae in Christo. Salutate *Mariam* quae multum laboravit in nobis. Salutate *Andronicum*, et *Janiam* cognatos et concaptivos meos, qui sunt nobiles in Apostolis; qui et ante me fuerunt in Christo. Salutate *Ampliatum*, dilectissimum mihi in Domino. Salutate *Rufum* electum in Domino, et matrem ejus, et meam. Salutate *Asyncritum*, *Phlegontem*, *Hermam*, *Patrobam*, *Hermen*, et qui cum eis sunt fratres. Salutate *Philologum* et *Juliam*, *Nereum* et sororem ejus et *Olympiadem*, et omnes, qui cum eis sunt, Sanctos.

[7] *Phoebem* — Ib. Paul. Commendo autem vobis *Phoebem*, sororem nostram quae est in ministerio Ecclesiae quae est in Cenchris, ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis, et assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit: etenim ipsa quoque astitit multis et mihi ipsi. Quis non videt ex his verbis Phoebem hanc Ecclesiae Corinthiacae diaconissam fuisse? quae tunc temporis Romae versabatur. Neque alias porro opinamur clarissimas illas feminas in eadem epist. singulari laudum praeconio nominatas: Salutate *Mariam* quae multum laboravit in nobis; salutate *Tryphaenam*, et *Tryphosam* quae laborant in Domino: salutate *Persidem* carissimam quae multum laboravit in Domino. De *Perpetua* et *Plautilla* alias plura diximus: de *Claudia* mentio-

nem habemus apud Tim. 2. IV, 21. Salutant te *Eubulus*, et *Pudens* et *Linus*, et *Claudia* et fratres omnes.

[8] *Vetera omnia mundi*— Clarissime more suo Paul. Ephes. IV,22. Deponere vos, secundum pristinam conversationem, veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.

[9] *Vim patitur* — Matth. XI, 12. Regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.

[10] *Aliturus* — Josephus historicus de se narrat: Familiaritatem contraxi cum Alituro mimorum auctore, qui Judaeus genere Neroni carus erat. De Phygillo et Hermogene Paul. 2 ad Tim. 1. Scis hoc quod aversi sunt a me omnes qui in Asia sunt; ex quibus est Phygellus et Hermogenes.

[11] *Fatum* — Non inepte admodum Phygillus. Svet. XL. Spoponderant tamen quidam destituto orientis dominationem, nonnulli nominatim regnum Hierosolymorum, plures omnis pristinae fortunae restitutionem. Virg. Egl. 4.

Jam nova progenies caelo demittitur alto

. . . .

Cara Deûm soboles, magnum Jovis incrementum.

Quod enimvero duplici ex causa animadvertendum: primum tanta inerat humanae dignitatis oblivio, tam foeda in Neronem adulatio, tanta malignitatis perversitas, ut Neronem (suo liceat vocare nomine, quem nec humano nec ferino genere natum quisque sanus merito dixerit), veluti fatis praesignatum Messiam gentibus acciperent: secundo Hebraeos, quem hodiedum obluctantes respuunt, communi expostulatione Messiam priori saeculo quaesivisse, sed terreni imperii cupiditate pessumdatos agnoscere noluisse, qui venerat *illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.*

[12] *Callistus, Pallas* — Claudius, teste Tacito VIII, 60. Libertos, quos rei familiari praefecerat, sibique et legibus adaequavit. Ipsemet Historicus de Pallante et Callisto pluribus agit passim, quos quaestoriis et praetoriis insignibus illustres ad summa omnia evexit.

[13] *Sejanus* — Quo tempore, ut ait Tacitus, libertis, et janitoribus notescere pro magnifico acceptum, Sejanus insanientis fortunae exemplar notissimum fuit. Cujus prima mentio extat, Tac. 1, 25. Praetorii praefectus Aelius Sejanus; ... magna apud Tiberium auctoritate, rector juveni, et ceteris periculorum praemiorumque ostentator. Incipiente adhuc potentia, bonis consiliis notescere volebat; at mox morum Tiberii peritus repertor facinorum fuit. Agrippinam evertit, nimia fortuna socors, Germanici sororem Liviam in matrimonium a Tiberio petit, eumque adeo sibi devinxit, Tac. III, 1. ut obscurum adversus alios, sibi uni incautum intectumque efficeret; non tam sollertia (quippe iisdem artibus victus est) quam Deum ira in rem

romanam, cujus pari exitio viguit ceciditque. Tiberius non modo in sermonibus, sed apud patres et populum ut *socium laborum celebrabat*, colique per theatra et fora effigies ejus interque principia legionum sinebat. Denique, detecta imperii cupidine, cum magna amicorum strage pervertitur; ipse cum sociis interfectus, ejus liberi puniti, et bona in fiscum coacta.

[14] *Syllae et Plauti* — De Plauto prima mentio in Tac. est lib. X, 19. Destinavisse Eam (Agrippinam) Rubellium Plautum per maternam originem pari ac Nero gradu a divo Augusto, ad res novas extollere, conjugioque ejus etiam imperio, rempublicam rursum invadere. Et idem Hist. X, 22. sic ejus mores describit: Ipse placita majorum colebat habitu severo, casta et secreta domo, quantoque motu occultior, tanto plus famae adeptus ... Et paulo post: Ergo permotus iis Nero componit ad Plautum litteras, consuleret quieti urbis, seque prave diffamantibus subtraheret: esse illi per Asiam avitos agros, in quibus tuta et inturbida juventa frueretur. Ita illuc cum conjuge Antistia et paucis familiarium concessit. De Corn. Sulla narrat Tac. X, 47. Suspectabat maxime Cornelium Sullam, socors ingenium ejus in contrarium trahens, callidumque et simulatorem interpretando. Et paulo inferius: Perinde tamen quasi convictus esset, cedere patria et Massiliensium moenibus coërceri jubetur.

[15] *Ceu Burrus* — Quibus Tigell. artibus in animum Principis irrepserit, ipse Historicus patefacit ib.: Non se, ut Burrum, diversas spes sed solam incolumitatem Neronis spectare: cui cavere utcumque ab urbanis insidiis praesentia; longinquos motus quonam modo comprimi posse?

[16] *Dictatoria* — Tac. ib. Erectas Gallias ad nomen dictatorium, nec minus suspectos Asiae populos, claritudine avi Drusi. Sullam inopem, unde praecipuam audaciam, et simulatorem segnitiae, dum temeritati locum reperiret.

[17] *Locupletibus arvis* — Tac. ib. Plautum magnis opibus, ne fingere quidem cupidinem otii; sed veterum Romanorum incitamenta praeferre; assumpta etiam Stoicorum arrogantia, sectaque quae turbidos et negotiorum appetentes faciat.

[18] *Percussor* — De Sulla Tac. haec habet: Sulla sexto die pervectis Massiliam percussoribus, ante metum et rumorem interficitur, cum epulandi caussa discumberet. Relatum caput ejus illusit Nero, tanquam praematura canitie deforme.

[19] *Stoicus* — Tac. X, 49. Plautus repertus est certe per medium diei nudus exercitando operi. Talem eum Centurio trucidavit... Caput interfecti relatum, cujus adspectu (ipsa principis verba referam); Quin, inquit Nero, et posito metu nuptias Poppaeae ob ejusmodi terrores dilatas maturare paras?

[20] *Burrum* — Tac. X, 51. Concessitque vita Burrus, incertum valetudine an veneno. Civitati grande desiderium ejus mansit, per memoriam virtutis et successorum alterius segnem innocentiam, alterius flagrantissima

flagitia et adulteria. Quippe Caesar duos praetoriis cohortibus imposuerat: Fenium Rufum ex vulgi favore, quia rem frumentariam sine quaestu tractabat; Sophonium Tigellinum veterem impudicitiam, atque infamiam in eo secutus.

[21] *Objecto Fenium* — Sic Tac. X, 51. Atque illi pro cognitis moribus fuere. Validior Tigellinus in animo principis, et intimis libidinibus adsumptus: prospera populi et militum fama Rufus, quod apud Neronem adversum experiebatur. Et exinde 57. Promptum fuit (Tigellino) Rufum Fenium imminuere, Agrippinae amicitiam in eo criminantibus. Et sane militari gloria Fenius florebat, quae Neroni erat formidolosa, ut idem Tac. Agric. Militaris gloriae cupido ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama quam ex mala.

[22] *Ministri* — Vide quae Tac. IX, 19. de aulicorum levitate narrat in subito Agrippinae infortunio: Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est, quam fama potentiae non sua vi nixae. Statim relictum Agrippinae limen. Nemo solari, nemo adire, praeter paucas feminas, amore an odio, incertum. Sed nemo adulatorias artes formosius, quam Juv. Sat. III, 98.

Natio comoeda est. Rides? majore cachinno
Concutitur; flet, si lacrymas conspexit amici,
Nec dolet; igniculum brumae si tempore poscas
Accipit endromidem; si dixeris aestuo, sudat.

[23] *Sequentia tela* — Et saepenumero testatur Apost, et prae ceteris ad 2, Cor. 1. 10. Ut non simus fidentes in nobis; sed in Deo, ... qui de tantis periculis nos eripuit et eruit, in quem speramus, quoniam adhuc et eripiet.

[24] *Supersunt* — I. ad Corinth. X, 33. Sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quaerens, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. Inque omnibus pene epistolis habes: Cui est gloria in saecula saeculorum, In laudem gloriae gratiae sue, In gloriam et laudem Dei, Soli Deo honor et gloria etc.

[25] *Mens Tiberi* — Tert. in Apolog. 5. Tiberius ergo, cuju s tempore nomen Christianum in saeculum introivit, nunciatum sibi ex Syria Palaestina, quod illic veritatem illius divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum cum praerogativa suffragii sui. Senatus, quia non in se probaverat, respuit: Caesar autem in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.

[26] *Pro principe rerum* — Vetus est calumnia, quod Christiani Principum voluntati aversarentur. Quod tanquam injurium nostris moribus Tertull. in Apol. 30 repellit: Nos pro salute imperatorum Deum invocamus aeternum, Deum verum, Deum vivum quem et ipsi imperatores propitium sibi praeter ceteros malunt. Sciunt, quis illis dederit imperium; sciunt qua

homines, quis et animam. Sentiunt eum esse Deum solum, in cujus solius potestate sunt, a quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes, et super omnes Deos.

[27] *Vinetaque culta* — Quod Ecclesia vineae emblemate fuerit figurata, satis aperte indicant evangelicae passim locutiones. Christi sufficiat parabola de operariis. At *Engaddi* vinea, et *Sunamitis* illa Virgo de qua III, et IV Reg. est sermo, et Christianam societatem, et Ecclesiam in sacris chartis praenunciant.

[28] *Abortivum* — Sunt ipsamet Pauli verba I, Cor. XV, 8. Novissime autem omnium tanquam abortivo visus est mihi.

[29] *Agabus* — Act. Apost. XXI, 8. Alia autem die profecti venimus Caesaream. Et intrantes domum Philippi Evangelistae, qui erat unus de septem, mansimus apud eum. Et cum moraremur per dies aliquot, supervenit quidam a Judaea propheta nomine Agabus. Is cum venisset ad nos, tulit zonam Pauli, et alligans sibi pedes, et manus dixit: Haec dicit Spiritus sanctus: Virum cujus est zona haec, sic alligabunt in Jerusalem Judaei et tradent in manus Gentium.

[30] *Praeconia voce* — Psalmus CXVII. Confitemini Domino quoniam bonus; quoniam in saeculum misericordia ejus. Dicat nunc Israel quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia ejus. De tribulatione invocavi Dominum et exaudivit me in latitudine Dominus. Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos. Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus. — *Tibi gloria soli* E Psalmo CXIII. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Super misericordia tua et veritate tua: nequando dicant gentes: Ubi est Deus eorum? dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem.

[31] *Adspiceres Grajos* — Horat. Art. Poet. falsas assentatorum laudes irridet:

> Clamabit enim: pulchre, bene, recte;
> Pallescet super his; etiam stillabit amicis
> Ex oculis rorem; saliet, tundet pede terram.

De Graecis vero Juv. III, 79.

> Graeculus esuriens in caelum, jusseris, ibit.

[32] *Grajugenae* — Svet. XXII, Instituerant civitates, apud quas musici agones edi solent, omnes citharoedorum coronas ad ipsum mittere. Eas adeo grate recipiebat, ut legatos qui pertulissent, non modo primos admitteret, sed etiam familiaribus epulis interponeret. A quibusdam ex his rogatus, ut cantaret super coenam, exceptusque effusius solos scire audire Graecos solosque se et studiis suis dignos ait.

[33] *Quam te Parthenope invisat* — Tac. XI, 33. Non tamen Romae in-

cipere ausus, Neapolim quasi graecam urbem delegit: Inde initium fore, ut transgressus in Achaiam insignesque et antiquitus sacras coronas adeptus, majore fama studia civium eliceret. Ergo contractum oppidanorum vulgus, et quos e proximis coloniis et municipiis ejus rei fama elverat, quique Caesarem per honorem, aut varios usus sectantur, etiam militum manipuli theatrum Neapolitanorum complent. Et Svet. XX. Et prodiit Neapoli primum; ac ne concusso quidem repente motu terrae theatro, ante cantaro destitit, quam inchoatum absolveret *νομον*. Ibidem saepius et per complures cantavit dies: sumpto etiam ad reficiendam vocem brevi tempore, impatiens secreti a balineis in theatrum transiit, mediaque in orchestra frequento populo epulatus, si paulum subbibisset aliquid se sufferti tinniturum, graeco sermone promisit — *Tyrrheno ipsa sedens.* Urbs Neapolis agrorum pulchritudine, caeli serenitate, et Europae *hortus*, et *ocellus* Italiae merito audiit. Tanta nobilium Romanorum frequentia abundavit, ut Cic. pro Rab. 10 dixerit: Deliciarum causa et voluptatis non modo cives Romanos, sed et nobiles adolescentes, et quosdam etiam senatores summo loco natos, non in hortis aut suburbanis suis, sed Neapoli in celeberrimo oppido cum mitella saepe videmus. Quid illa Horatii verba referam?

Et otiosa credidit Neapolis
Et omne vicinum oppidum?

In pulcherrimo Tyrrheni maris prospectu urbs amphitheatrum super Craterem videtur, qui a Capreis clauditur, *Capri*; faecundi eam colles complectuntur, inter quos Capimontium, *Capodimonte*, locorum varietate antecellit, et Pausilypus, *Posilipo*, in amoenissimo terrarum orbis angulo positum promontorium. *O surrentinae valles* — Qua Neapolis Picentinorum catenam prospectat, urbes selectissimas habes, quas inter hic nominavimus Retinam *Resina*, regii praetorii amplitudine insignem, Stabias *Castellammare*, Surrentum *Sorrento*, ubi hodiedum domuncula exteris illuc commeantibus indicatur *la casa del Tasso* — *Syncerus.* Supra Pausilypanum litus Sannazarii sepulcrum est in Ecclesia S. Mariae de Partu Virginis in ora Mergellinae, quam et ipse vates in pulcherrimo suburbano aedificavit. Cardinalis Bembus Sannazario familiaris tumulo superaddidit carmen:

Da sacro cineri flores: hic ille Maroni
Syncerus Musa proximus, ut tumulo.

[14] *Olympia* — Amoenissima Neapolis ora, quae cadem plaga Olympica *Chiaia*: supra assurgit villa Antiniana, *Antignano*, qua selecto rure, Academiam habuit Antonius Panormita, quae a Joviano Pontano, cujus nomen usurpat, aucta, superioribus saeculis, et hodiedum Neapoli, per Italiam perque totam Europam maxima celebritate perfruitur. Sannazarius opus conscripsit *de Partu Virginis*, cujus primi versus:

Virginei partus, magnoque aequaeva parenti
Progenies.

At Pontanus quamplurima: hic commemoramus *Uraniam* sive de Stellis, lib. V; *de hortis Hesperidum*, sive *de cultu citriorum* lib. II.

[33] *Parthenopaea* — Graeca colonia ex Euboea insula in Italiam vecta Cumas primum condidit, deinde Neapolim. Vellejus Pater. lib. I, 4. Nec multo post Chalcidenses orti, ut praediximus, atticis Hippocle et Mezathene ducibus, Cumas in Italia condiderunt . . . pars horum civium magno post intervallo Neapolim condidit. Addit fabula Parthenopem Eumeli filiam per maria et littora errantem in Italiam advectam, Surrenti promontorio consedisse, deinde sedem Neapoli condendae demonstrasse. De Parthenope patrii scriptores passim loquuntur. Prae omnibus Statius, Silv. III, 5. 78.

Nostra quoque haud propriis tenuis, nec rara colonis
Parthenope, cui mite solum, trans aequora vectae
Ipse dionaea monstravit Apollo columba.

[34] *Tua munera Caesar* — Hanc in musicis celebritatem nemo exterorum nobis invidet, qui et ipsi nonnisi neapolitano choragio collaudati per majora Europae theatra peregrinantur. Quae laus est antiquissima. Parthenope quidem clarissima Sirenum fuit, quae cantus dulcedine incautos traheret navigantes, et in urbe, politiorum artium cultu, florentissima, ipse Augustus gymnica et musica quinquennalia instituit, et frequentavit.

[35] *Helius* — Sive Aelius, ut ait Tacitus, libertus erat rei familiari principis in Asia impositus, isque Junio Silano proconsuli venenum inter epulas dedit.

[36] *Silanum* — Tac. lib. IX, 1. Prima novo principatu mors Junii Silani proconsulis Asiae, ignaro Nerone, per dolum Agrippinae paratur; non quia ingenii violentia exitum irritaverit, segnis et dominationibus aliis fastiditus, adeo ut C. Caesar pecudem auream eum appellare solitus sit. Sed Pl. lib. VII. de hoc M. Silano addit: Qui cum Asiam obtineret post consulatum (alii proconsulatu), Neronis principis successione, veneno ejus sublatus est. Tac. crimen rejicit in matrem, Plinius ascribit Neroni.

[37] *Stupefacta Neroni* — Inerat quidem ipsi persuasio se cantorum omnium principem esse. Svet. studia ejus commemorat, ut in hac arte praecelleret. XX. Inter ceteras disciplinas pueritiae tempore imbutus est musica: statim ut imperium adeptus est, Terpnum citharoedum, vigentem tunc praeter alios arcessivit, diebusque continuis post coenam canenti in multam noctem assidens, paullatim et ipse meditari exercerique coepit; neque eorum quidquam omittere, quae generis ejus artifices vel conservandae vocis causa vel augendae factitarent, sed et plumbeam chartam supinus pectore sustinere, et clystere vomituque purgari, et abstinere pomis cibisque officientibus: demum blandiente profectu (quamquam exiguae vocis et fuscae) prodire in scenam concupivit, subinde inter familiares graecum proverbium jactans occultae musicae nullum esse respectum. Svet. narrat XL.

Praedictum a Mathematicis Neroni olim erat, fore ut quandoque destitueretur, unde illa vox ejus celeberrima το τεχνον πασα γαια τρεφει; quo majore scilicet venia meditaretur citharoedicam artem, principi sibi gratam, privato necessariam. Cum vero Neapoli de gallico tumultu audivit: Nihil, Svet. XLI, aeque indoluit quam ut malum se citharoedum increpitum. Ipsa mortis impendentis hora, Svet. XLIV: Flens ad singula et identidem dictitans: Qualis artifex pereo.

40 ***Casius*** — Svet. XXII. Nec profectione dilata, ut primum Cassiopen trajecit, statim ad Aram Jovis Casii cantare auspicatus est. Qui vero ejus comitatus, a Svet. licet colligere, qui XX, ait: Adolescentulos equestris ordinis, et quinque amplius millia e plebe robustissima juventutis undique elegit, qui divisi in factiones plausuum genera condiscerent (*bombos, et ombrices, et testas vocabant*) operamque navarent cantanti sibi, insignes pinguissima coma, et excellentissimo cultu pueri, nec sine annulo laevis; quorum duces quadragena millia sestertiûm merebant.

41 *Ludos* — Svet. XXIII. Certamina deinceps obiit omnia. Nam et quae diversissimorum temporum sunt, cogi in unum annum, quibusdam etiam iteratis, jussit. Quatuor autem erant haec certamina: I, *Olympica* ab Hercule instituta, occiso Augia rege Elidis, qui mercede pacta fraudaverat propter stabulum fimo repurgatum: II, *Pythia* in honorem Apollinis ob caedem Pythonis serpentis: III, *Isthmia* in honorem Neptuni a Theseo rege Atheniensium celebrata in Isthmi Corinthiaci faucibus; IV, *Nemeaea* denique in honorem Herculis edita ob caedem leonis ab eo interfecti in Silva Nemea prope Cleonas urbem Achaiae.

42 *Hic pater historiae* — Insignia haec fuere certamina cum corporis, tum ingenii viribus. Praeter enim pentathlum, seu quintuplicem illam concertationem caestus, cursus, saltus, disci et palaestrae, selectissimi quique auctores sua ingenii specimina sive soluta sive ligata oratione exhibebant, exquisito judicum collegio, qui ea ad trutinam revocabant, et praecellentiori praemium largiebantur. In hujusmodi totius Graeciae conventu Herodotus Halicarnassensis, quem *Historiae patrem* et Cic. de Leg. et tota vocavit antiquitas, suavissimos illos Musarum nomine inscriptos libros perlegit; qua lectione permotus ad lacrymas filius Olori Atheniensis Thucydides historiam belli Atheniensium cum Peloponnensibus, scripsit, Cic. in Orat. 9 tanta styli excellentia, tantis sententiarum luminibus, ut post Herodotum omnes dicendi artificio in eo genere facile vicerit. Pindarus etiam Thebanus, qui lingua Dorica Olympia scripsit, et Pythia, Nemeaea et Isthmica, tanta floruit apud omnes gloria, ut Alexander cum Thebas everteret, Pindari vatis penatibus, familiaeque parci jusserit. Verum quamvis Lyricorum princeps et haberetur et esset, a Corinna Thebana virgine quinquies fuit victus. — *Qui patria Crotone.* Erat Milo Crotoniensis athleta, tantae fortitudinis, ut tau-

rum in Olympico certamine ictu nudae dexterae occiderit, et sine fatigatione per stadii spatium supra humerum portaverit.

[43] *Quid muris egeat* — Bene Spartanus ille apud Val. Max. III. Hospiti suo patriae muros excelsos latosque ostendenti dixit: Si mulieribus istos comparasses, recte; si viris, turpiter. Agesilaus apud Plutar. interrogatus, quibus muris cincta esset civitas, ostendit cives armatos. Hinc Sparta erat sine muris oppidum.

[44] *Barbam abrasit* — Notatum a Svet. est, XII. Gymnico, quod in Septis edebat, inter buthysiae apparatum, barbam primam posuit, conditamque in auream pyxidem, et pretiosissimis margaritis exornatam Capitolio consecravit.

[45] *Currumque virumque* — Haec adnotat Svet. XXIII. Quam autem trepide anxieque certaverit, quanta adversariorum aemulatione, quo metu judicum, vix credi potest. Adversarios quasi plane conditionis ejusdem observare, captare, infamare secreto, nonnunquam ex occursu maledictis incessere, ac si qui arte praecellerent, corrumpere etiam solebat.

[46] *Pammenes infelix* — Dion Cass. miserrimi senis nomen servavit Ner. VI, 8. Ideoque ut videtur, Pammenem illum, qui floruerat Caji temporibus, licet jam senectute confectum, certare coëgit, ut victor statuas ejus contumeliose tractaret. Svet. XXIV, omnia singillatim haec suae amentiae prodit judicia: Ac ne cujus alterius hieronicarum memoria aut vestigium extaret usquam, subverti, et una trahi, abjicique in latrinas omnium statuas et imagines imperat. Et LIII. Luctabatur assiduo, nec aliter certamina gymnica tota Graecia spectaverat, quam brabeutarum more in stadio humi assidens, ac si qua paria longius recessissent, in medium manibus suis protrahens.

[47] *Fossam* — Svet. XIX. In Achaia isthmum perfodere aggressus, praetorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus est; tubaque signo dato, primus rastello humum effodit, et corbulae congestam humeris extulit. Dum scribimus, de Isthmis perfodiendis agitatur quaestio, Arabico, *Istmo di Zuez*, Corinthio, *Istmo di Corinto*, et in America Panamensi, *Istmo di Panama*, ut e sinu Mexicano in mare pacificum navigari possit. Ut ad Indias itus et reditus brevior pateat, tota jamdudum poscit Europa: Graecis est animus ad maxima audendu: sed adhuc parvae res impediunt.

[48] *Athenis* — Svet. XXXIV. Peregrinatione quidem Graeciae, Eleusinis sacris, quorum initiatione impii et scelerata voce praeconis summoventur, interesse non ausus est — Dion. 14. Apollini sive iratus, quod ei tristia quaedam praedixisset, sive alia incerta de causa insaniens, Cyrrhaeum agrum ademit, cumque dedit militibus, et oraculum delevit, hominibus ad os ipsum eo quo spiritus Dei exhalabat, interfectis. Et paucis interjectis: Athenas et Lacedaemonem excipio, quas urbes solas non adiit, quod in altera leges Lycurgi essent, contrariae ejus instituto; ab altera Erinnyum fabula deterreret. — *Contendere voce.* Flagitantibusque cunctis caelestem vo-

cem, respondit quidem in hortis se copiam volentibus facturum..... Sed adjuvante vulgi preces etiam statione militum quae tunc excubabat, repraesentaturum se pollicitus est libens: ac sine mora nomen suum in albo profitentium citharoedorum jussit ascribi, sorticulaque in urnam cum ceteris demissa, intravit ordine suo, simul praefecti praetorii citharam sustinentes, post tribuni militum, juxtaque amicorum intimi — *Nioben*. Peracto principio, Niobem se cantaturum per Cluvium Rufum consularem pronunciavit et in horam fere decimam perseveravit — *Canacem*. Tragoedias quoque cantavit personatus: heroum deorumque, item heroidum ac deorum personis effectis ad similitudinem oris sui et feminae, prout quamque diligeret. Inter cetera cantavit Canacem parturientem, Orestem matricidam, Oedipodem excoecatum, Herculem insanum.

[49] *Vespasiae natus* — Svet. Vesp. IV. Peregrinatione achaica inter comites Neronis, cum cantante eo, aut discederet saepius, aut praesens obdormisceret, gravissimam contraxit offensam, prohibitusque non contubernio modo, sed etiam publica salutatione secessit in parvam et deviam civitatem, quo latenti etiamque extrema metuenti provincia cum exercitu oblata est. — *Alter erat juvenis*. Svet. XXVIII. Puerum Sporum cum dote, et flammeo per solemne nuptiarum, celeberrimo officio deductum ad se pro uxore habuit.— *Divitiis inhians*. Dion. ibid. 11. Quasi vere ad bellum gerendum venisset Graeciam depopulatus est,... fecitque caedes infinitas virorum, mulierum, puerorum ... Universa damnatorum patrimonia sibi vindicavit.

[50] *Pectore* — Paul. ad Rom. I, 19. Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Et II, 15. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.

[51] *Quae fugiunt oculos* — Insanientem Ethnicorum sapientiam eloquentissime insectatur Apost. I, ad Romanos, unde haec excerpsimus, 20. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus et divinitas: ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum et quadrupedum et serpentium; propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumelia afficiant corpora sua in semetipsis, qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium; et volucrunt et servierunt creaturae potius quam Creatori qui benedictus in saecula amen. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae.

[54] *Colle* — Areopagitae noctu, sine luminibus, et silentio per tabellas sententiam ferebant.

PETREIDOS

LIBER IX.

ARGUMENTUM

Dum Nero per Achajam ludibundus peregrinatur, Romae de eo interficiendo gliscit conjuratio — Conspirationis princeps est *L. Plautius Lateranus*, Consul designatus — Qui in suis aedibus Coelimontanis, ut omnia ad facinus patrandum praesto forent, paucos et selectissimos in concilium adhibet — Lateranum sociabat amor Reip., isque et Hebraeos consilii participes esse voluit, et praecipue, Burro auctore, Petrum, christianae societatis principem — *Philo* et *Joseph*, hebraeorum primores, alter philosophus, historicus alter praeveniunt — Et aulam ingressi, quam Consul designatus omni picturarum artificio decoraverat, totam Romani imperii imaginem per parietes depictam admirantur — De romanis rebus sermo interseritur, et utrinque de tanti imperii nobilitate et magnitudine exquisita quaeque in medium proferuntur — Lateranus urbis primordia, et tranquillam sub regibus moderationem, et sub legum imperio Rempublicam describit: quae tamen Vejis expugnatis, et Gallis debellatis totius Italiae caput evasit; fatis deberi tantae urbis originem — Quod cum Philonis oratione mirifice congruit, qui assyrium, persicum, graecum imperium ab alexandrino absorptum narrat; Alexandrini vero corruentis lacinias Romam collegisse, totumque orientem congregasse, non sine singulari Dei O. M. be-

nignitate et numine — Quin imo et Occidentem Orienti adjecit, ait Lateranus, inque parietibus adumbratum ostendit *Mare internum*, quod omnium celeberrimum, quodque inter Europam et Africam Asiamque diffunditur, a Romanis *Mare nostrum* appellatum, tanquam tutissimam romano orbi circumnavigando viam — In ejusque littoribus *Hispania*, altrix semper martiarum gentium regio, graecis coloniis et carthaginiensibus civili societati parata, bello secundo punico tota Romanorum facta est, cum insulis balearibus — *Gallia*, Hispaniae proxima, virorum morumque dignatione, amplitudine opum, Italia verius quam provincia, a Caesare victa, Caesarem contra Romam comitata est, et pompejana arma Gallicis Pharsalica acie cessere — *Germania* cis Rhenum debellata, sed Roma variana clade exterrita in transrhenanas regiones procedere extimuit, devictis tantummodo populis Rhenum inter et Albim — *Britanniam* incultam et inhospitam Caesar ostendit posteris, non tradidit; Claudius Imperator trajectis legionibus gentem perdomuit, ut pareret, non ut serviret — *Vindelicia* et *Noricum*, *Pannonia*, et *Moesia* deductis coloniis romanis contra barbaros firmata — Illyrico conjuncta *Graecia*, terrarum omnium factis dictisque celeberrima, unde omnis litterarum claritas Romae effulsit perque imperium disseminata — *In Africa* cum Poeno pugnatum, uter esset, et mari interno imperaret: Carthago Romae aemula, terrarum cupida, opulentissima quondam totius Africae, tribus bellis a Romanis deleta — Cum *Aegypto* crudelius actum: inter alia dominationis arcana provinciam aditu difficilem, annonae foecundam Augustus seposuit; superque Aegyptios veteri superstitione ambiguos, Alexandrinos extulit — Neque injuria, exclamat Philo, Judaeus Alexandrinus, suamque laudibus praedicat patriam ab Alexandro M. conditam, graecae sapientiae domicilium, in tantamque auctam civium et negotiatorum frequentiam, ut uni Romae cederet — *Asiae* imperia vetustatis vi collapsa partim Roma occupavit, partim, impositis regibus, sibi stipendiaria fecit, Mitridate diu multumque, sed frustra obluctante — *Syria* in provinciae romanae formam redacta — *Judaea*, regulis externis, Romanarum partium studiosis parere coacta. Hic Philo meminit Hjerosolymae, calidasque lacrymas profundit — Josephus ex orientis peregrinatione redux diversa Romae instituta animadvertit, quae Graecorum magisterio edocta asperas et ferocissimas occidentis nationes, armorum vi domitas, humanitatem edocuit: sed in oriente doctrina atque humanitate ipsa inferior, suos Judaeae atque Asiae ritus, sacra, mores, rationemque vivendi reliquit, contenta supremo rerum imperio, ut provincias opulentissimas, flagitiosissimis nundinationibus, redemptorum societates helluarentur:

sic nullam coloniam in orientem deductam, quae plurimae in occidente subsidium adversus rebelles, et imbuendis sociis ad officia legum forent — Tanta rerum magnitudine consolatus Lateranus istud patrocinium orbis terrae potius quam imperium Romae appellat —Imperii monstrat confinia mare oceanum, aut amnes longinquos — Immensam pacis romanae majestatem praetoriae classes ad Ravennam, et Misenum, legiones ad provincias ambiguas tutabantur: Roma omnium populorum erat patria communis — Conveniunt ad horam dictam conjurati, *Seneca*, *Thraseas*, *Piso*, *Lucanus*, *Fenius*, *Scaevinus*, et *Cassius* senior et caecus — Quibus in interiorem diaetam, ubi Cassii et Bruti imagines extabant, assidentibus, ipse Christianorum Pontifex *Petrus* cum *Pudente* ingreditur, et omni observantia ab Seneca et Laterano excipiuntur — Neque multo post *Silanus* juvenis, omnibus obstupescentibus, adfuit — Qui a Cassio praecipue cum lacrymis exceptus, suae stirpis internecionem, suamque ex Asia fugam in Africam, in Hispaniam narrat, unde Romam venit, amicos sui patris invisurus — Omnibus rite praestitutis, Cassius aetate et orbitate luminis venerabilior cum bonis ominibus praefatus, de Romae occasu, de Neronis tyrannide deque Burro nuper interfecto conqueritur — Cui succinit Seneca, Burri elogium paucis pronuncians seque etiam caedi devotum vaticinatur — At Piso spe ad imperium destinatus, ut desuetae libertati pedetentim populus assuesceret, praecavendum opinatur, quis patrata caede, imperii gubernaculum capesseret — Silanus, unus e stirpe Caesarum superstes, sua jura patriae resignat: Si Roma imperatorem legat, alium Gallias, Hispanias alterum lecturas; Rempublicam exsuscitandam, animis in unum consentientibus — Id ipsum adfirmat Lucanus, cumque Nerone, ipsum imperatorium nomen extinguendum — Philo Romae calamitates divinitus illatas explicat, in teterrimae servitutis ultionem populis omnibus impositae — Quae Romae dedecora corrigenda censet Lateranus, restituenda judicia, coërcendas libidines — In primis adjicit Fenius veterem armorum gloriam recipiendam — Quae omnia ipsis rerum initiis, conficeret Respublica in lucem revocata — Sed Romanam istam Remp ex inferis resurgentem irridet Thraseas; graviterque Laterano id ferente, Stoicae ille scholae sectator ostendit, deletis veteris Romae ordinibus, veteris virtutis splendorem obscoenis moribus obsolevisse; antiquum senatum, antiquum populum desiderari; amisso spiritu, Remp. conclamatam et sepultam; Neronianae neci se libentissime consensurum—Communibus suffragiis ea decernitur: locus destinatur Circensium, primas facinoris partes Laterano, et Scaevino sibi postulantibus — In qua deliberatione universa, huc usque steterat

Christianorum Pontifex vultu moesto, et magna animi aegritudine: sed caede constituta, Laterano ejus sententiam, et praesens in re auxilium flagitante, Christum cum Pharisaeis adulterao lapidationem quaerentibus imitatur — Primum tacuit, defixis humi oculis: mox magna vocis gravitate, siquis esset inter eos culpa vacuus, primum in Neronem jaculum intorquere hortatur — Quo responso exterriti conjurati: aliis prope vocem interclusit stupor; Lateranum alii infidelitatis arguunt, qui Neronis defensorem in concilium advocasset: demum plerique, veluti comperto scelere, diffugiunt, Thrasea tantummodo, Silano, Cassio, Laterano manentibus — Quos graviori oratione Petrus alloquutus, Romam ait veterem jamdiu conclamatam expirasse: se novum afferre spiritum, cujus afflatu et numine interius renovata altera Roma exurgeret, dignitate et pulchritudine multo gloriosior — Silentium rupit Pudens, utque veritatem caelitus missam loquentem audirent, hortatur — Thraseas, Cassius et Lateranus, senatoria veteris amici libertate recreati, ei morem gerunt — Idque statutum, ut insequenti die in hortos Lateranos convenirent: Petrus aegrae Romae atque adeo toti humano generi praesens remedium patefaceret — Nocte imminente, Christianorum Pontifex, domum reversus inopina consolatione recreatur — Hermi famulus occurrit, duabus mulieribus matre et filia comitantibus — Materque narrat se in Germania natam, in servitute filiam peperisse: sed Lentula domo alea deperdita, ad forum venale amandatas: virgunculam filiam a mangone emptam nulla vi a materno gremio avelli potuisse: cunctis spectaculo irridentibus, in medium exiluisse juvenem qui, pretio exoluto pro filia, et matrem empturus, deficiente pecunia pro pignore restitit; nunc demum peregrini sive Dei sive hominis auxilio ambas in tuto receptas — Hermus supervenit, tanti operis patrator — Petrus Christianae virtutis magnitudine exhilaratus Hermum collaudat, et Germanicas hortatur, ut Odini oblitae Christianorum Deo gratias exolvant.

Graecia dum plaudit foedo assentata Neroni,
Laetaque festivas nectens victoria palmas
Caesareo imponit capiti, praestatque beatum,
Interea, posita paulum formidine, Roma
Conjurat solio dirum exturbare tyrannum.
Qua quondam irrumpens Caeles armata Vibenus [1]
Agmina continuit, faciens cognomina colli,
Atque volens hetrusca phalanx socia agmina junxit
Cum populo victore, jugisque insedit amoenis;
Qua sese mollis coepit demittere clivus,
Ingens regifici moles operosa Palatî
Surgebat, Lateranorum domus [2], inclyta pacis
Artibus, et domito latis ex hoste tropoeis.
Clarus avis, atavisque, sua sed clarior ipse
Nobilitate, tenens summae fastigia famae
Plautius [3] ingentes animos, magnumque fovebat
Consilium. Demens! paucis comitantibus, aevum
Lapsum praecipiti sperabat sistere cursu,
Et miseram extrema Romam revocare ruina.
Ergo senatorum primos, clarissima Romae
Lumina, confidens magna intra tecta vocabat,
Qui toti possent operi praescribere morem.
Olli rettulerat Burrus tentasse potentes
Isacidûm proceres etiam in partemque vocasse.

Cernere Pontificem notum sibi nomine tantum,
Ardebat consul, tantosque agnoscere motus.
Ignarus rerum nullo discrimine habebat
Legiferi asseclas Mosis, Christumque secutos.
Forte fuit Romae graviora negotia tractans
Judaeus Philo [4], qui consultissimus omnis
Doctrinae in patriam antiquo flagrabat amore.
Jerusalem ante oculos, promissaque gloria semper
Versatur: vae! sola sedet plena illa potenti [5]
Urbs populo quondam! quondam domina inclyta facta
Est vidua: heu! princeps rerum, quam mille colebant
Gentes, nunc jussa externis pensare tributum.
Venerat is crebro romanam Orator ad urbem,
Cum Cajus rationis egens terrore minaci
Egerat imperium ante suum procumbere numen,
Atque sibi magna Solymae super arce locari
Mandârat statuam. Poterat Judaea propago
Tantum ferre scelus? Philo devicit iniquum,
Atque ubi successit primo fortuna labori,
Mittitur ipse etiam graviori tempore Claudi,
Ne pessum rueret judaei gloria sceptri.
Ex illo Philo patriae succurrere quaerit,
Et quia Romana hebraeis cervicibus arma
Circumquaque aderant, Romae cunctatur, et omne
Consilium movit foedum exturbare Neronem.
Cui comes it fama primis jam cognitus annis
Joseph [6], qui Judae fastos ab origine prima
Condere perpetuos, monumentum insigne, studebat.
Postquam magnificam Philo introgressus in aulam est,
Quam primo Consul jam designatus honore
Romulidûm mira luxus decoraverat arte,

Picturas cernens varias exculptaque signa
Parietibus: Quaenam haec, inquit, monumenta vetustae
Historiae video? Quae facta ingentia Romae?
Haec Romae fortuna fuit: sic Plautius: Istud
Imperium saevo violatum impune tyranno;
Quod mox, spero equidem, nisi nostris cognita virtus
Defuerit dextris, ad saecula prisca redibit.
Tum sic Judaeus: Romae clarissime consul,
Et mihi dulce fuit tantarum expendere rerum
Principia et causas. Talem coalescere molem
Obstupui, semperque animo facta inclyta volvi
Praestantesque viros, pugnataque in ordine bella.
Crede mihi, quoties miranda haec moenia tango,
Romani hoc ipsum lumen spirabile caeli,
In nova transformat raptam miracula mentem.
Ante oculos signata suis loca finibus, urbesque
Extant turrigerae, atque vadis maria alta quietis.
Et te praecipue sublimem pristina Romae
Gloria sustollit. Romani spiritus aevi
In te vividior spirat, Laterane; quid haeres
Insigni eloquio mutas animare figuras?
Anne alium opperiar, qui plenius inclyta facta,
Et populis habitata suis loca pandere possit?
Ille autem: Permulta tuae sapientia gentis
Jamdudum, Philo, nostra celebratur in urbe.
Et te qui varios mores, atque extera regna
Lustrans eois nunc primum ades hospes ab oris
Audierim, Joseph. Maturior annuit hora:
Non video Thraseam, aut Senecam, aut apparere Silanum.
Quid mihi praeterea fuerit jucundius usquam
Quam Romae imperium atque immota evolvere fata?

Illa, vides? est Roma sacrum prope Tibridis amnem.
Surgere principio e tenui videre Sabinus
Bellipotens Latiumque ferum, atque Hetruria felix:
Et fuit invidiae, quod Romulus acer asylum
Rettulit. Illa tamen rudis, aque incondita turba [7]
Finitimis fugiens terris rerumque novarum
Impatiens templi vix inviolabile limen
Contigerat, nemo reminiscitur amplius agros
Natales: lectae uxores, sobolesque creata
Qui templo nova sacra novo statuere domosque,
Mollierunt prisco silvestria pectora cultu,
Et patria emicuit sacrato nomine Roma.
Regnum erat imperii species, septemque fuerunt
Reges qui tantae posuerunt moenia molis,
Grataque posteritas magno memorabit honore [8].
Mens urbis, clara lectus de gente senatus:
Ipse sui compos populus fora magna frequentans
Jura magistratusque legit: labor omnibus unus
Imperitare armis, fines extendere Romae,
Parcere subjectis et debellare superbos [9].
Quae tamen imperii, quod Romae destinat aether,
Proxima causa stetit? Populum vicisse potentem,
Externumque hostem tota regione fugâsse.
Postquam urbs Vejorum, velut altera Troia, Camillo
Succubuit, Gallos Capitolia celsa tenentes
Pensantesque aurum subito conterruit ictu
Alter romanae fundator maximus urbis [10];
Rerum incredibilis splendor, populique secula est
Inclyta majestas, laudisque immensa cupido.
Salve, magna virûm genitrix Hetruria: salve,
Fundatrix magna Italiae; salvete, sonantes

Tot titulis urbes, et avitae nomine famae.
Quae virtus? quisnam vestris Deus incolit oris?
Certe habitat Deus? Ah! romana potentia nondum
Aequârat caelum, nec dum Capitolia frontem
Extulerant, lato pollens Hetruria [11] regno
Florebat; munita situ turritaque jactans
Moenia, bissenas jungens in foedera gentes,
Ipsa sacros ritus divûm et primordia rerum
Romulidas docuit priscos; hinc maxima Roma
Praetextam et latum clavum fascesque severos
Arripuit, pacisque modos, artesque ministras.
Ecce autem e Latio in campos prodibat apertos
Majestate nova, et praestantis flore juventae
Roma triumphatrix: comitantur praescia fata
Atque datum imperium: circumque infraque supraque
Incedit victrix: gentes socia agmina jungunt
Sponte sua, aut propero bellorum fulmine victae.
Poscit amicitiam tremefacta Hetruria supplex,
Devictus Samnis diuturno marte rebellis:
Littore in extremo Italiae tandem affuit aucta
Robore praevalido, et grajas pessumdedit urbes.
Unius imperio sic jungitur itala tellus:
Et mox Italia egreditur, maria omnia cedunt,
Cedunt innumerae gentes, semotaque regna.
Marte [12] ferunt genitore satam, martemque fatigans
Per tercentum annos totum sibi subjicit orbem.
Quod si nosse cupis nostri confinia regni,
Huc geminas, age, flecte acies, et cuncta patebunt.
Id video; Philo contra sic farier orsus:
Id video, atque mea stupefactus mente voluto
Inclyta selectae commissa oracula genti.

Saepius occultae miranda potentia dextrae
Ducere visa mihi Romam, foedoque caducas
Exitio terras romano subdere sceptro.
Primum Asia in magna, si rite audita recordor,
Vi fidens valida Belus [13] fundavit opimum
Assyriae imperium. Tigris florebat ad amnem
Bellatrix Ninive, circum vallata corona
Turrigera, spatioque trium peragranda dierum.
Moenia quae supra constructa bitumine ternos
Spectabat currus aequa concurrere fronte.
Nec Ninive minor ingenti florebat honore
Bellipotens Babylon: educta palatia caelo,
Hortosque irriguos circum, pontesque superbos
Templaque magnificis super aedificata columnis
Et magnum Euphratem, magnisque coercita ripis
Flumina, turrigerasque domos, decora alta parentum,
Jactabat Babylon: cui victa aegyptia tellus,
Media laeta parens nardi, Maurique feroces,
Et Lybie laetam capiti implicuere coronam.
Sed vastum imperium fatali corruit ictu.
Dira superstitio mendaces fingere divos
Edocuit, Beloque patri dare thurea dona
Extructo in templo, veroque avertere cultu.
Crimina quae Omnipotens caelo non passus inulta.
Objicibus ruptis, spumoso vortice ripas
Exuperat flumen: viduataque milite denso
Moenia gens inimica subit, stragemque nefandam
Intulit, incenditque domos. Rex ipse propinquam
Effugiens mortem uxorem natosque trucidat,
Seque, pyra extructa, injecit moriturus in ignem.
Nempe humilem cernis consurgere Persida sensim,

Assyriique loco imperii, felicibus orsis
(Ipse Deus ducit) Cyrum se extollere magno
Sublimem solio. Medos, Lydiosque, Syrosque
Edomat: assyrii quae magna palatia regis
Chaldaeam Babilona capit, juga barbara solvens
Hebraeis, donansque Deo instaurare ruinas
Excisi templi. O fortunatissima Persis,
Si nusquam graecas in bella lacesseret urbes!
Graecia musarum nutrix, gens optima morum
Formatrix, clara ingeniis, et fortibus ausis
Inclyta florebat, cum Xerxes barbara movit
Agmina, et innumeras peditumque equitumque catervas
Duxit, conjurans graecum pessumdare robur.
Hostilem segetem miratur achaica tellus.
At vis consiliis expers ruere ipsa videtur
Mole sua: propter Thermarum angusta [14], Laconum
Tercentum heroes pugna oppetiere feroci,
Et Salamin vidit spumescere sanguine pontum
Barbarico: occubuit Persarum exercitus ingens
Imbellem dominum vano comitatus honore.
Femineae sensere acies, quid mascula pubes
Evaleat contra innumeras sine mente catervas.
Aemula sed flamma imperii, et civilia bella
Evertunt Grajos. Occulto creverat aevo
Æmathius juvenis [15], parvaque eductus in urbe
Et patris relegens vestigia clara Philippi,
Graecia dum internis pessumdata concidit iris,
Aemathiam liquit: communi voce vocabant
Argolicae gentes, externaque signa subibant,
Ut conjuratos immenso milite Persas
Instansque exitium possent avertere Athenis.

It Macedo, vertitque Tyrum, peragratque triumphans
Rura Palaestinae, septenaque ad ostia Nili
Urbi fundamenta suo de nomine jecit.
Nec satis haec; superat Tigrim, largeque fluentem
Euphratem, mediaeque secat bipatentia regna
Persidos, et longe semotos tendit ad Indos,
Proxima quae meta Oceano, atque innabilis unda.
Scilicet hinc caeli mediam se vertere ad oram
Volvebat, mollesque Arabas, Afrosque perustos
Visere, et occidua Europa, remeare paternos
Aemathiae fines. Medio sed sistere cursu
Cogitur, accisis sedit victoria pennis:
Mors intertextae fatalia stamina vitae
Subsecuit, magnique viri miranda recidit
Consilia. At male sartae inopino turbine gentes
Dissociatae iterum; concurrunt undique telis
Ductores varii laniatum vellere corpus,
Parvaque discordi se scindunt murmure regna [16].
At dum praecipiti passim quassata ruina
Vis Macetûm nutat, desertis moenibus errat
Luctus, et infestae tristissima mortis imago;
Ausoniis sese paullatim extollit in oris
Urbs domina Italiae, inque viam processit apertam.
Sic fixum stabat mente, immotumque sedebat
Consilium; nec mota loco nec ab ordine cedit:
Eoum hesperiumque orbem Roma obtinet, heres
Immensi imperii: franguntur regia sceptra
Persidos, Aemathiae pallescit laurea frontis.
Insuper occiduos morum asperitate feroces
Edomat, et legi cogit parere latinae,
Imperitatque potens terris regina marique.

Tum sequitur Consul magno ceu concitus oestro:
Hoc mare, quod *nostrum* merito dixere parentes,
Belliferis, totum qua panditur, armamentis
Intonuit, viditque suis consurgere signa
Romula littoribus. Qua Hispania [17] tendit ad Austrum
Baetica, quam Baetis placido circumsecat amne,
Civili imperio graecis multo ante parata
Moribus, haud aegre subiit victricia signa.
At Pyrenaeo Boream qua vertice spectat,
Horrendo latitans nemore, abstrusisque latebris,
Indomito prohibet romanas robore virgas.
Indoctus juga dura pati, indignansque Quiritum
Cantaber imperium, biscentum restitit annos;
Et secura metu, lustris sylvestribus errat
Prodiga gens animae. Matrem sine more videres
Lactentes pueros ferro jugulare, priusquam
Ingrueret bellator atrox, genitorque necabat
Immiserabiliter natum, si forte dedisset
Victus in arma manus, servitumque hostibus isset.
Omnibus at frustra insidiis armatur, et astu
Celtiber impavidus: nequicquam libera agrestum
Pectora sollicitat, juga per perque avia lustra
Romanas acies felici marte fatigans.
Illum bellacis vincunt perjuria Romae.
Tu quoque victa cadis, generosa *Numantia*, quam non
Bisseni domuere anni, totumque Quiritum
Collectum robur: sic tota Hispania coepit
Subdita paullatim latio consuescere mori.
Monte sub aërio bellatrix *Tarraco* tollit
Templum, Auguste tibi, specula ceu desuper alta
Imperium Romae demonstratura propinquis

Gentibus: ecce novo jactat se nomine *Caesar* [18]
Augusta exurgens florenti margine Iberi,
Moenia qui lambit populosa, urbique reportat
Auriferam gazam. Belli perfuncta labores
Agmina, pacatae compellat ad otia vitae
Augusta Emerita, in saevum procurrere martem
Strenua, si quid opus populos fraenare rebelles.
Mascula succrescit proles *Balearibus*, audax
Stupea torquere stridentis verbera fundae.
Atque eadem, si quis fecit Deus otia, gaudens
Luxu diffluere, et molles celebrare choreas.
Tu quoque romanis pares provincia virgis,
Gallia [19] bellatrix, unum cui patria numen,
Unum jus, et servitii juga cuncta perosa.
Vix magnus Caesar bisquinis contudit annis,
Composuitque iras, jurataque foedera sanxit;
Galli virtutem ingentem, mentemque sagacem
Mirati latiis visi consuescere in armis.
Has porro gentes, talique exercita bello
Agmina deducens Caesar descendit apertis
Alpibus, ulturus corruptae crimina Romae.
Nôrant ipsa ducem vel pace experta vel armis.
Gallica romanas aquilas comitatur alauda.
Caesar ubi aeternae praepandit limina Romae,
Et clavo insignis romanae pondera sortis
Gallus libravit, romanos Gallia mores
Induit, et pacis sese divertit ad artes.
Quae medium solem et propius nostram aspicit oram,
Itala Romulidis provincia visa, virorum
Et frugum foecunda parens, loquiturque latine,
Induiturque togam. Portu *Narbona* quieto

Excipit Oceano redeuntes mille carinas;
Ipsa eadem servat latii proconsulis arma,
Jussaque transmittit populis romana propinquis.
At quae Phocaeo illuxit fundata colono
Massilia, usque adeo romano subdita sceptro
Argolicae studiis Sophiae latiisque Camoenis
Emicat, ut crebris doctas viduaret Athenas
Discipulis. Vetere Augustus spoliavit honore
Urbes, *Lugdunum* extollens, quae dives opimo
Flumine, longinquis sedes tutissima nautis
Afforet, imperiis et mercatoribus apta.
Hic ingens surgit gemina inter flumina templum:
Lecta Sacerdotum pubes stata sacra per omnes
Hic celebrat luces, parioque e marmore signa
E sexaginta devictis gentibus ingens
Augusti signum densa cinxere corona.
Gallia victorem colit obsequiosa quiritem.

Nequicquam amoto se clausa Britannia [20] fluctu
Retrahit: impavidus superat freta fervida Ramnes.
Appulsu primo qui terror equisque, virisque!
Quam pene exitium tumido deprendit in aestu!
Mona ferox tristi circumdatur insula luco,
Insula concilio Druidum celebrata sacrisque
Arcanis. Illi speculantes desuper arce
Aëria ad litus romanam accedere classem,
Terribili fremuere sono, nemora avia circum
Errantes, aciemque agrestum in bella vocantes.
Stat diversa acies pro littore densa virisque
Armisque: hac illac intercursare videres
Agmen femineum, furiasque instare minaces
Dejectis per colla comis, et veste nigranti

Fulmineas praeferre faces. Ad sidera tensis
Horrendum Druides manibus signa ante tremendas
Concipere ore preces, stygiasque lacessere Diras.
Romanos subito audacem pudor armat in hostem;
Signa ferunt properi, truculentus demetit ensis
Obvia, cunctantesque suo obvolvuntur in igne.
Claudius inspexit positum sibi surgere templum,
Et *Camulodunum* romana colonia, Circum
Constituit, geminumque extructis molibus ovum.
Londinique vias commercia lata frequentant.
Credo equidem: domita irrequieta Britannia paret:
At nondum servit: superant etiam altera bella.
Romanum nomen veneratur et ultima Thule.

Nec procul aërio consurgit Hibernia [21] monte,
Unica cui cura herbosos ductare per agros
Armenta, et cunctis animam objectare periclis
Pro patria et dulci pro libertatis amore.
Quisque ducem sequitur currus: ubi sistere detur,
Vallibus in mediis fumosa mapalia condunt.
Incedunt alii nudi, sed lurida membra
Turpibus exultant tractim variare figuris.
Venatu sese exercent, vitamque latebris
Ducunt montanis, nodosaque retia spernunt,
Haudquaquam fluctus ausi tentare marinos.

Quid refugis latias, pugnax Germania [22], leges?
Ignotas hominum stirpes, ignota locorum
Nomina; qua incerto labuntur flumina cursu,
Unde prior magno erumpens cum murmure manat
Danubius, centumque fluens praetermeat urbes
Teutonicas, veterumque potentes alluit arces
Pannonum, varios cursus variosque recursus

Vidit Romanus, praerupta cacumina montes,
Occultos nemorum anfractus, pinguesque paludes
Ausus scrutari, et populos tentare latentes.
Heu! quianam campi congestis ossibus albent?
Fallaces campos, mentitaque castra peragrat
Magnanimus flos ille virûm Germanicus, ille
Dignior imperii solus fulcire columnam
Praecipitem, et lacrymas oculis effundit amaras.
Nam latis metata viis tentoria Vari
Respicit, et patulam fossam et munimina valli.
Heu! nondum deleta omni regione patescunt
Romanae cladis vestigia foeda. Quiritum
Legati hic cecidere: aquilas hic perfidus hostis
Corripuit. Primo hic confossus vulnere Varus;
Mox superincubuit proprium moriturus in ensem.
Anne hoc Arminius victor stetit aggere, saevam
Barbariem extimulans? hic ad fera robora captos
Suspendit foditque scrobes vivosque sepulchro
Intulit, insultansque aquilis ludibria movit.
Talia lustrabat casu concussus iniquo
Romanus ductor, supremaque justa ferebat,
Ossa legens, tumulansque piae telluris honore.
Indignata acies campo prodibat aperto.
Quamvis Arminio sua jungeret agmina pugnax
Inquiomerus, et e silvis juvenesque senesque,
Effraenam plebem, traheret molimine magno,
Non silvae objectae circum, non flumina sparsos
Continuere fuga: confusae stragis acervos
Romanus cumulans sociorum ulciscitur umbras.
Tum vero raptis devicto ex hoste tropoeum
Exuviis struit: inscriptum stat nobile carmen:

Innumeris populis domitis Rhenum inter et Albim,
Romae victrices acies Martique Jovique
Augustoque patri votum immortale sacrârunt.
Cautibus alpigenis, novit nos Rhaetia [23]: nôrunt
Vindelici, montanae acies, validamque securi
Dexteram amazonia armatae: Pannonia cessit
Et fera Dalmatia, et nostris conterrita pugnis
Moesia contremuit: silvestria pectora Roma
Transtulit indigenas alio, veteresque colonos
Dudum romanis qui consuevere sub armis
Supplevit, velut excubias, queis romulus ignis
Assidue arderet, populisque ostenderet urbis
Imperium dominae, et Romani lumina cultus.
Heu! Macetûm campi! dirum Pharsalia [24] nomen!
Romula concurrens tali respublica campo
Occidit: hic fatis Roma exuperata malignis,
In sua convertit malefidum viscera ferrum.
Sufficeret Romae melior fortuna Philippis!
Heu! nimium Superi, nimium Respublica vobis
Visa potens! nimium invidiae caelestibus auxit!
At nunc sanguineis languet collisa duellis
Aemathia: abstrusas Pangaei in viscera venas
Auri pars quaerit, pars pinguia jugera lymphis
Strymoniis peragrata colit, vomerque Philippis
Horret adhuc campos fraternis ossibus albos.
Littora [25] quae Italiam contra Tiberinaque longe
Ostia conspectas, populi incoluere potentes;
Quos fera Carthago magna ditione tenebat.
Carthago felix, si numquam Roma fuisset!
Littore Romani Poenos videre sicano.
Quod mare, praecipiti quondam quassante ruina,

Europen Afro, scopulis utrinque revulsis,
Discidit, Europamque inter Lybiamque, Asiamque
Funditur, interius laeva dextraque coronans
Centum urbes, laetis excultas gentibus urbes,
Nam cui parebit domino? quas cernere classes
Continget tuto tendentes carbasa in auras?
Carthago an Roma evicto regnabit in orbe,
Sive cavo armatum peditem gravis efferat alvo,
Seu pelago extremis faciat commercia terris?
Illa parens Lybiae tantam Romae aemula curam
Intulerat patribus! Pleno jurare senatu
Aspiceres nunquam sumptis discedere ab armis,
Nî captae caderent arces, gentesque peregre
Migrarent, plateisque virens adolesceret herba.
Vicit bellipotens magnae constantia Romae.
Quae siccis oculis Italûm per rura, per urbes
Ceu flammam in taedas, equitantem et cuncta ruentem
Annibalem adspexit, quae Cannas sanguine vidit
Romano undantes, natorum funere matres
Flere vetans, mediam in Lybiam fera fulmina belli
Misit Scipiadas tyrias evertere turres.
Romanis obsepta armis, densaque corona
Carthago, unde suam posset sperare salutem,
Serviles contra se acies crudescere vidit.
Attoniti cives pugnant noctemque diemque
Nequicquam: cecidere domus, cecidere praealta
Moenia: subversis habuit cognomen ab Afris
Scipio, vixque urbis superat nunc fama sepultae.
Inde rebellantis terror Carthaginis (illam
Caesar et Augustus cunctis magis urbibus afris
Extulerunt), pollens exinde opulentia terrae

Quae totum Romam fruges mittebat in annum,
Africa districtam plaga sollicitudine Romam
Continuit: vastis deducta colonia campis
Plurima romanos mores et jura tuetur.
Hinc *Zilis*, et *Lyxos* tumidos Atlantidis aestus
Excipiunt; illic *Traducta* est *Julia* custos
Herculeum sortita fretum: Carthaginis ausus
Utica surgentes minuit, viresque minaces.
Invia si superas plenis undantia arenis
Aequora, quae quondam triginta emensa diebus
Indomitum pectus conturbavere Catonis,
Africa diffugiunt magalia: pulchrior una
Ipso deserti veluti sata limite campi
Lucet *Cyrene*: quamvis lictore frequenti
Horridus incedat graja Proconsul in urbe,
Grajorum hic mores, et lingua et numina regnant.
Pinguia quae Maurus pharetra insuperabilis arva,
Quae Numidae exercent, Romae magna horrea ditant:
Hac illac nova lux populis, nova commoda surgunt:
Aethiopes languent aeterno sole perusti:
Gaetulique jacent atque extremi Garamantes
Extra anni solisque vias, qua caelifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.
Nonne vides Nilum felicia rura secantem
Undarum aggestis cumulis, perque ostia septem
Certantem Interno sese devolvere ponto?
Aegyptum [26] agnoscis, nostris loca nota triumphis.
Inde paraetonii meretrix Regina Canopi
Egreditur, circum impuris stipata puellis
Aurataque sedens puppi in certamina mille
Educit naves, paribusque Antonius armis

It comitans sponsam, nimiumque uxorius audet
Non humilis pretium dotis romana pacisci
Moenia, devictumque Tibrim servumque senatum:
Pone ducem sequitur terris collecta marique
Judaeûmque Arabumque et Medorum horrida turba
Et Galatûm et Cilicum. Pontus, Paphlagonia, Thraces
Ipsi magnanimos misere in praelia reges
Barbarici vetus imperium defendere mundi.
Parte alia rerum fata ad meliora vocatus
Junior insignis fama et felicibus armis
Bellipotens Romae robur compellit et omnem
Italiam, capitolinis avertere cladem
Arcibus impurumque nefas. Octavius ibat
Navibus instructis, magnisque assueta triumphis
Agmina, barbarico sitientia sanguine tingi
Ducebat: tumido fertur cita gurgite classis
Qua ponto exporrecta jacet Molossia tellus.
Nunquam alio majus certatum marte duellum.
Actius undisono commotus murmure pontus
Romulidûm geminam vidit concurrere classem,
Horrendumque cito dirimi certamine bellum.
Ex illo Aegyptum Augusti prudentia solers
Tellurem ambiguam annonaeque potentia claustra
Seposuit: nulla est victae reverentia genti.
Jura magistratusque negat, patriumque senatum.
Regnum fraenat eques Ptolemaeo splendidus ostro:
Ipsa Aegyptiacis romani clausa senatus
Janua: non ullus romani libera civis
Jura tenet, nisi Alexandria natus in urbe.
Audiit haec Philo, qui hebraea stirpe creatus,
Fertilis Aegypti peragrans confinia, et urbem

Pellaeam spectans tanto fervescere motu,
Transtulit huc sedem, et fortuna dives avita
Ardua quaerebat grajis inventa magistris.
Quam volupe arcana ipse audit molimina Romae,
Atque novam patriam insigni praefulgere luce,
Posthabita Aegypto! Neque spretae injuria gentis
Me movet, aut ultrix cautae vigilantia Romae.
Effoetum prudens populum, assiduaque rebellem
Seditione suos Mystas [27], sua sacra foventem
Deturbavit humi, et graecam superevehit urbem,
Totius Eoi caput, occiduumque per orbem,
Romulei excepto populi splendore, secundam.
Pellaeo juveni divina insomnia quondam
Praedixere locum, spatium maris inter, et inter
Stagna quieta lacus. Portus patet unicus omni
Navigio ad Joppen Lybici maris aequor aranti,
Et simul Arabiae statio fidissima et Indis.
Quot congessit opes! quae vectigalia! quantus
Effulget luxus! festo quae gaudia risu!
Fertilis ecce autem per millia brachia Nili
Qua variis errat felix opulentia villis,
Innumerae remeant naves, aestate serena.
Omnis Alexandria suis de navibus exit,
Festas ad choreas et fortunata Canopi
Moenia contendens. Neque tot stipata voluptas
Laetitiis doctas patitur contemnere gazas.
Adspice gymnasia, et cunctis sacraria musis,
Milliaque illustri congesta volumina sede,
Confertasque scholas, ubi omnis glomerata juventus
Imperii fervet plenis haurire scatebris,
Quos olim ingentes fluvios potabat Athenis.

Regali quin sede potens Academia docta
Miscet colloquia, umbrosisque perambulat hortis,
Crebraque concelebrat magno convivia nisu.
  Non ego te siccis oculis, te, maxima tellus,
Graecia [8], conspicio: Lateranus tristior infit.
Heu mihi! qualis ades, quantum mutata priori!
Humani vitium imperii, sortisque caducae
Ludibrium! Quamvis victor, spectante corona,
Flaminius populo quandam dictabat ovanti,
Se missum Roma, quo tristi libera bello
Graecia virtutis cultu floreret avito,
Antiqua nescis te libertate tueri.
Romam capta tamen victricem cepit, et artes
Intulit agresti Latio; rediere potentes
Ductores famulis septi, doctique magistri
Coepere ingenua natos formare palaestra.
Vicit amor pulchri, frustra indignante Catone.
At nunc deserto squalescit Graecia cultu.
Deseritur Pelopis regio: cortina silescit
Delphica: quis Periclis, fortisque Leonidis urbes
Nôsset? Quamplures pleno oravere senatu,
Quae Tiberî genio meritos indicere honores
Dignior, immani quae monstro sisteret aram.
Et nunc laetabunda fremit, fruiturque Nerone
Graecia desipiens, et equorum agitator, et aureae
Pulsator citharae, et clamoso gutture praeco,
Atque cothurnati persona impura tragoedi
Obscoenis populum ludis remoratur hiantem.
Praemia cantori mavortia Roma parabit.
Ipse olea aut pinu textam lauroque coronam
Quaeritat; abscisso civilem vertice ponet.

Non his se coeptis tenuit romana cupido,
Irrupitque Asiam [29], qua tot florentia regna
Gazis dives inexhaustis pax longa beabat,
Quaque potens natura beata uligine vernat,
Et soles melius rident et largior aether.
Qualis vasta domus regali splendida luxu,
Plurima quae postquam durando saecula vidit,
Vulnera praesentit senii, segnesque nepotes
Deseruere vetustatem deerrare ruentem
Impune, occultas et ubique dehiscere rimas;
Si cava terribilis per subterranea motus
Fundamenta quatit, subito labefacta tumultu
Culmina procubuere solo, vastamque ruinam
Quassa dedere; virens Romae fortisque juventus
Saucia luxurie, validaque impulsa senecta
Vix regna accedit, concusso vertice, cuncta
Procumbunt: stata regnorum confinia mutat,
Aggestis jampridem opibus loca foeta peragrat,
Amplaque recludit romanae aeraria genti.
Non ego te indictam, Veneris pulcherrima tellus,
Transierim te, Cypre [30]: nitenti semina terrae
Indidit ipsa voluptatis Dea, et ipsa potenti
Educat omnigenos fructus flatu, ipsa beatam
Tellurem innantem passis amplectitur ulnis.
Hic pontus, falso Euxinum quem nomine dicunt,
Axenos ille fuit; turbantur inhospita ventis
Aequora, nec dubiis statio benefida carinis,
Quae tamen argivi juvenes, ducente minerva,
Prima tentavere rati, nec Phasidos unda
Colchorum auratum potuit defendere vellus.
Grajugenûm sedes, Asiae scriptura minoris

Parthusque Armeniaeque juga, et Bithinidos ora
Pamphiliaeque, feroxque animis Paphlagonia, et altis
Laeta cacuminibus Lycia, et beneolentibus ornans
Intonsos Cilicas cedris, et culmina Taurus,
Jamdudum assuêrant legi parere latinae,
Cum ferus irrupit Mithridates [31]: maximus armis,
Non duri timidus lethi, non ille laborum,
Callebat, quaecumque Sophi novere vetusti:
Ipse loquebatur facili sermone loquelas
Barbaricas, facili neque discors ore sonabat
Mellea romanae seu graiae gratia linguae.
Rex Ponti, Romae manibus sublata gubernans
Pergama, caucaseis latebris ripaque sonantis
Danubii gentem indomita virtute trahebat
Barbaricam, tota ex Asia detrudere tentans
Romulidas saevos pingui tellure potitos.
Lucullus subiit primi discrimina belli.
Mox, ubi Pompejus praedones aequore toto
Sustulit, ipsum etiam Euxini per littora nota
Urgebat: rigidis horrentem cautibus ille
Caucason aufugit, glacie tectusque nivosis
Aggeribus Scythiam movit Gallosque feroces
Hyrcanosque feros. Variis sic tutus in armis,
Monstrum immane, iterum gelidis erupit ab antris.
At Romae, ut semper, vicit fortuna potentis,
Exuperatque senem. Florentia regna dedere
Divitias: palmis nostra exornantur opimis
Agmina, sed vitia et luxus contagia foeda
Pervadunt animos, mollitaque corda quiritum [32].
Hinc Syria, atque illinc romano quassa tumultu
Contremit Arabia, et Phoenicum maxima tellus.

Et Tyros et Sidon fulgentia texta ministrant
Nostris consulibus: robur vetus excidit omne.
Vix alta in Syria, qua flexas spargere lymphas,
Artis opus magnae, venit compulsus Orontes,
Occulto *Palmyra* virens adolescit honore:
Ambrosias inter palmas, rivosque sonantes
Vectorum longam turbam jumentaque laeto
Hospitio recreat, rebusque hortatur agendis.
Assurgit lateri *Berea* laetissima quondam,
Procerus frontem Libanus sustollit opacam
Aëria cedro. *Gazae* jam moenia cernis
Caesareaeque domus urbis, *Berithumque* vetustam
Ingentemque *Helî* sedem et parvam *Hascalon*: omnes
Urbes egregias, populosas civibus omnes.
Subdita sceptrum ingens Judaea amisit avorum,
Ast animo firmat validas industria vires.
Constitit hic Philo casu concussus acerbo;
Nec tenuit lacrymas: disjecti limina templi,
Et direpta subit Solyme, fortissima quondam.
Ille oculos demisit, et: O, ne sperne gementem
Dilectae occasum patriae: acceptissima caelo,
Gentibus invisa externis, positisque tropoeis
Pace potens belloque potens regina sedebat
Jerusalem: at permulta pati, quae indigna relatu,
Promeruit, Jevohae benefacta oblita Deûmque
Ausa externorum vanos inducere ritus.
Ah! cecidit Judas! super ardua limina templi
Extera judaeo manantia signa cruore
Vidimus, et domino victi paremus iniquo.
Summe Deus, depone iras; ah! conde reclusa
Vagina ereptum gladium: miserere tuorum!

Tum vero Joseph diuturna silentia rumpit:
Seu Pelusiacae conspectas oppida gentis,
Seu sabula Arabiae, seu magni uberrima rura
Euphratis, sive Euxini florentia ponti
Littora, saeclorum vicibus revoluta nefandis
Regna vides, aliudque super se extollere majus
Imperium, et populos sese miscere ruentes.
Num demum effuso saturatas sanguine terras
Candida pax hilarat: laeta ditione beatae,
Ut cuique ingenium, genitalia semina volvunt.
Romanis protecta armis, ipsoque senatu
Aram Judaea antiquam, et sua sacra tuetur.
Unica relligio populo stat cura quieto.
Parte alia e Libani nemoroso vertice ad usque
Aërium Taurum exundat circumflua luxu
Graeca superstitio: stant templis maxima regna,
Insani reditus, opulentaque messibus arva,
Et famuli innumeri. Interdum spatiosa patescunt
Oppida, qua profugi sacrum opperiuntur asylum.
Nec semel Aemathiae graecisque allata colonis
Numina concurrunt vetera, atque recentia in unum.
Praeterea Graeci studiis ingentibus instant.
Ut semper, sua mirantur [33], laudantque diserti
Rhetores, atque Sophi veneranda volumina patrum
Enucleant: Asiae stat romula *Tarsus* amoenae
Altrix doctrinae omnigenae, rerumque magistra.
Hem! qua luce nitet divini maxima Homeri
Patria! quaeque Troas pugnata ingentia bella
Commemorat, quaeque Joniae mitissima tellus!
Hinc *Rhodos*; inde propontiaca se attollit in ora
Cyzicus: haec latio provincia ditior orbe.

Inventrix operum se industria daedala late
Explicat, et varios artes exercet in usus.
Inde mari relegens piscosae moenia *Deli*
Plurimus hesperias tendit mercator ad undas,
Navibus exportans milesia vellera, et enses
Insculptos *Cibyrae*, et fulgentia *Laodiceae*
Aulaea, et tua vina, *Chios*, tuaque optima, *Lesbos.*
Ast hic, vera loquor, Romae occurrere micantes
Luce sibi ignota gentes, doctisque refertae
Thesauris. Spoliis victi ipsa orientis onusta
Hesperium sese domitrix convertit ad orbem.
Ipsius adventu sine lege, sine ordine gentes
Occiduae didicere ferum exhorrescere victum.
Barbariem ipsa rudem poliit, junxitque politam
Ipsa sibi sociam, et bellaci fulmine gentes
Effoetas senio, serasque ad fortia vires
Diruit, ejecitque solo: tamen illa recepit
Olli quae deerant, civilis lumina cultus,
Continuitque gradum, et tantum contenta supremo
Imperio rerum, propius succedere cultis
Gentibus extimuit: non ulla colonia ducta,
Romanos ceu si invideat concedere mores.
  Haec dum commemorat Joseph, Lateranus obortam
Laetitiam nequiit simulato abscondere vultu:
Laetum cor, laetique oculi: mox talibus instat:
En magnae fines Asiae: qua volvitur ingens
Vorticibus rapidis Tanais, per inhospita tesqua
Indomitae Scythiae gentes, et Sarmata pacis
Nescius, huc illuc certa sine sede vagantur.
Claudius evicit.longis horrentia pilis
Agmina, Romuleisque adsunt in bella maniplis.

Ignotae stirpes lustrant maeotica stagna:
Stagna colunt, ripasque habitant, aestusque sonantes
Bosphoreos, passim Euxini per littora ponti
Assuetae rapere, et quernis se abscondere silvis.
 Sogdianum, Hyrcanumque vides, regnataque Bactra.
Bactris egrediens per Caspia claustra nitentes
Medorum invenies campos, et roscida prata
Et laetas segetes, ubi adhuc labentibus annis
Persica regifici servat vestigia luxus
Ecbatane: nostro se subtrahit orbe remota
India, et extremi noto vix nomine Seres.
Hoc Romae imperium: per totum verius orbem
Ipsa patrocinium exercet, sed nemo lacessat
Romanam pacem majestatemque potentem [34].
Audebit tantum nostris obstare maniplis
Aemulus imperii Parthus [35]? Germania victa
Usque ad Visurgim mandata stipendia solvit:
Quaecumque imperii fugiunt confinia, foedam
Barbariem [36], humano neque dignam nomine dicas.
 Inter tot populos, inter tot regna potenti
Felix imperio, et caeli regione serena
Aetheriam attollit frontem Roma inclyta: laetam
Tellurem gelida certant defendere ab arcto
Alpinae cautes et saxa minantia caelo.
Ah! cohibete gradum, sacros neu tangite fines,
Quos natura parens praescripto limite signat.
Circumstant trepidae gentes, genibusque minores
Reginam rerum socio clamore salutant.
Ipsa sedet solio insigni, sceptroque potenti
Bellatrix fraenat populos ditione subactos.
Illinc Euphrates, Nilusque et maximus Atlas,

Atque hinc Danubius Rhenusque novissima magni
Stant meta imperii [37]: qua sol oriturque caditque,
Plurima, ne in vacuum romano incurreret hostis,
Advigilat legio, castris assueta stativis,
Dum mare quod supra Italiam quodque alluit infra,
Defendit duplex armato remige classis;
Altera turrigeram fida statione Ravennam,
Altera Misenum et Baias perlustrat amoenas.
Salve, terra parens [38] terrarum, et maxima alumna.
Numine lecta deûm, quae caelum clarius ipsum
Efficeret, totum quae tot dispersa per orbem
Jungeret imperia, et ritus molliret agrestes,
Discordesque sono linguas, commercia vocis
Per varia unius lingua componeret una,
Romanum et cultum et romanas adderet artes,
Et populis fieret toto patria unica mundo.
At Philo molem imperii fatumque stupescens
Arcanum: Omnipotens, inquit, Deus aethere summo,
Qui magno humanas moderatur numine sortes,
Tam pulchram patriam, bene nataque moenia servet.
Hic *Seneca*, *et Traseas* magnam ingrediuntur in aulam,
Quo proceres Romae nutantis imago vocabat,
Et jurata fides lapsis succurrere rebus.
Et mox plebeja *Piso* jactantior aura
Venit, *Lucanusque* odium immedicabile servans,
Scaevinusque ardens primas sibi poscere partes
Caedis patrandae, et *Fenius*, quem Caesar in urbe
Deseruit praefectum aulae, atque potentibus armis.
Stant Seneca, et Thraseas a Burri caede recenti
Percussi, atque animo tot publica damna dolentes:
Omnes triste aliquid caperata fronte volutant,

Obnubuntque togis sese, suspectaque jactant
Lumina. Mox Domino superant praeeunte silentes
Inter marmoreas surgentia tecta columnas.
Inde alias aliasque aedes, conclavia nota
Trajiciunt taciti: vulgo latet abdita sedes
Interiore domo, arcanis accommoda rerum
Consiliis. Gemina ante oculos consurgit imago
Cassius et Brutus; commune est carmen utrique:
Romulidûm extremi. Hinc pendet spes ultima Romae.
Quod commota tamen tetigit mage pectora, *Cassî*
Ingressus fuit. Is lucem aspectabilis orbis
Perdiderat, captis oculis: sed vivida mentis
Virtus fervidior Roma requièrat in una;
Et nunc, ut patriae fatum mutaret iniquum,
Qua designati ducebat Consulis ingens
Spes, aeger seniorque venit. Vix limine primo
Substitit, et nixus baculo, comitante ministro,
Aulai praetentat iter, cuncti, agmine facto,
Excepere virum, mediaque in sede locarunt.
Magnos heroas, magnae clarissima Romae
Lumina, solemni excepit Lateranus honore,
Et salvere jubens praesentem tradit amicum:
Hic doctus Philo, judaea e stirpe, meretur
E nostro esse choro: jam nunc Pater ipse, potensque
Christiadûm ductor laetabitur affore, si quid
Innumera e tali sperandum gente putatis.
Nec minor interea torquebat cura Pudentem,
Cui lux illa fuit toto jam longior anno:
Illum tanta tenet renovandae gloria Romae!
Et Petrum aggressus: Quidnam, Pater optime, censes?
En se pacato paullisper murmure fluctus

Undisoni posuere: licet discrimina mille
Sanctum circumdent agmen, nos omine magno
Expectat Laterana domus, nec defore verbo
Crediderim. Paulli casus concussit acerbus,
Id video: at quanta stetit haec victoria laude
Magnae Christiadûm genti? Cui maximus heros:
Ibimus: ipse jubet Christus gerere inclyta bella,
Qui primus gladios [39] terras immittere in imas
Edixit: bellare juvat domibusque forisque,
Quo nos cumque vocat victoris gloria Christi.
Atque utinam foeda errorum atque incondita nubes
Quae humanos hebetat visus, oriente nitore
Solis divini, tenues vanescat in auras,
Atque oculos discant reserato attollere caelo!
Talibus eloquitur, rerumque exorsa capessens,
A Te, qui sanctae jacularis spicula lucis,
Nixibus humanis nequicquam obstantibus, atque
Aëra dispellis tenebrosum, atque ardua rupis
Saxa jubes veluti tepidam mollescere ceram,
A te poscit opem, et fido comitatus amico
Carpit iter, tacitaeque subit fastigia sedis
Ignotus cunctis. Nomen vix unus et alter
Audierant, tumidoque elata superbia fastu,
Et foeda ambitio, et felix opulentia sanctam
Pauperiem, et curas humiles, habitusque modestos
Aspernabantur. Vepribus silvestribus horrens
Dumetum ingrederis, morum Galilaee recentum
Formator. Coetu cupido cinxere Pudentem
Ocyus, et longo reducem post tempore cuncti
Scitantur, quae causa morae, quae cura removit
Jamjudum urbano strepitu dubioque senatu.

At Seneca assurgens Petro venit obvius, atque:
Isacidûm hic princeps, inquit; nos novimus illum,
Quem pietas Romae, et pollens sapientia clarat,
Et prior hospitio Burrus sibi junxit amico.
Ipse uno Consul commotus nomine cunctis
Detinet officiis, solioque invitat eburno.
  Vix magna excipiunt lectos subsellia patres,
Tum Lateranus: Adest Romae divinitus ingens
Auxilium; hesterna visit me luce Silanus [40].
Junius? exclamant Thraseas, et Cassius. Eccur
Invideat juvenis nostro considere coetu?
At jam magnanimus nocturnis tectus ab umbris
(Omnia cognôrat) secretam intrabat in aulam.
Juni, tun' Romae? Senior tum Cassius infit:
Huc ades: ipse meis te saltem amplectar in ulnis.
Dic age, dic, juvenis, quae Romam causa reducit?
Unus amor Romae, patriaeque injuria caedis,
Respondit: luctus hoc uno solor amaros.
Heu! quianam ipse meae referam infortunia gentis?
Audistis patrem crudeli morte peremptum.
Ipse Asiae proconsul erat: seu caeca cupido
Insaturata auri, sive aversata potentem
Aulica nequities, soliique in jura vocatum,
Totam Asiam implentem virtutum luce suarum
Interimit virus media insanabile mensa.
At soror et mater poterant mollire tyrannum.
Irrita spes! letho simul occubuere feroci
Et soror et mater. Manibus delapsus iniquis
Deserui ipse Asiam, et fugiens terraque marique
Africa regna peto. Plebaeo nomine tectus
Me tum militibus scripsi, Macroque magistro

Infraenes contra Numidas confligere pergo.
Protinus oppressi Numidae, bellumque resedit,
Otia displicuere: vocat Hispania pugnax,
Cantabros victos toties, totiesque rebelles
Vicimus haud aegre. Legio romana tribuno
Parebat mihi; sed postquam, certamine misso,
Agmina respicio longa languescere pace,
Deserui Galbam, neque deseruisse pigebit.
Advenio Romam priscos invisere amicos,
Quos miserae fortuna domus, et cognita virtus
Impulerint saltem nostrae miserescere sortis.
Et mox arctoi tendam ad vada caerula Rheni;
Virginium posco, romanum exemplar avitae
Virtutis; duce quo pugnare ingentia bella
Discam, meque paro, patriae si quando jacenti
Poscit opus, ferre auxilium, manesque paternos
Ulcisci, et foedum solio exturbare tyrannum.
Sic ait, et moestis oculis inopina cadebat
Lacryma: spectantes generis miserabile fatum
Perculit, aggeriturque novis violentia flammis.

Tum vero assurgit senio venerabilis ipso
Cassius, et coram solita gravitate profatur:
Quod faustum [41] felix fortunatumque Quirini
Sit populo, huc lecti Romae spes omnis in unum
Venimus. At vobis, caelestia numina, vobis
Primus ego aggrediar justas persolvere grates,
Quod semper Romam et Capitolia, et inclyta bello
Moenia praesenti auxilio defenditis, atque
Non prius obtigerit mihi dulci excedere vita,
Quam tot spectârim, fortissima pectora, junctis
Consiliis, veteris felicia tempora Romae

Commemorare. Fides proh! prisca, invictaque bello
Dextera! Quo recidit vasti pulcherrima quondam
Regina imperii? Quantus fluit undique rivus
Sanguineus! Quantae laniato in corpore plagae!
Praeterea saevis ambo constricta catenis
Brachia; terribilis, monstrum furiale, tyrannis
Matronam dejecit humi, jamjamque caducam,
Si serum auxilium, extremo transverberat ictu.
Quae genuit nos Roma, extrema in funeris hora
Nostram implorat opem, nostra ora atque arma tuetur.
Et jam Romulidûm antiquum rarescere semen
Sentimus, nostramque adeo languere coronam.
Heu! quis te Romae eripuit, Burre optime? quis te
Romanae invidit tendenti ad pristina sorti?
Saevities eadem, caedisque insana cupido,
Sic orsus Seneca, eripuit. Sic nempe pudebat
Tantam virtutem obscoena illucescere in aula?
Militiae ille ingens auctor, Romaeque vetustae
Effigies vastatori immedicabile probrum
Discipulo stabat. Maculatus sanguine fratris
Proditor, ipsius maculatus sanguine matris
Aggreditur patriam ipsam extinguere: funera crescunt
Funeribus: commune bonis est Roma sepulcrum.
Excessit vita Burrus; ut murmura famae,
Aegra valetudo absumpsit: ut conscia veri
Indicia, infusum virus, mandante Nerone [42].
Plura expectamus? sed te, Burre optime, saltem
Tutari poterat reverentia sueta magistri.
At non sperabas: tu me meliora putantem
Sacrilego a monstro exhorrescere cuncta docebas.
En ego nunc maneo: caelumque auramque perodi

Te sine: jamque volens supremas demoror horas.
Tum vero ipse faces odiis Piso [43] admovet: ortus
Calpurnî genere, et consanguinitate paterna
Praecipuas Romae gentes sibi junxerat. Olli
Aut virtus, quaedam aut virtutis imago decorum
Augebat nomen. Facundia magna tuendis
Civibus emicuit, donis ornârat amicos;
Comis et urbanus tecto excipiebat in amplo
Ignotos etiam, et laeto sermone juvabat.
Praeterea celsum corpus, faciemque decoram
Sors dederat, vili populo mirabile donum.
Nulla tamen morum gravitas, foedasque secutus
Ultro voluptates, luxu indulgebat inerti.
Si magnis coeptis Romae fortuna faveret,
Hunc spes imperii rectorem ostenderat; unum
Credebant, otî tanta dulcedine, mitem
Imperii dominum, nulla asperitate, futurum.
Ipse statum Romae miserum his describere tendit:
Ventum ad supremum, Socii: praesentius optat
Auxilium patria, heu! misero laniata dolore.
Magnum opus, omnipotens divûm quod condidit omen,
Quod nostri peperere patres, per nostra sinemus
Otia collabi? Quantocius imo necesse est
Consulere unanimes. Quidnam nisi vita superstat?
Cumque bonis vitam nobis auferre minatur,
Et faciet Caesar. Cui res incognita? plebem
Suscitat urbanam, plebejae innititur irae,
Casu patricios [44] quo cunctos obruat uno.
Si dextrae oblanguent, quamprimum incondita plebes
Aedibus irrumpet nostris, miseraque ruina
Quae reliqui fecit Princeps, loca vasta dabuntur.

At mihi dum rebus mens haeret tota novandis,
Ante equidem summa de re statuisse putàrim.
Quid faciet primum diro servata tyranno
Roma? simul liceat fractis erumpere vinclis,
Quid faciet populus? Patres, vos cernitis ipsi,
Vilia quam turpi ingenia ingemuere catena.
Robur inest ollis tantum, quo libera jura
Quamprimum utantur, dextra victrice resumpta?

Quem deinde excepit justa implacabilis ira
Lucanus vates [45]. Hunc misit Corduba Romam
Socraticis notum studiis, doctaque potentem
Calliope, et Caesar magnam invitârat ad aulam,
Jamque pares ambo, populo spectante, legebant.
Ast ubi threjicium stipatis Orphea scenis
Hispanus cecinit, frustraque obstante Nerone,
Judicium lectae meruit solemne coronae,
Caesaris invidiam subiit. *Pharsalia* flammas
Auxerat, extincto qua solus posse Marone
Visus maeonio dignus contendere cantu;
Et quamvis humilis cecinit: *Tibi numine ab omni*
Cedetur, jurique tuo natura relinquet,
Quis Deus esse velis, ubi regnum ponere mundi [46]*;*
Nil demissa juvat miserum assentatio vatem.
Ex aula expulerat Caesar, foedisque coëgit
In tenebris residem luctuque absumere vitam;
Nunc primum egreditur, flammasque minatur et enses:
Heu! heu! lethiferis veluti si febribus aeger
Uritur, et summo tenuis vix spiritus ore
Errat, tabifica incessit praecordia pestis,
Artem paeoniam edoctus, latitantia prudens
Semina scrutatur, queis ultima linea vitae est;

Explorare libet, quae propugnacula Romae
Ultima, quo postrema loco spes nixa recessit.
Non me privatae commôrunt jurgia causae
Tantum, nec nostris illata injuria musis,
Quantum pernicies Romae, quae patria cunctis
Gentibus, et statio ingeniis illustribus una.
Cum lacrymis dicam: venis cruor omnis ab imis
Hactenus effusus, parvumque superfuit agmen,
Quo vivax haeret romani spiritus aevi.
Quidquid pertulimus tenus hac, memorare relinquam,
Ni Mars foemineus, matrisque incoestus adulter
Humani probrum generis maiora pararet.
Heu! collata uni imperii infinita potestas
Omnia crudeli gaudens evertere ludo
Per medias dudum graditur furibunda ruinas.
Haud incerta fero. Imperio medicamina nulla,
Ni quae nostra dabit manus: irrumpamus in aulam,
Ne flatu impuro hoc maculet spirabile lumen:
Omne jugum servile, omnis delenda tyrannis,
Cumque ipso imperii pollutum extinguite nomen.
Qualis Lernaeis septemplix bellua stagnis
Cui septem capita horrendis vallata colubris,
Vix caput Alcides flamma crepitante cremabat,
Innascebatur truncato in vertice major
Sibilus, instabant furiis agitantibus hydrae,
Donec consilio audaci totum occupat igne
Monstrosum partum Alcides, clavaque trinodi;
Una salus nobis, extinguere vulnere in uno.
Si mora quae nobis, faciet Nero: funere in uno
Extinguet Romam, atque hominum genus omne necabit.
Haud alio, comites, nitendum cardine rerum.

Parcite, Romulidae: subita tum voce Silanus
Assurgit, coetuque iterum plaudente profatur:
Parcite, Romulidae; vestras peregrinus ad oras
Advenio, observata ferens terraque marique.
Ah! si ductorem fatis excussa sinistris
Roma suum dicet, terrarum imitabitur orbis
Infaustum exemplum. Respublica scinditur anceps:
Altera Roma [47] Ararim supra, Roma altera Iberum
Supra consurget: suspectis murmurat ausis
Baetica, concordi turbatur Gallia motu.
Ne quemquam imperiis, aut majestatis honore
Dignatum temere infaustam extollamus ad aulam.
Amplius hoc addam. Cognato sanguine jungi
Caesaribus mea culpa omnis, caesoque Nerone
Unus ego supero, at patriae mea jura resigno.
Romula confestim exurgat Respublica: sancto
Imperio dominata diu Respublica rursum
Virtute omnigena stupefacto illuceat orbi.
Sic ille: extemplo conferta sedilia festo
Concrepuere sono: quamvis mens conscia facti,
Consiliumque anceps tenebrosa silentia suadent,
Ut primum ante oculos veteris pulcherrima Romae
Emicuit facies, juvenisque reluxit in ore
Nobilitas antiqua virûm, se inopina repente
Laetitia explicuit: plausu tota assonat aula.

Et nova romanis quaerenda est gloria signis,
Adjecit Fenius [48]: deses victoria dudum
Constitit ad Rhenum; insultat Germania, at acer
Virginius languet positis inglorius armis.
Quid moror eoas acies? opprobria foeda!
Armenium subiere jugum. Vix dedecus ingens

Corbulo [49] delevit. Quae factum magna manebit
Gratia? jam poteris certam portendere cladem,
Corbulo: te nimia Caesar clarescere fama
Infremuit: quonam vitabis tegmine telum?
Anne opus est nostris fines spoliare remotos
Militibus, pavidaeque vocare sub ostia Romae
Armorum oblitos? faciet Nero: si acrior icto
Inciderit capiti fervor, rex scenicus urget
Ad cantus specimen acies adstare latinas.

Nec minor exagitat Judaeos cura, priorque
Philo judaeae infelicia fata ruinae
Conqueritur: Verba Hebraei vos libera tangant,
Romulidae; neque enim vestra infortunia rerum
Nescimus, vestrosque audentes cuncta tyrannos.
Deterior Nero, sacrilegum quo clauditur agmen.
Me patriae succendit amor, sed vera profabor.
Nam Deus Omnipotens infernis evocat antris
Impia prodigia, et foedas emittit in auras,
Justas sacrilega poenas ex urbe reposcens,
Quae nunquam saturata auro, saturata cruore
Servitium sine more ferum, immanesque catenas
Innectit populis. Dextra Deus ipse potenti
Progeniem infandam penitus delere parabit,
Si clarum magno ducens a sanguine nomen
Sordibus impuris, luxuque effoeta nefando
Opprimit innocuas, romano nomine, gentes.
Et queritur jure Hebraeus, si Roma manebit
Uno eodemque gradu; verbis Lateranus apertis
Prosequitur. Totus sub iniquo pondere mundus
Defessus nutat; rupta compage minatur
Fragminibus variis moles procumbere tota.

Constituenda prius, nî fallit dextra, severa
Judicia, et revocanda fides, reprimenda libido.
Omnia quae lapsa in pejus fluxere, locabunt
Omnia tuta loco sanctarum oracula legum:
Id faciet prima exurgens Respublica luce.

At non haec tacitus Thraseas [49] promissa recepit,
Omnia consuetus justa perpendere lance;
Quem veteris clarum exemplar virtutis, et altum
Indolis antiquae specimen mirata stupebat
Curia. Conquirens tantum bona publica, nullis
Partibus innixus, rerum immersabilis undis
Adversis, ipsum aspectum fugiebat et ora
Principis: at foedum prolapsum ad sordida saeclum
Oderat, et nullis inerat fiducia rebus.
Hebraeum ipse oculis primum respexit acerbis:
Jure quidem increpitas, inquit; te permovet ingens
Dedecus. At nostrae quae princeps causa ruinae?
Ah! Dî te, mendax et mollis Graecia [50], perdant:
Curriculo e veteri tu primum evertere visa es
Romanum ingenium; jampridem ignota theatra,
Ignotae choreae, luxusque immensa cupido,
Et molles thalami, incestaeque cupidinis aestus.
Rustica simplicitas, male sarta mapalia fortes
Progenuere viros, qui duro vomere pingue
Excoluere solum, at quicumque incurreret hostis,
Pro patriis aris liberrima pectora letho
Obtulerunt. I nunc, Furios, fortesque Camillos,
Fabriciosque voca: graecari et ludere discunt
Romulidae atque obscoena pati, quae Graecia mollis,
Quae mendax Asia edocuit: nil cetera curat.
At cernens Lateranus abire in jurgia tempus:

Vera nimis, Thrasea, pandis: sublapsa feruntur
Omnia? nonne jugum juvat excussisse pudendum,
Et Romae renovare decus? Cui talia fanti
Subridet Thraseas, veroque haec protulit ore:
Quam Romam memoras, Laterane? heu! martia quondam
Roma fuit, fuimus praeclara e gente quirites.
At nunc (heu! vivis solatia nulla supersunt)
Extremas cineri exequias fas ducere sancto,
Et positam tumulo summa donare querela.
Dicam equidem: nostris si Roma resurgere dextris
Posset, nulla quidem abnuerim conamina: Romam
Quaero, nec invenio, nostra Roma exulat urbe.
Eheu! quo prisca patrum soboles? quo antiqua senatus
Majestas abiit? populis heu! credita quondam
Inclyta justitiae sedes sanctumque deorum
Concilium! prisca dudum subsellia luce
Dispoliata jacent, pauci virtutis avitae
Heredes vitam in tenebris luctuque tuentur.
Cum Nero bajanum materno sanguine littus
Polluit, horrendum dictu et lacrymabile crimen!
Cum laniata suae conspexit viscera matris
Membraque laudavit varia aut reprehendit, iniquum
Conscripta hic Romae excusavit epistola crimen [51].
Plerique exiluere ferocem obstringere dextram,
Quae matrem occidit. Vix postera crederet aetas
Quae cano: quod sanctum servârant fata Neronem,
Curia decrevit cunctis solemnia templis.
Et nos audemus Romam relevare jacentem?
Jura sua accipiet populus, sua jura senatus.
At quem Roma vocat populum, quem Roma Senatum?
Sic ille increpitans, fremebundaque murmurat aula.

Ac veluti in silvam subito si turbine Cauri
Ingruerint, tremulum late increbrescere murmur
Incepit, densae excutiunt capita alta trementes
Castaneae, incertoque strepunt virgulta sonore;
Haud aliter Thraseae liberrima verba malignis
Vim fecere animis; mussant, subitoque fragore
Tota domus resonat. Consul tum tristior infit:
In pejus tu cuncta trahis? nigrescere semper
Omnia respectas? Romae spes nulla refulget?
At fieri quae posse negas, haec dextra patrabit.
Jupiter omnipotens capitolina excubat arce,
Et Romae fortuna viget, semperque vigebit.
Si liceat monstrum hoc foedum detrudere ad orcum,
Respirare datur: sopitisque excita flammis,
Quam fles compositam, pulcherrima Roma resurget.
Cuncta parata mihi, nec defit vivida virtus.
Digni Romulidae dextras in foedera jungunt.
Cum Fenio [52] stabit praetorî exercitus ingens.
Tota fremit contra conjurans Roma tyrannum.
Insuper externae gentes, tentataque dudum
Arma favent: qua se dederit fortuna, sequamur.
Gallia [53] quamprimum atque potens Hispania sumptis
Adsurgent armis. Pyrenes concita saxis
Agmina Galba movet, Druidumque oracla secutus
Vindex alpinas properat transcendere cautes.
Ast ego, sic Thraseas graviori voce reponit:
Nec vos sacrilegi prohibessim caede tyranni.
Hoc juvat, et comitum insontes ulciscimur umbras.
Imo patrandam baiano in littore caedem
Censeo, quo Caesar caelo deceptus amoeno
Saepe venit celebransque epulas, et balnea, nullis

Excubiis, Romam, et strepitum obliviscitur aulae.
Quin etiam ipse tuis saepe incomitatus in hortis [54]
Versatur, Piso: famularis dextra vagantem
Opprimat, eque tuo pendet victoria nutu.
At non id patiar; graviori respuit ore
Consilium Piso: neque tuta silentia villae
Quaesita hospitio, neque divûm numina caede
Hospitis effusoque velim maculare cruore.
Quin potius Romae, viduata civibus urbe,
Extructaque domo exuviis civilibus, et qua
Polluta est toties majestas publica, Romae,
Audendum, populo, atque ipso spectante senatu [55].
Consilium placet, atque adeo circensibus ipsis,
Subjicit hic Consul: jam dudum rarus in urbe
Occlususque domi venit ad circensia tutus
Ludicra. Ipse viam faciam: solamen egenis [56]
Obtestaturus rebus procumbere fingens
Impediam incautumque premam. Tunc agmine facto
Oppressum implicitumque, duces, circumdate, cumque
Nulla fugae dabitur via, densis figite telis.
Hoc me, Scaevinus magna sic clamitat ira,
Hoc me poscit opus: suspensum ad templa Salutis [57],
Quae colit antiquo venerata Etruria cultu,
Ensem subripuit (fatalemque extulit ensem
Spectantes hilarans interlucente micantis
Ferri acie): hunc ensem ignota sub veste latentem
Magno operi mecum ipse fero. Feniusque subinde:
Ipse ego, spem fidei, praetoria signa tenebo [58]
Ad Cereris templum [59]: armis auxiliaribus, urbem
In mediam exiliet veteris Res publica Romae.
Talia diverso motu dum murmure aguntur,

Summus Christiadûm ductor defixus in uno
Obtutu steterat, sermonumque orsa sagaci
Observans animo conamina vana videbat.
At postquam unanimis constat concordia, cuncti
Jurant quamprimum in certam prorumpere caedem;
Aegro reclinat canentem in pectore barbam,
Humanae secum plorans opprobria sortis.
Tuque taces, inquit Lateranus, maxime Rector
Isacidûm? nostris nonne auxiliabere coeptis?
Qualis ubi Christus [60], cum turpis adultera coram
Allata est, ardensque odiis pharisaea propago
Deprensam immissa quaerebat grandine saxorum
Obruere: obticuit primum, frontemque reclinans
Scribebat tellure: iterum quaerente caterva,
Erexit sese, et verbis reprendit amaris:
Insons qui vestrum est, primos intorqueat ictus;
Haud aliter verax primi pastoris imago
Visus adesse Petrus: Stricto concurrere ferro
Consilium est vobis? Culpa qui innoxius omni,
Audeat, et dira prosternat caede Neronem.
Tum vero aethereis ignescens lumina flammis,
Summaque doctrinae pandens documenta recentis
Prosequitur: Namquis mortali hoc corpore fudit
Immortalem animam dio spiramine cretam?
Quem penes arbitrium est vitae? cui prodere fas est
Militiae jura, aut commissa relinquere signa?
Cui quemquam turbare sua e statione licebit?
Ipse Deus dono vitam dedit: ipse resumet,
Quandocumque volet: vitae modo creditur usus [61].
Quales, audito Christi sermone, rebelles
Judaei steterunt, primo certamine victi;

Dein puduit, totumque cito dispescitur agmen [6];
Haud secus accipiunt liberrima verba Quirites.
Ingens exoritur motus, medioque tumultu,
Ignescunt irae: te unum, Lateране, malignis
Fraudibus incessunt, medio qui in crimine caedis
Auxiliumque vocas, defensoremque Neronis.
Degeneres animos alius timor occupat: illi
Consilii summam, tacitosque patescere coetus
Praemetuunt, subitoque ultorem instare Neronem.
Deseruere aulam, et pedibus timor addidit alas.
Restiterant Seneca, et Thraseas, seniorque Silano
Cassius innixus juveni, tacitique morantur
Ancipiti audacem obsepti caligine mentem.
At Rex Christiadûm sermonum incepta secundans:
Ipsi, Romulidae, nostis; jam mortua Roma est;
Spiritus excessit: si vobis tanta cupido
Auxiliatricem patriae protendere dextram,
Ipse docebo libens, socios qui spiritus artus
Integret, et senio obscoeno macieque retersa,
Suscitet immundo redivivam pulvere Romam
Ter mage formosam. Dicto obstupuere silentes
Romulidae: tandem observata silentia rumpit
Annaeus: Despectum habitu, longoque dolore
Effoetum seniorem haud vos novisse pigebit,
O Patres: saepe audivi stupuique loquentem.
Ille canit caelo e summo venisse medelam,
Quae reparare queat Romam, et formosius olli
Conferre imperium; doctrinae arcana repostae
Quae terrarum orbem totum mutare minatur,
Ferre ait: hic petimus miserae succurrere Romae:
Judaeum externumque sequi aut audire pudebit?

Unde salus cumque eniteat speranda, sequamur.
Deinde Pudens sequitur: Romano saepe senatu
Judicio integro graviora negotia rerum
Librantem audistis, Patres: me nôstis, et ipse
Vos novi: sed enim sequimur diversa: cupido
Vos priscae tenuit Romae, me magna recentis
Ordia ceperunt Romae, quae occulta sub ipsos
Romae oculos veteris crescit, fatique futuri
Praescia devotum sibi totum conspicit orbem.
Jamque adeo si immortali fulgore coruscans,
Dia fides veri [63] summa divinitus ora
Adveniens, sese romana sisteret aula
Oraretque, pedes vestros complexa: Quirites,
En ego devenio caelestis nuncia veri,
Romula quod frustra ratio, graecanica frustra
Quaesiit: ingratas vero quis deneget aures?
His surgens Thraseas: Veterem senioris amici
Agnosco vocem: nos unum optamus idemque.
Immo, si reditus certam conceditis horam,
In commune novae celebrabimus ordia Romae,
Quaecumque haec fertur: lucroque apponimus aevi
Auspicium cognôsse novi, finemque laborum.
Haec eadem poscit Lateranus: Crastina viset
Lux iterum comites. Magnis de rebus agendum,
Et, nisi quae obfuerint, Romae sapientia tota
Accita adveniet Seniorem audire loquentem.

Christiadûm interea Rector remeabat ad aedes
Exquilias, gaudens hasta excussisse tremenda
Credita surgentis tot propugnacula Romae.
Altera regressumque domum, atque inopina manebant
Gaudia. Namque, Hermi famulo comitante, Virago

Materque occurrunt; magno transfixa dolore
Ora videbantur, spemque inter mota metumque.
Conspectu primo Herois turbantur, et ardent
Accidere ad genua: at Petrus subsistit, et illo
Quo cordis fluctus tempestatemque serenat,
Vultu conspiciens: Vobis ego nuncio pacem,
Dixit: quid Christi sanctas venistis ad aedes?
Tum vero Mater: Nisi quid te detinet, audi.
At primum si te humana infortunia tangunt,
Ipse para ingentes lacrymarum effundere rivos.
Nôris fortasse (et quaenam se subtrahit orbe
Tellus, quo nostri non venit fama doloris ?)
Nôris quam subito Germania tota tumultu
Romanos contra infremuit. Sua quaeque sub armis [64]
Agmina per quernas assueta excurrere silvas
Libera, quo videre animo tentoria Romae
Intactos penetrasse lacus, castrisque locatis
Ipsorum ante oculos circumvallare potentes
Urbes lorica ingenti? haec injuria justos
Aegro incredibiles acuebat corde furores:
At nos imperio per linguam [65] atque indita jura
Adjungi haudquaquam patimur. Germania nullos
Pertulit externos hostes, neque perferet unquam.
Ut medio erectum vallo videre tribunal,
Horrida silvestres excivit buccina turmas,
Totaque foedifragam aggreditur Germania Romam.
Ipsa ferox *Velleda* aciem divina futuri
Ductabat: crebro hinnitu nemora alta sonabant
Quadrupedum, haud falsum augurium: tremit excita tellus,
Ipseque oberrabat medio certamine *Odinus*.
Ne turpes ignominias, cladem que cruentam,

O Senior, memorare sinas: totisque tremisco
Artubus, ut patriae reminiscor damna ruinae.
Mascula dum pubes certamina dira serebat,
Femineae stabant vicino in culmine turbae,
Monstrantes parvos communia pignora natos,
Addentesque animos validis clamoribus [66]. Omnes
Procubuere viri: nobis victoria saltem
Parceret! imbelles partim horridus abstulit ensis,
Et pars romanis servitum matribus imus.
Tum me primaevae gaudentem flore juventae
Lentula suscepit domus, et praelata decorae
Nuptae ipsi, domini obtinui captiva cubile,
Atque hanc servitio mater sum enixa puellam.
Infelix mater! (cunctanti hic sponte fluebant
Ex oculis lacrymae: flebat formosa virago,
Nec fletum tenuit romani Pastor ovilis);
Infelix mater! spectans florescere natam
Egregiam, et praedulce loqui, et ridere serenum,
Haud invita quidem domini fastidia, (jamque
Effoetae ingruerat formae maturior aetas)
Ipsaque servitii deterrima damna ferebam.
At subeunt majora: domum gravis alea herilem
Pessumdat: longo labefactus foenore rura
Vendit herus sensim, et gaza expoliatur opima,
Jugera quam tulerant Asiae decumana minoris.
Et mox ipsa eadem, et mecum mea nata jubemur
Ire forum venale: at heri non institor ullus
Accessit: primo dein mane reducimur; aegrae
Jejunaeque jocos mangonum oculosque subimus;
Demum rejiciunt sera me aetate caducam,
Filia seligitur, pretiumque emptore solutum.

Hic me deficiunt lacrymae, neque verba valebunt
Materno defixum animo proferre dolorem.
Tu pater es? dederunt patri pia numina natos?
Sic o sic miserae poteris miserescere matris.
Spectàrat nata haec medio externata timore.
Vix tandem fuerat numerata pecunia, dirus
Illam pone sequi jubet institor, ipsa refugit
Maternum in gremium: vidi pallere minaci
Verborum sonitu; vidi sub verbere torto
Discerptos humeros largo rorare cruore.
Ecce autem arrepta tortor tenet aure: sed illa
Arctius haerescit genibus: Ne desere, mater,
Exclamans: serva me, mater. Pertrahit emptor;
Auris vulsa manum sequitur, tellusque rubescit
Sanguine. Luctisonas ducentem e pectore voces
Excipio natam gremio: clamore vocata
Plebs manet addubitans: alii ludibria miscent.
Ecce autem Deus, aut quisquam de gente deorum
(Dicebant Hermum) in medias se proripit iras:
Pro nata duplicat pretium mercedis, et ipsam
Matrem emit: et ducente Deo huc pervenimus una.
Et quonam Hermus abit? Petrus tum quaeritat. Illa:
Credideris, Senior? pretium persolvere pactum
Festinans, summae cognovit defore partem.
Ocyus ergo suas famulum demisit ad aedes;
Ipse autem emptori certo pro pignore mansit.
Talia dicebat, jamque ipse supervenit Hermus.
Clamorem attollunt miserae, sanctumque salutant
Servatorem ipsum, et pedibus procumbere tendunt.
Ille autem recta ad Pastorem pergere, jamque
Oscula sacratis properabat jungere palmis;

At Senior natum passis amplectitur ulnis:
Agnosco grajae speciem virtutis, et ingens
Fratribus exemplum. Hinc matrem, aspectansque puellam:
Ne metuas, inquit: jam nemo abducet amatae
E gremio matris: neque tu memorabis Odinum
Amplius, o Mater: Christo persolvite grates:
Tutas ipse dabit. Latias, Germania, virgas
Effugis, et merito. An Christum aspernabere? Christus
Pacem aegrae, non bella feret, silvisque quietis
Barbarie expulsa mores inducet honestos.

NOTÆ.

[1] *Caeles* — Caelius mons, unus ex septem Romae collibus, a Tullo Hostilio urbi additus. Opinatur Festus, quem nos hic sequimur, ita dictum esse a Caele Vibeno, nobilissimo hetrusco duce, qui Romulo auxilium tulit, ibique habitavit.

[2] *Lateranorum domus* — Domus et gentiliciae virtutis, ut ea ferebant tempora, veluti perfugium habita fuit, et Christianae rei gloriis, uti postea videbimus, celebrior evasit. Cum Tacit. lib. XI, 49. de Plautio Laterano fateatur, quod eum ad conjurationem de Nerone interficiendo, consulem designatum nulla injuria, sed amor Reip. sociavit, ibi clandestina conspiratorum consilia et Pontificiae majestatis triumphum libentissime collocavimus.

[3] *Plautius* — Illustris admodum Plautiorum fuit familia. A. Plautium Aelianum de Britannis triumphantem, et Pomponiam Graecinam, uxorem suam, domestico judicio, externae superstitionis crimine absolventem lib. VII. vidimus: alius hic Plautius Lateranus, consul designatus, ex eadem familia, sive frater, sive fratris filius. Tac. XI, 49. Lateranum consulem designatum nulla injuria sed amor reipublicae sociavit.

[4] *Philo*—Uti ait Josephus, Ant. XVII. 10. Philo Judaeorum legatis prior, vir per omnia clarissimus, Alexandri Alabarchae frater, et non imperitus philosophus. Bis Romam legatus mittitur primo ad Cajum, secundo ad Claudium. Quod vero Romae noverit Petrum, Hieron. de script. eccl. 11. indicat: Ajunt hunc sub Cajo Caligula Romae periclitatum, quo legatus gentis suae missus fuerat: cum secunda vice venisset ad Claudium, in eadem urbe locutum esse cum Apostolo Petro, ejusque habuisse amicitias. Christianorum fuerit nec ne studiosus, dicemus inferius cum de Essenis quaestio est. — *Mandàrat statuam.* Haec omnia in recitatione habes Philonis, lib. de legat. ad Cajum, cum demens Imperator Agrippam objurgabat: Boni honestique cives tui, qui soli ex omni hominum genere dedignantur Caium habere pro Deo, videntur jam mortem sibi per contumaciam quaerere, dum me jubente in ipsorum templo consecrari Jovis simulacrum, populariter ex urbe agrisque occurrerunt specie supplicum, sed revera mandatum meum proculcatum.

[5] *Plena illa potenti* — Sunt verba Jeremiae de excidio Hierosolymae: Quomodo sedet sola civitas plena populo! facta est quasi vidua domina gentium; princeps provinciarum facta est sub tributo.

[6] *Josephus* — Judaeus historicus, quem tamen et mendacii et magnae levitatis arguit Baronius identidem, in Judaeo bello primum contra Romanos armatas acies eduxit; mox victori Vespasiano adeo adulatus est, ut nomine ipso mutato *Flavius* sit appellatus, veluti in Flaviae gentis clientelam assumptus. Extat in Josephi Historiis locus, quo de Christo amplissimum exhibetur testimonium, Ant. XVIII, 3. Eo tempore fuit Jesus vir sapiens (si ta-

men virum eum fas est dicere; erat enim mirabilium operator, et doctor eorum, qui libenter vera suscipiunt, plurimosque tam de Judaeis quam de Gentibus sectatores habuit). Christus hic erat, quem accusatum a nostrae gentis principibus, Pilatus cum addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere, qui ab initio coeperant. Apparuit enim eis tertia die vivus, ita ut divinitus de eo vates hoc et alia multa praedixerant, et usque in hodiernum diem Christianornm genus ab hoc denominatum non deficit. E quibus licet colligere quod res nobilissimas summa memoria dignas tacitas praeterire non potuit: quod autem in hebraea caecitate tenacius perstiterit, non est omnino dubitandum.

[7] *Incondita turba—Asylum.* Liv. I, 8. Locum qui nunc septus descendentibus inter duos lucos est, asylum aperit. Eo ex finitimis populis turba omnis sine discrimine, liber an servus esset, avida novarum rerum profugit.—*Patres.* Liv. ib. 8. Centum creat senatores, sive quia is numerus satis erat, sive quia soli centum erant, qui creari patres possent. Patres certe ab honore, Patriciique progenies eorum appellati.—*Sobolesque.* Liv. II, 1. id et ipse fatetur: Quid enim futurum fuit, si illa pastorum convenarumque plebs, transfuga ex suis populis, sub tutela inviolati templi aut libertatem, aut certe impunitatem adepta, soluta regio metu, agitari coepta esset tribuniciis procellis... priusquam pignora conjugum, liberorum, caritasque ipsius soli, cui longo tempore assuescitur, animos eorum consociasset? Quod ipsum Sallust. Cat. VI. declarat: Hi postquam in una moenia convenere, dispari genere, dissimili lingua, alius alio more viventes, incredibile memoratu, quam facile coaluerint.

[8] *Honore* — Liv. II, 1. Priores ita regnarunt, ut haud immerito omnes deinceps conditores partium certae urbis, quas novas ipsi sedes ab se auctae multitudini addiderunt, numerentur.

[9] *Superbos* — Romanorum indolem nemo melius, quam ipse conditor Romulus explicat. Qui Liv. I, 7. Remum ludibrio fratris novos muros transilientem, occidit, verbis quoque increpitans: Sic deinde quicumque alius transiliet moenia mea. Ita, sequitur Liv., solus potitus imperio Romulus; condita urbs conditoris nomine appellata. *Roma* fuit commune nomen; sed et aliud arcanum innuere scriptores *Valentiae.* Mihi Roma graecum, ρωμη; *Valentia* latinum idemque sonans vocabulnm videtur. Audent Romani scriptores romanam clementiam celebrare, neque injuria id agunt ipsi, qui, certis fatis ducentibus, omnia humana Romae deberi arbitrabantur. Hanc fidem Virg. VI. Aen. explorate admodum ostendit.

Tu regere imperio populos, Romane, memento,
Parcere subjectis et debellare superbos.

Ut soli igitur dominarentur, mirum non est, si omne scelus externum pro gaudio habebant, Tac. VIII, 56. siquidem aliena regna invadendi opportunam praebebat occasionem; sive, ob eadem semper dominationis arcana, ipsimet tumultus

concibant, ut ad certam confessionem imperii populos, Vell. Pater. IV, 12. redigerent. Suarum partium studiosis maximo favebant opere, ut ceteris aemulationem facesserent. Itaque Macchab. I, VIII, 10. narratur: Pugnaverunt contra illos et ceciderunt ex eis multi, et captivos duxerunt uxores eorum et filios, et diripuerunt eos, et terram eorum possederunt, et destruxerunt muros eorum, et in servitutem illos redegerunt, usque in hunc diem: et residua regna et insulas, quae aliquando restiterant illis, exterminaverunt, et in potestatem redegerunt. Cum amicis autem suis, et qui in ipsis requiem habebant, conservaverunt amicitiam, et obtinuerunt regna quae erant maxima, et quae erant longe: quia quicumqne audiebant nomen eorum, timebant eos; quibus vere vellent auxilio esse, ut regnarent, regnabant; quos autem vellent, regno deturbabant. Vide, quam consona Mantuano vati est Judaea sententia!

[10] *Fundator* — Liv. V, 49. Dictator (Camillus) recuperata ex hostibus (Gallis) patria, triumphans in urbem rediit, interque jocos militares, quos inconditos jaciunt, Romulus ac parens patriae conditorque alter urbis haud vanis laudibus appellatur. Servatam deinde bello patriam iterum in pace haud dubie servavit, cum prohibuit migrare Vejos.

[11] *Hetruria* — Liv. I, 8. Me haud poenitet eorum sententiae esse, quibus et apparitores, et hoc genus ab Etruscis finitimis unde sella curulis, unde toga praetexta sumpta est, numerum quoque ipsum ductum placet. IX. 36. Habeo auctores vulgo tum Romanos pueros, sicut nunc Graecis, ita Etruscis litteris erudiri solitos. — *Affuit* Sic Liv. XV, 12. Sic universa Italia perpacata, qua maribus et amni Pado finitur, e vestigio per insulas propinquas, et adsitam Jonio Adriacoque pelago continentem, aliorum spe, aliorum formidine celebrari romana magnitudo coepta est.

[12] *Marte ferunt* — Liv. I, 3. Martem incertae stirpis patrem nuncupat. — *Oracula genti*. Sic Liv. I. 4. Sed debebatur, ut opinor, fatis tantae origo urbis, maximique secundum deorum opes imperii principium.

[13] *Belus* — Belus, filius Chusan, nepos Cham, Noe pronepos fuit, et pater Nini, primus assyriorum rex, cui vita functo Babylonii divinos honores dederunt, templumque erexerunt. A Nino rege amplificata nomen accepit Ninive, urbs maxima Assyriae, quam Assur primum aedificavit ad Tigrim flumen. Idem Belus, qui et Nembroth Babylonem, Chaldaeae caput extruxit, quam postea Semiramis moenibus cinxit, et turribus portisque aeneis muniit, supraque Euphratem arcibus; denique magnificentissimis aedibus, et hortis pensilibus ornavit. Nunc tantae urbis vix rudera supersunt apud *Bagdad*. Sed subacta Asia, totoque Oriente in potestatem redacto, primus Rex Persarum fuit Cyrus. Inter persicos reges praecipue nominantur Cyrus, Darius, Xerses. Paral. XXXVI, 22. Anno autem primo Cyri regis Persarum ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Jeremiae, suscitavit Dominus Spiritum Cyri regis Persarum. Et I, Esdrae II. 1: Reversi sunt

in Jerusalem et Judam unusquisque in civitatem suam. Liv. IX, 17. Non cum Dario rem esse dixisset, quem mulierum et spadonum agmen trahentem, inter purpuram atque aurum, oneratum fortunae apparatibus suae praedam verius, quam hostem, nihil aliud quam bene ausus vana contemnere incruentus vicit. De Xerse, Corn. Xerxi maxime est illustre, quod maximis post hominum memoriam exercitibus terra marique bellum intulit Graeciae.

[14] *Thermarum angusta* — Angusti aditus ex Thessalia in Boeotiam, unde et nomen Pylarum, id est portarum; altera vocabuli pars est ab aquis calidis quae sunt in illis faucibus. Corn. Them. III. Itaque missi sunt delecti cum Leonida Lacedaemoniorum rege qui Thermopylas occuparent, longiusque barbaros progredi non paterentur. Ili vim hostium non sustinuerunt, eoque loco omnes interierunt.

[15] *Aemathius juvenis* — Optime quidem in Macch. I, 1. de Alexandro: Alexander Philippi Macedo qui regnavit in Graecia. Egressus de terra Cethira, Darium regem Persarum et Medorum percussit, constituit praelia multa, et pertransiit usque ad finem terrae, et accepit spolia multitudinis gentium, et siluit terra in conspectu ejus.

[16] *Murmure regna* — I, Macch. legimus: Et regnavit Alexander annis duodecim et mortuus est. Et obtinuerunt pueri ejus regnum, unusquisque in loco suo, et imposuerunt omnes sibi diademata post mortem ejus et filii eorum post eos annis multis et multiplicata sunt mala in terra. Et exiit ex iis radix peccatrix. —*Franguntur regia sceptra*. Macch. ib. 8. hujusmodi Romanorum victoriae in oriente numerantur: Possederunt omnem locum consilio suo, et patientia, locaque quae longe erant valde ab eis, et reges qui supervenerant eis ab extremis terrae, contriverunt, et percusserunt plaga magna.—*Edomat*. Sic Liv. in comparatione illa, quam cum Alexandri Victoriis et Romanis viribus instituit lib. IX, 17. veluti legentibus amoenum diverticulum: Victus esset consiliis juvenis unius, ne singulos nominem, senatus ille, quem qui ex regibus constare dixit, unus veram speciem Romani senatus cepit?

[17] *Hispania* — Hispania, apud veteres Ibero flumine distincta citerior fuit, et ulterior; postea in tres partes divisa Tarraconensis, Baetica, et Lusitania. Tac. Hist. I, 53. Validissima pars terrarum.— *Celtiber*: Celtiberia Hispaniae regio erat inter duo maria. Apud Liv. XL, 35. vocatur provincia rebellatrix, sed maximis cladibus attrita Romanis demum deditur. Hispania et Augusto et Tiberio templa extruxit, Tac. I, 78: Templum ut in colonia Tarraconensi strueretur Augusto, petentibus Hispanis permissum, datumque in omnes provincias exemplum. IV, 37. Per idem tempus Hispania ulterior missis ad senatum litteris oravit, ut exemplo Asiae delubrum Tiberio matrique ejus extrueret.

[18] *Caesaraugusta* — *Saragoza* — Ad Iberum flumen, urbs Tarraco, Aragoniae primaria. — *Baetica* hodie *Andalusia* una ex tribus Hispaniae

partibus ad Austrum divisa a Tarraconensi Marianis montibus — *Cantaber* populus Hisp. Tarr. quorum regio Cantabrica la *Biscaya*. Hor. II, od. 11.

Quid bellicosus Cantaber et Scythes.

Et 1 epist. 18 de Augusto

Militiam puer et Cantabrica bella tulisti.

Perjuria Romae. Viriathus vir Lusitanus e venatore latro, e latrone dux atque imperator universam Lusitaniam occupavit: sed Roma contra interpositam fidem necandum curavit.

[19] *Gallia* — *Gallia* Transalpina quae vere Gallia est, dividebatur in quatuor provincias, Aquitaniam, Galliam Narbonensem, Galliam Celticam seu Lugdunensem et Galliam Belgicam. Hic de Lugdunensi et Narbonensi nominatim loquimur. Narbonensis, quae braccata etiam dicta fuit, a braccis villosae vestis genere, Romanorum fuit. *Narbo*, idem et Narbo martius dictus, quod eo Caesar ex Martia legione colonos deduxit. Cic. pro Fonteio: Est in eadem provincia Narbo Martius, colonia nostrorum civium, specula P. R. ac propugnaculum istis ipsis nationibus oppositum et objectum. Ibidem in ora provinciae erat *Massilia*, condita a Phoenicibus, instaurata a Phocaensibus qui Cyri tyrannidem fugientes, relicta Graecia, in hunc sinum navigarunt. Ibi studia ingenuarum artium adeo floruerunt, ut pro attica peregrinatione Romani Massiliaticum gymnasium peterent ad disciplinas addiscendas. Hinc apud Suidam de *Massilia venisti*, vel *Massiliam navigas*, dicitur de *nimis cultis*. Quod litterae latinae, et studia humanitatis generatim in Galliam mature penetraverint, omnes romani scriptores testantur. Cato Censor. 2. Origi: Pleraque Gallia res duas industriosisissime persequitur rem militarem et argute loqui. Tac. III, 43: Augustodunum (*Autun*) caput gentis, armatis cohortibus Sacrovir occupat, nobilissimam Galliarum sobolem, liberalibus studiis ibi operatam.—*Lugdunum*. Senc. Ep. 19. de incendio Lugdunensi: Tot pulcherrima opera, quae singula singulas urbes ornare possint... Lugdunum quod ostendebatur in Gallia . . . Una dies inter fuit inter maximam urbem et nullam—*Alauda*. Avis quae galerita vocatur, *Allodola*, quod apicem habeat, seu plumam elatam in capite ad similitudinem galeri. Caesar, cum ex Gallis legionem conscriberet, Alaudam appellavit. Cic. ad Att. 16. ep. 8.

[20] *Britannia* — Tac. X, 30. Stabat pro littore diversa acies, densa armis virisque, intercursantibus feminis, in modum Furiarum, quae ferali veste crinibus dejectis faces praeferebant. Druidesque circum preces diras, sublatis ad caelum manibus, fundentes, novitate aspectus perculere milites, ut quasi horrentibus membris, immobile corpus vulneribus praeberent. Dein cohortationibus ducis, et se ipsi stimulantes, ne muliebre et fanaticum agmen paverent, inferunt signa, sternuntque obvios, et igni suo involvunt. Praesidium posthac impositum victis, excisique luci saevis superstitionibus sacri. — *Circum*. Quibus artibus imperium Romani affirmarent, aperit Tac. Agr. 21. Ut homines dispersi ac rudes, eoque bello faciles quieti et otio per

voluptates assuescerent, hortari privatim, adjuvare publice, ut templa, fora, domus extruerent, laudando promptos et castigando segnes: ita honoris aemulatio pro necessitate erat. Jam vero principum filios liberalibus artibus erudire, et ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, ut qui modo linguam romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent: inde etiam habitus nostri honos, et frequens toga: paulatimque discessum ad delinimenta vitiorum, porticus, et balnea et conviviorum elegantiam; idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset. — *Camulodunum.* De Camuloduno, colonia veteranorum Britanniae imposita, deque templo Claudii Tac. X, 31. Acerrimo in veteranos odio, quippe in coloniam Camulodunum (*Maldon*) recens deducti, pellebant domibus, exturbabant agris captivos, servos appellando: ad haec templum divo Claudio constitutum quasi arx aeternae dominationis aspiciebatur; delectique sacerdotes specie religionis, omnes fortunas effundebant. Idem Tac. de Londino lib. X: at Svetonius mira constantia medios inter hostes Londinum (*Londra*) perrexit, cognomento quidem coloniae non insigne, sed copia negotiatorum et commeatuum maxime celebre. Vide principem Britanniae urbem eodem semper ingenio, vel ipsis romanae ditionis initiis florentem. — ***Britannos.*** Britannia ab Caesare tentata, sed sub Augusto adhuc incognita. Hor.

Serves iturum Caesarem in ultimos
Orbis Britannos.
. . . Praesens divus habebitur
Augustus, adjectis Britannis
Imperio, gravibusque Persis.

Et Virg. Et penitus toto divisos orbe Britannos.
Sed Tac. in Agri.: Ita domiti ut pareant, nondum ut serviant. — *Mona* eadem quae hodie *Anglesey.* De ea Tac. X, 29. Monam insulam incolis validam, et receptaculum perfugarum aggredi parat. Quinam hi incolae? inter alios Druidae, vel Druides, ita dicti sacerdotes Gallorum, quod in lucis praesertim quernis habitarent, et querna fronde sacra omnia facerent. Apud Gallos habitabant praecipue ad Vegram flu. ubi nunc vicus de Roboribus, *Rouveres.* Svet. in Cl. 25 tradit: Druidarum religionem apud Gallos dirae immanitatis, et tantum civibus sub Augusto interdictam; a Claudio penitus abolitam. *Thule* Pl. II, 77. Ultima omnium quae memorantur Thule. Et Senec. Venient annis Saecula seris Quibus Oceanus Vincula rerum Laxet et ingens Pateat tellus, Nec sit terris Ultima Thule.

[21] *Hibernia* — Eadem quae Britannia minor, *Irlanda,* et veteres *Hiberniam, Ivernam* et *Jernam* nominavere, hodieque dum incolae *Eryn.* Pomponius Mela de hac insula: Adeo luxoriosam herbis, non laetis modo, sed etiam dulcibus, ut se exigua parte dici pecora impleant, et nisi pabulo prohibeantur, diutius pasta dissiliant; cultores ejus inconditos esse, et omnium virtutum ignaros magis quam alias gentes. Sed Christiana fide illucente, tanto

animi ardore Dominico gregi se attexuit, ut paterna romani pastoris auctoritate nullo insectatorum genere avelli passa sit, ceterasque inter gentes nobilissimum Catholici propositi instar proponatur.

[22] *Germania.* — Ipsa propemodum verba Tac. — *Heu! quianam campi.* Tac. I, 61. Haud procul Teutoburgiensi saltu (*Teuteberg*), in quo reliquiae Vari legionumque insepultae dicebantur. Igitur cupido Caesarem (Germanicum) invadit solvendi suprema militibus, ducique, permoto ad miserationem omni qui aderat exercitu, ad propinquos, amicos, denique ob casus bellorum et sortem hominum. . . Prima Vari castra lato ambitu, et dimensis principiis, trium legionum manus ostentabant, dein semiruto vallo, humili fossa, accisae jam reliquiae consedisse intelligebantur; medio campi albentia ossa. Hic cecidisse legatos; illic raptas aquilas; primum ubi vulnus Varo adactum; ubi infelici dextra et suo ictu mortem invenerit, quo tribunali concionatus Arminius; quot patibula captivis, quae scrobes, utque signis et aquilis per superbiam inluserit. — *Acervos.* Tac. ib. Primum extruendo tumulo cespitem Caesar posuit, gratissimo munere in defunctos, et praesentibus doloris socius. — *Inquiomerus* Tac. I, 60. Tractusque in partes Inquiomerus Arminii patruus veteri apud Romanos auctoritate — *Arminius.* Quinctilius quidem et Varus, ab Augusto praefectus Germanico exercitui, a Germanis, Arminio duce, dolo circumventus, cum tribus legionibus interfectus est. Tac. I, 55: Arminius turbator Germaniae. Sed a Germanico ad pugnandum coactus, propter libertatis studium gratus popularibus, inferior praelio sibi fuga consuluit. Ceterum, Tac. III, 88. regnum affectans libertatem popularium adversam habuit; petitusque armis cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit, liberator haud dubie Germaniae . . . praeliis ambiguus, bello non victus. — *Innumeris populis*, Tac. II, 22. Laudatis pro concione victoribus, Caesar congeriem armorum struxit, superbo cum titulo: *Debellatis inter Rhenum Albimque nationibus, exercitum Tib. Caesaris ea monumenta Marti et Jovi, et Augusto sacravisse.*

[23] *Rhaetia* — *Rhaeti* in Germania erant ubi nunc Crisones, et Tirolensis comitatus, ad Alpium radices. Hor. lib. IV, Od. 3. Drusi laudes persequens post Alpigenas devictos:

Videre Rhaeti bella sub Alpibus
Drusum gerentem et Vindelici: quibus
  Mos unde deductus, per omne
  Tempus amazonia securi
Dextras obarmet, quaorere distuli.

Rhaetica juga hodie est *Monte Braulio.*

[24] *Pharsalia*—Ita dicta est regio Thessaliae a Pharsalo oppido. Celeberrimi omnium campi sunt Pharsalici, in quibus duo maxima civilia bella detonnere; primum inter Caesarem et Pompejum, alterum inter Augustum, et Cassium et Brutum, percussores Caesaris. *Macetae* iidem sunt ac Macedones;

quae vox cum suopte ingenio a versu abhorret, Statium, et Lucanum sequimur, *Macetûm* vocem usurpantes, cum etiam Macedonia dicta fuerit Macetia.

[19] *Littora* — Una fuit Africani belli causa Interni maris possessio. — *Carthago*. Romae aemula, terrarum cupida, opulentissima quondam totius Africae; Romanus cum Poeno primum certavit, uter mari imperaret, deinde uter esset. Contra Libyam Roma immisit illa duo belli fulmina Scipiones, quorum alter Cornelius Scipio Africanus major ex Hispania Poenos expulit, et Consul factus in Africam trajecit proconsul, caesisque Poenis Annibalem ad patriae tutelam redire ex Italia coëgit: subactae Carthagini tributum et obsides imperavit nomenque Africani et triumphum retulit, bello secundo punico confecto. At P. Cornelius Scipio Aemilianus Africanus minor bellum punicum tertium confecit, et primum deleta Carthagine triumphavit, deinde Numantia Hispaniae citerioris urbe. Virgil. *Duo fulmina belli Scipiadas*; Lucr. *Scipiadas belli fulmen Carthaginis horror*, Cic. *duo fulmina nostri imperii*, eos vocat. *Utica*, Catonis, qui inde Uticensis, morte nobilis. — *Traducta Julia* est *Tangeri:* Pl. V, 1. Tingi quondam ab Antaeo conditum postea a Claudio Caesare, cum coloniam faceret, appellatam *Traducta Julia*. *Zilis*, ib. In ora oceani, colonia Augusti, Julia Constantia Ziiis, regum ditioni exempta; *Lyxos*. Ib. A Claudio Caesare facta Lyxos vel fabulosissime antiquis narrata. Ibi regia Antaei, certamenque cum Hercule, et Hesperidum horti. *Cyrene*. Cyrenaica africana regio Aegypto proxima, Ammonis oraculo celebratissima. Pentapolitana dicta a quinque urbibus, quarum insignior *Cyrene*, unde toti regioni nomen, quam Graeci condiderunt ex Thera insula aegaei maris profecti. Carthagine deleta, ipsi cum reliqua Africa Romano imperio cesserunt. *Garamantes*. Pl. VI, 5. Clarissimum oppidum *Garama* caput Garamantum: omnia armis romanis superata, et a Corn. Balbo triumphata.

[20] *Aegyptus*. — Tac. Hist. I, 11. Aegyptum copiasque quibus coërcetur jam inde a Divo Augusto equites Romani obtinent loco regum. Ita visum expedire provinciam aditu difficilem, annonae foecundam, superstitione ac lascivia discordem et mobilem, insciam legum, ignaram magistratuum domi retinere. Dio I, 51. Cum enim ad animum revocasset, quantam in urbibus et pagis populi aleret multitudinem quamque instabiles incolarum animi essent, et quomodo Italiam frumento aleret, quibusque polleret, non modo ex senatoribus neminem praefecit, sed ne morari quidem ibi passus est, nisi venia impetrata.

[21] *Mystas* — Quod prae ceteris orbis nationibus Aegyptii erant suae superstitionis tenacissimi, habes a Tullio in Tusc. 5. Aegyptiorum mores quis ignorat? quorum imbutae mentes pravitatis erroribus, quamvis carnificinam prius subiverint, quam ibim, aut aspidem, aut crocodilum violant. *Alexandria* ab Alexandro Magno condita ad effigiem macedonicae chlamydis: *Alexandrinae naves* apud Svet. August. 98 memorantur, ex quibus collecta classis, supportando frumento maxime in Italiam ab Augusto instituta fuit,

et *Alexandrina vita* apud Caes. Bell. Civ. III, 110. quod Alexandrinus populus voluptatibus et deliciis maxime diffiueret.

[18] *Graecia — Flaminius*. Liv. refert libertatis decretum, XXXIII, 21. Senatus Romanus et T. Quintius imperator, Philippo rege Macedonibusque devictis, liberos, immunes, suis legibus esse jubet Corinthios, Phocaenses, Locrensesque omnes, et insulam Eubaeam, et Magnetas, Thessalos, Perrhaebos, Achaeos, Phthiotas. —*Indignante Catone*. Sic pro lege Appia ne abrogaretur in Senatu disseruit Cat. Liv. XXXIV, 1. Quo melior laetiorque in dies fortuna Reipublicae est, quo magis imperium crescit, et jam in Graeciam, Asiamque transcendimus, omnibus libidinum illecebris repletas, et regias etiam attrectamus gazas: eo plus horreo, ne illae magis res nos ceperint, quam nos illas. Infesta, mihi credite, signa ab Syracusis illata sunt huic urbi. Jam nimis multos audio Corinthi, et Athenarum ornamenta laudantes, morantesque, et antefixa fictilia deorum romanorum ridentes. — *Quae Tiberi*. Tac. IV, 75. Legatosque Asiae ambigentes quanam in civitate templum statueretur, plures per dies audivit. Undecim urbes certabant pari ambitione, viribus diversae. —*Equorum agitator*. Dion. Cass. Ner. VI, 9. In Graeciam transiit, non ut majores ejus fecerunt, Flaminius, Mummius, Agrippa, Augustus; sed ut currus agitaret, cithara caneret, praeconis officio fungeretur, et tragoedias ageret. *Civilem*. — Ib. Dion. Quae importunior victoria, in qua oleaginam, ac lauream et appii pinusque coronam adeptus est Nero, civicam amisit.

[19] *Asiam*. — Tac. Germ. 2. Asia amoena et foecunda.

[20] *Cypre* — Insularum in Aegaeo mari quae Asiae objacent, nobilior est *Cyprus*, Veneri sacra. Ptolemaeus regnum ultimus fuit, qui accepta fama Romanae in insulam expeditionis, veneno fata praecepit. Sed Cato cyprias opes Romam invexit, latiusque aerarium locupletavit. *Euxinum* Ovid. IV. Trist. el. 4:

> Frigida me cohibent Euxini littora ponti:
> Dictus ab antiquis Axenos ille fuit.

[21] *Mithridates*. — Rex Ponti qui duarum et viginti gentium linguis loquebatur. Adeo comedendis venenis assuevit, ut iis, cum maxime optaret, confici nequiret. Bellum cum Romanis gessit, et a Sylla, et Pompejo bis victus et fugatus. A filio Pharnace in turre obsessus tandem interiit.

[22] *Mollitaque corda Quiritum* — Duos seligimus locos Sallustii et Livii, qui eamdem urbanae mutationis causam proferunt. Sallust. Cat. XI. Huc accedebat, quod L. Sulla exercitum quem in Asiam ductaverat, quo fidum sibi faceret, contra morem majorum, luxuriose nimisque liberaliter habuerat. Loca amoena, voluptuaria facile in otio feroces militum animos molliverant. Ibi primum insuevit exercitus populi romani amare, potare; signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari; ea privatim ac publice rapere; delubra spoliare; sacra profanaque omnia polluere. Igitur hi milites, postquam victoriam adepti

sunt, nihil reliqui victis fecere, quippe secundae res sapientium animos fatigant; ne illi, corruptis moribus, victoriae temperarent. Liv. XXXIX, 5. Luxuriae peregrinae origo ab exercitu asiatico invecta in urbem ast. Ili primum lectos aeratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas et alia textilia et quae tum magnificae supellectilis habebantur, monopodia et abacos Romam advexerunt: tunc psaltriae sambucistriaeque et convivalia ludionum oblectamenta addita epulis: epulae quoque ipsae et cura et sumptu majori apparari coeptae. Tum coquus vilissimum antiquis mancipium et aestimatione et usu in pretio esse, et quod ministerium fuerat, ars haberi coepta. Vix tamen illa quae conspiciebantur, semina erant futurae luxuriae.

[13] *Graeci* — Sic Tac. II, in fine: Graeci quae sua tantum mirantur, et Pl. III, 5. Graeci genus hominum in laudes suas effusissimum. Graeci omnes nationes barbaras praeter suam vocant. Liv. XXXI, 36. Cum alienigenis, cum barbaris aeternum omnibus Graecis bellum est eritque. Verum si Graeci omnes non Graecos barbaros vocabant, Romani reliquas nationes praeter Graecam. — *Contenta Supremo.* Haec observat sueta perspicacia Polyb. XXV, 1. Qua re declaratum est a Romanis, adeo non repudiare et contemnere se externa negotia, licet parum ad ipsos pertinentia, ut contra etiam indignentur, si ad ipsos omnia non referantur, neque ex ipsorum sententia cuncta administrentur. — *Spoliis ipsa.* Polyb. VI, 25. in fine. Quod ut animadverterunt, cito sunt imitati. Romani enim, siqui alii, facile aliorum mores adsciscunt, et quod est melius, aemulantur. Idipsum notat Val. Max. II, 2. Quo scilicet latinae vocis honor per omnes gentes venerabilior diffunderetur, nec illis deerant studia doctrinae, sed nulla non in re pallium togao subjici debere arbitrabantur, indignum esse existimantes illecebris et suavitate litterarum imperii pondus, et auctoritatem diminui.

[14] *Majestatemque* — Sen. Pax romana, Pl. XXVII, 1. Immensa pacis nostrae majestas.

[15] *Parthi* — Tac. XI, 13. Parthi romani imperii aemuli. — *Visurgim.* Vell. II, 97. Omnis usque ad Visurgim pene stipendiaria Germania. Visurgis est. *Weser.*

[16] *Barbariem* — Senec. Regiones ultra fines imperii dubiae libertatis.

[17] *Meta imperii* — Tac. I, 9. Clausum mari Oceano aut amnibus longinquis imperium. — *Misenum.* Svet. Augt. XLIX. Ex militaribus copiis legiones et auxilia provinciatim distribuit, classem Miseni, et alteram Ravennae ad tutelam superi et inferi maris collocavit. Eademque Florus: Omnibus ad occasum et meridiem pacatis gentibus ad Septentrionem quoque, dumtaxat intra Rhenum atque Danubium, item ad Orientem intra Cyrum et Euphratem; illi quoque reliqui, qui immunes imperii erant, sentiebant magnitudinem, et victorem gentium populum romanum reverebantur.

[18] *Terra parens terrarum.* — Istud Romae gentiliciae officium, quod pulcherrimis illis verbis, et nobilissimis Pl. complectitur, Hist. III, 6. Nec

ignoro, ingrati, ac segnis animi existimari posse merito, si breviter atque in transcursu, ad hunc modum dicatur Terra, omnium terrarum alumna eadem ac parens, numine deûm electa, quae caelum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, ritusque molliret, et tot populorum discordes ferasque linguas sermonis commercio contraheret, colloquia et humanitatem homini daret, breviterque una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret.—*Patria communis*. Cic. de Leg. II, 2. Roma illa una patria communis.—*Romulidûm extremi*. Tac. IV, 34. Cremutius Cordus postulatur novo ac tum primum audito crimine quod editis annalibus, laudatoque M. Bruto, C. Cassium Romanorum ultimum, dixisset. Sed Svet. Tib. 61. Brutum et Cassium Romanorum ultimos dixisset. Item de utroque Lucanus canit:

O decus imperii, spes o suprema senatus,
Extremum tanti generis per saecula nomen.

Sic Philopoemenem ultimum Graecorum dixerunt.

[39] *Gladios* — Christus apud Matth. X. 34. Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram; non veni pacem mittere sed gladium.

[40] *Silanus* — Tac. XII, 7. Silanus additur nullo crimine, nisi quod claritudine generis et modesta juventa praecellebat. Et XI, 52. Haec in commune; ceterum timore occulto, ne L. Silanus eximia nobilitate disciplinaque C. Cassii, apud quem educatus erat, ad omnem claritudinem sublatus imperium invaderet, prompte daturis operam, qui a conjuratione integri essent, quique miserarentur Neronem, tanquam per scelus interfectum.

[41] *Quod faustum* — Nihil e republica nisi hac formula incipiebant. Quod singularis morum severitas, et vere Romana in Cassio inesset, e Tac. VII, 12. habes, qui de eo praeside Syriae loeutus: Quantum sine bello dabatur, revocare priscum morem, exercitare legiones, cura, provisu perinde agere, ac si hostis ingrueret: ita dignum majoribus suis et familia Cassia ratus, per illas quoque gentes celebrata. Et IX, 49. C. Cassius adhibendo remedio delectus quia severitatem ejus non tolerabant.

[42] *Burrhus*—Tac. X, 51. Plures jussu Neronis, quasi remedium adhiberetur, illitum palatum ejus noxio medicamine adversabant. Quod luculentius Dion VI, 13. Eum Nero veneno sustulit. Et Sv. XXXV. Burro praefecto remedium ad fauces pollicitus, toxicum misit.

[43] *Piso* — Tac. XI, 48. Coepta simul et aucta conjuratione, in quam certatim nomina dederant Senatores, eques, miles, feminae etiam, cum odio Neronis tum favore in C. Pisonem. Is Calpurnio genere ortus, ac multas praeclarasque familias paterna nobilitate complexus, claro apud vulgum rumore erat, per virtutem, aut species virtutibus similes. Namque facundiam tuendis civibus exercebat, largitionem adversus amicos, et ignotis quoque comi sermone et congressu. Aderant etiam fortuito corpus procerum, decora facies. Sed procul gravitas morum, aut voluptatum parcimonia; lenitati et magnificentiae, et aliquando luxui indulgebat. Itaque pluribus probabatur, qui,

in tanta vitiorum dulcedine, summum imperium non restrictum, nec perseverum volunt.

[44] *Casu patricios* — Dion. Cass. VI, 15. Senatum adeo graviter oderat, ut ei Vatinius propterea maxime gratus esset, identidem dicens: Odi te, Caesar, quod Senator es. Et Svet. XXXVI. Multasque nec dubias significationes saepe dedit, ne reliquis quidem se passurum senatoribus, eumque ordinem sublaturum, quandoque e republica et provincias et exercitus equiti romano ac libertis permissurum.

[45] *Lucanus* — Tac. XI, 49. Et Lucanus Annaeus, Plautiusque Lateranus consul designatus vivida odia intulere. Lucanum propriae causae accendebant, quod famam carminum ejus premebat Nero, prohibueratque ostentare vanus aemulatione. Idem Dion, VI, 29. Lucano, quod ob artem poeticam vehementer laudaretur, interdictum ne carmen faceret.

[46] *Mundi* — *Pharsalia*. Poema est quo civile bellum inter Caesarem et Pompejum tractatur. Cujus initio adulatoria assentatione Neroni blanditur.

Quod si non aliam venturo fata Neroni
Invenere viam.

Adjice versus supra recitatos.

[47] *Altera Roma* — Tac. ib. 50. Ergo dum scelera principis et finem adesse imperii, deligendumque qui fessis rebus succurreret, inter se aut amicos jaciunt, aggregavere etc. Sed non a vero discrepare sententiam Silani ex eo colliges, quod Tac. Hist. I, 4. ait. Finis Neronis, ut laetus primo gaudentium impetu fuerat, ita varios motus animorum, non modo in urbe apud patres, aut populum, aut urbanum militem, sed omnes legiones ducesque conciverat, evulgato imperii arcano, posse principem alibi quam Romae fieri.

[48] *Fenius* — Praefectus praetorii ejusque nomen non minimi momenti ad sollicitandos animos fuit. Tac. ib. Sed summum robur in Fenio Rufo praefecto videbatur, quem vita famaque laudatum per saevitiam impudicitiamque Tigellinus in animo principis anteibat fatigabatque criminationibus ac prope in metum adduxerat quasi adulterum Agrippinae, et desiderio ejus ultioni intentum. Tac. Ubi conjuratis, praefectum quoque praetorio in partes descendisse, crebro ipsius sermone facta fides, proruptias jam de tempore ac loco caecis agitabant.

[49] *Thraseas* — Apud Tacit. saepenumero videmus Thraseam Poetum contradicentem in senatu IX, 50. praebentemque materiem obtrectatoribus arguendae sententiae: Cur enim si rempublicam egere libertate senatoria crederet, tam levia consectaretur? quin de bello aut de pace, de vectigalibus et legibus, quibusque aliis Romana continuentur, suaderet, dissuaderetque? Tac. XI, 22. Quam occasionem Poetus Thrasea ad publicum bonum vertens. Et ib. 23. Notatum est omni Senatu Antium sub recentem partum effuso Thraseam prohibitum, immoto animo praenuntiam imminentis caedis contumeliam excepisse. Illum romani orbis lumen facile dixeris, si verba Tac. XVI. expendis.

Trucidatis tot insignibus viris, ad postremum Nero virtutem ipsam excindere concupivit, interfecto Thrasea Poeto et Barea Sorano. Et Hist. II, 91. Thraseam ad exemplar verae gloriae legisset. — *Opprimit innocuas.* Tac. II, 4. Provinciae Syria atque Judaea fessae oneribus deminutionem tributi orabant.

[10] *Graecia* — Dicendum omnino est Graeciam Romam vicisse, si mascula illa rusticitas non graecarum litterarum humanitati, sed corruptis moribus cessit. Ethnicae antiquitatis vitia eadem ubique sunt, sed virtus fortasse durior Romanos nobiles in Rep. fecit. Sed cum ea fuit vulgi vox, quam Hor. Epist. I.

O cives, cives, quaerenda pecunia primum est,
Virtus post nummos;

quid amplius de publicis moribus sperandum? vana sunt nomina Fabricii et Furii. — *Subsellia luce.* Tac. Hist. IV, 42. An Neronem extremum Dominorum putatis? idem crediderant, qui Tib. qui Cajo superstites fuerunt, cum interim intestabilior, et saevior exortus est . . . Elanguimus patres conscripti, nec jam ille senatus sumus.

[11] *Epistola crimen* — In funere Agrippinae adnotavit Tac. diversam Senecae, et Thraseae agendi rationem. X, 11. Adverso rumore Seneca erat, quod oratione tali confessionem scripsisset. 12. Thrasea Poetus silentio vel brevi adsensu priores adulationes transmittere solitus, exiit tum senatu : ac sibi causam periculi fecit, ceteris libertatis initium non praebuit.

[12] *Cum Fenio stabit* — Si virorum nomen, si munera respicis, quidquid Romae inerat illustrius, tanti facinoris particeps fuit. Neque profecto de tumultuaria seditione agebatur, sed de conspiratione diu multumque maturis consiliis parata, quae nunc, gliscente in Neronem odio, erumpebat.

[13] *Gallia quamprimum* — Svet. 40. Initium facientibus Gallis, duce Julio Vindice, qui tum eam provinciam propraetore obtinebat . . . Neapoli de motu Galliarum cognovit die ipso, quo matrem occiderat. Et 42. Postquam deinde etiam Galbam et Hispanias descivisse cognovit, collapsus animoque male fracto, diu et sine voce et prope intermortuus jacuit. De Germania vero clarissime Tac. Hist. 12. Superioris Germaniae legiones, rupta sacramenti reverentia imperatorem alium flagitare, et senatui ac populo romano arbitrium eligendi permittere. Idem Hist. IV, 14. de Civilis oratione : Attollerent tantum oculos, et inania numina legionum ne pavescerent : esse sibi robur peditum equitumque, consanguineos Germanos, Gallias idem cupientes.

[14] *In hortis* — Tac. XI, 52. Conjuratis tamen metu proditionis permotis, placitum maturare caedem apud Bajas, in villa Pisonis : cujus amoenitate captus Caesar, crebro ventitabat, balneasque et epulas inibat, omissis excubiis et fortunae suae mole. Sed abnuit Piso, invidiam praetendens, si sacra mensae, diique hospitales caede qualiscumque principis cruentarentur.

[55] *Ipso spectante senatu* — Tac. XI, 51. Melius apud urbem, in illa invisa et spoliis civium extructa domo, vel in publico patraturos, quod pro republica suscepissent.

[56] *Egenis* — Tac. ib. 53. Tandem statuere, Circensium ludorum die, qui Cereri celebratur, exequi destinata; quia Caesar rarus egressu, domoque aut hortis clausus, ad ludrica Circi ventitabat, promptioresque aditus erant laetitia spectaculi. Ordinem insidiis composuerant, ut Lateranus quasi subsidium rei familiari oraret, deprecabundus et genibus principis accidens prosterneret incautum, premeretque animo validus et corpore ingens. Tum jacentem et impeditum, tribuni et centuriones, et ceterorum ut quisque audentiae habuisset, accurrerent, trucidarentque.

[57] *Salutis* — De Scaevino Tac. XI, 49. At Flavius Scaevinus et Afranius Quintianus, uterque senatorii ordinis, contra famam sui principium tanti facinoris capessivere; nam Scaevino dissoluta luxu mens, et proinde vita somno languida. Tac. ib. 53. Primas sibi partes expostulante Scaevino, qui pugionem, templo salutis in Etruria, sive ut alii tradiderunt, Fortunae Ferentino in oppido detraxerat, gestabatque veluti magno operi sacrum.

[58] *Praetoria signa tenebo* — Praetorianus miles raro in aciem deductus, imperii verus post Neronem dominus fuit.

[59] *Ad Cereris templum* — Tac. ib. Interim Piso apud aedem Cereris opperiretur, unde eum praefectus Fenius, et ceteri accitum ferrent in castra.

[60] *Qualis ubi Christus* — Joan. Evang. VIII, 3. Adducunt autem Scribae et Pharisaei mulierem in adulterio deprehensam, et statuerunt eam in medio . . . In lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? . . . Jesus autem inclinans se deorsum digito scribebat in terra. Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se et dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.

[61] *Creditur usus* — Verba sunt allegorice dicta a Cic. in Cat. Maj. 29. Vetat Pythagoras injussu imperatoris, idest Dei, de praesidio et statione vitae discedere.

[62] *Cito dispescitur agmen* — Joan. ib. 8. Audientes autem unus post unum exibant, incipientes a senioribus, et remansit solus Jesus.

[63] *Dia fides veri* — Selegimus verba Christi ad mulierem Samaritanam, Joan. VIII, 12. Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris sed habebit lumen vitae. Et 13. Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum: quia scio, unde veni, et quo vado. Ceterum Tertullianus celebratissimae suae Apologiae idem initium facit, et Veritatem desuper elapsam apud romanos principes causam suam dicentem inducit.

[64] *Sua quaeque sub armis* — Tac. Ger. 16. Nullas Germanorum populis urbes habitari, satis notum est, ne pati quidem inter se junctas sedes. Colunt discreti, ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit.

⁶⁵ *Per linguam* — Hic sermo Arminii apud fratrem Flavium. Tac. II, 10. Ille fas patriae, libertatem avitam, penetrales Germaniae Deos, matrem precum sociam; ne propinquorum et affinium, denique gentis suae desertor et proditor, quam imperator esse mallet. Ea profecto in Variana clade consternatio Romae facta est, ut Sv. narrare non dubitaverit XXIII: (Augustus) per continuos menses barba, capilloque submisso, caput interdum foribus illideret vociferans: Quinctili Vare, legiones redde, diemque cladis quotannis moestam habuerit et lugubrem. — *Velleda.* Tac. Ger. 8. Feminis inesse quin etiam sanctum aliquid et providum putant, nec aut consilia earum aspernantur, aut responsa negligunt. Vidimus sub divo Vespasiano Velledam diu apud plerosque numinis loco habitam. Sed et olim Auriniam et complures alias venerati sunt, non adulatione sed tanquam facerent Deas. *Quadrupedum.* Tac. ib. 10. Proprium gentis equorum quoque praesagia ac monitus experiri; publice aluntur iisdem nemoribus ac lucis, candidi et nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru Sacerdos ac rex vel principes civitatis comitantur, hinnitusque ac fremitus observant. Nec ulli auspicio major fides, non solum apud plebem, sed apud proceres, apud Sacerdotes.

⁶⁶ *Clamoribus* — Id notat Tac. ib. 7. Quodque praecipuum fortitudinis incitamentum est, non casus nec fortuita conglobatio, turmam aut cuneum facit, sed familiae et propinquitates, et in proximo pignora, unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium: hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. Ad matres, conjuges vulnera ferunt, nec illae numerare, aut exugere plagas pavent. — *Servitum matribus.* Ille mos militis, uti Tac. II, 13. Veniret dies, daretur pugna, sumpturum militem Germanorum agros, tracturum conjuges, accipere omen, et matrimonia et pecunias hostium praedae destinare.

PETREIDOS

LIBER X.

ARGUMENTUM

Ancipiti periculo, non sine magna christiani nominis gloria, perfunctus Romanus Pontifex, sese ad nobilissimam diei insequentis concertationem parat — Primumque, mane facto, sacris operatur, ardentissimis Deum O. M. obtestans precibus, ut rerum dicendarum dignitati congruentem animi firmitudinem concedat — Nec impar Pauli comitantis oratio, unusque ambobus spiritus, idemque divinae majestatis amplificandae studium — Sed ecce insueto splendore tota aedes circumfunditur, ipseque Moyses, hebraearum ille legum lator ad aram assidere visus est — Cognitam sibi Thaboris culmine effigiem demirabatur Petrus: sed ille: Historiam, inquit, innocentis et corrupti hominis spemque Redemptionis Judaeo quondam populo enarrrasse, sed oracula illa satis arctis locorum angustiis circumscripta, nunc humano generi universo comunicanda: utriusque foederis tabulas in unum conspirasse, ut in caelestem Medicum et Reparatorem fidem pararent, nunciarentque: irent profecto: Christianae Religionis fundamentum et summam explicarent — Quam legiferi Patriarchae orationem audientibus luculenter innotuit, quae praecipua totius disputationis foret materies — Itaque visum Petro, ut Tarsensis praeparata ab ipsis mundi incunabilis renovandis mortalibus remedia, inque promissum Liberatorem fidem evolveret: ipse sibi Liberatoris ipsius

adventum et humani generis universi salutem explanandam servaret — Quibus, ceterisque ad romanae Ecclesiae administrationem praestitutis, alacri animo, jamque sibi, caelesti auxilio, praefidentes, ad Lateranas aedes contendunt *Petrus* et *Paulus*, comitantibus *Pudente*, et *Hermo* ipso, in hesternae beneficentiae praemium — Jamque, Laterano ipso advocante aderant *Thraseas*, *Cassius* et *Silanus* Romani; *Philo*, *Joseph*, *Phigellus* et *Hermogenes* Judaei; *Demetrius* cynicus, *Musonius* stoicus, et *Seneca* Pauli studiosissimus — Hospites amplissimos omnibus observantiae testimoniis excipit Consul designatus, eosque ad hortos suos amoenissimos invitat—Varii deambulando interseruntur sermones — In omnium oculis, atque ore versatur Pudens, qui Senator amplissimus, incredibili nescio qua mutatione, publicis rebus abesset, judaeum hominem demississime assectaretur — Tranquillitatem omnes Pauli demirantur, qui ex aulico carcere liberatus injuriam patientissime toleraret, et de Neronis saevitia ne verbum quidem proferre auderet — Tandem ad tumulum perveniunt, unde oculis tota urbs, et quam longissime romani campi planicies subjiciebatur — Considunt omnes, paratis subselliis, dumque singulari pulcherrimi spectaculi varietate oblectantur, Seneca rogante, Paulus orationi initium facit — Praefatusque solemni supplicatione, a Deo O. M. exorditur, quem spiritum purissimum, infinitum, immensum, immutabilem praedicat — Deinde, Mose praeeunte, aspectabilem hujus mundi universitatem explicat, unius verbi virtute, e nihilo creatam — Post mirabile illud caeli, terrae, marisque opificium, ubi Deus cuncta animantia aut repere, aut natare, aut volare jussit, sexto ipso die e limo terrae humano corpore, suis manibus fabrefacto, vitalem spiritum sua Creatoris inspiratione infudit — Hominemque, veluti ante constituto imperio, Imperatorem dedit—Adami creationem secuta est eo ipso die mulieris Evae formatio, et solemnis conjugii institutio—Humana beatitudo in primo illo innocentis naturae statu, nullo unquam tempore ex hominum memoria abolita, perpetuis etiam ethnicorum fabulis celebrata — In Paradiso voluptatis, primigenia justitia facem praeferente, illustratae mentes, illectaeque voluntates, Deo uni vero, bonoque adhaerebant, Naturaque ipsa ad bene, beateque vivendum sponte sua omnia suppeditabat — Primum sui operis periculum facit Deus, suique dominii titulum ostensurus, divinum Adamo praeceptum et levissimum dedit — Heu! genus hominum omne aerumnosum! Amplissimo liberae voluntatis munere, quo ad pleniorem meriti dignitatem decoraverat Deus, Adam abutitur, suaeque ipsius cupiditati obtemperans Creatoris mandato refragatur — Scelus immane debita quantocius subsequitur poena — Inde malorum omnium principium: nativae justitiae amissio; flagrantissimae corporis elationes adversus

spiritum, mentis obscuratio, voluntatis corruptio, mors corporis atque animae — Primoque capite depravato, in posteros omnes lethali contagione transfusum crimen et hereditaria criminis mala propagantur — At Deus et justissimus et clementissimus de humana salute restituenda suae benignitatis praeparat remedia — Jamque diabolicae malignitatis refrenata invidia, Liberatorem pollicetur, qui homines de diaboli jugo, et tenebrarum potestate ereptos ad antiquae hereditatem gloriae evocaret— Triplici religionis christianae fundamento constituto, Creationis, transmissae in totam posteritatem infelicitatis et Redemptionis, Paulus et peccati poenas, et Redemptionis opus perficiendum prosequitur. — In ipsa primi parentis familia Sethum post Abel justitiae vias, Cainum improbitatis tenuisse, filiosque parentes imitatos, narrat — Necessariae artes humano labore inveniuntur, et bona malis mixta, agri excoluntur, aedificantur oppida, caedes patrantur, et multifariam in humano genere conglobantur facinora — Opus manuum suarum vidit Deus sic deformatum, et hominem creasse poenituit — Humanam improbitatem, quadraginta dierum, et quadraginta noctium diluvio extinguit, una tantum Noes familia et ex omni animantium specie masculo et femina servatis — In Armeniae campis Noe ex arca egreditur, inque sui domini fide roboratur — Sed tres filios suos Sem, Kam, et Japhet dissimili longe ingenio adolescere cernit — Et morti proximus suae cujusque posteritati fata vaticinatur: Kamus fratribus suis famularetur, fausta omnia ac felicissima Semo succederent, Japhetus in dilatato Semi tabernaculo tandem conquiesceret — Noachidae in Sennaar campis, dum eorum animis adhuc recens diluvii memoria obversatur, turrim aedificare satagunt immensae altitudinis contra ingruentium aquarum formidinem — Sed linguarum confusione divinitus oborta, per varias regiones diversi dispescuntur; Semitae plerique Asiam, Kamitae Africam, Japhetidae Europam tenuere — Communis omnium origo, sed non idem fatum — Ipsae enim Semi et Japheti familiae, cum sese omni iniquitatum genere contaminassent, Abraham e genere Semi elegit Deus, qui pater foret credentium—Eique duplex facta est pollicitatio: altera terrae Chanaam ejus posteritati donandae; altera longe praestantior de venturo Messia, ac Liberatore Christo ex ejus stirpe nascituro—E duobus Abrahami filiis, Ismaëli praelatus Isaac heres fuit paternae benedictionis—Iterumque Isaac, cum duos habuisset liberos Esau et Jacob, Jacob minor natu deligitur — Demum Jacob, cum duodecim suscepisset liberos, singulari honoris praerogativa Judam nobilitat: e sua enim tribu apertissimis vaticiniis Liberatorem oriturum confirmat — Abrahamidas in Chananeae possessionem deducere aggreditur Deus, Moyse exuscitato, qui Hebraico populo ex

Aegypti captivitate liberato, in monte Sinai legem divino digito scriptam tradit, cujus scopus in fide et spe venturi Messiae versatur — Praesens Dei auxilium in judaea per desertissimas solitudines peregrinatione — Moysis mors in conspectu ipso Chanaanitidis — Imperium, auctore Deo, suscepit Josue, qui, Moyse duce, strenuam et fortem operam in bello navaverat — Mirabilis per Jordanem exiccatum exercitus transmissio — Jericho, princeps totius orae urbs corruit, nulla hominum vi, sed caelesti auxilio — Amorrhaeis conterritis, tota Chanaanitis exploratoribus lustrata, sua cuique tribui pars expugnanda traditur — Inter tot divinae beneficentiae significationes Judaeorum perfidia, qui externa superstitione contaminantur — Pauxillulum divina ope destituti cladibus gravissimis opprimuntur — Ipsaque foederis arca in manus hostium venit — Ad Deum Isaac, et Jacob Judaei iterum confugiunt, qui amplissima liberalitate eis opitulatur, et lectissimos duces exuscitat — Samson, Samuel, Saul, David, Salomon tota Chanaanitide veteres colonos exterminant, hebraeum regnum propagant, Jerusalem regni caput firmant — Templum commune duodecim tribuum perfugium David incipit, Salomon perficit — Sed Salomon mortalium sapientissimus peregrinis ritibus famulatur — Aulica nequities in universum populum fluit — Inde libidines, superstitio, seditiones intestinae, duoque ex uno fiunt regna Judaeum et Israëliticum — Civiles irae externa dominatione comprimuntur — Babylonica captivitas — Cujus anno septuagesimo danielica vaticinatio de Messia venturo — Assiduae judaeorum exulantium ad Deum complorationes — Demum, Cyro rege, facta Judaeis Jerusalem redeundi, et templum instaurandi potestas — At o Judaeorum excaecationem deplorandam! Judaei omni iniquitate iterum operiuntur — Itaque externa dominatione rursum vexantur; a Romanis in provinciae formam rediguntur — Sed inter durissimam quam serviebat servitutem Judaea, primaevae lucis servabat principia — Genus humanum divina atque humana omnia pervertit — Chaldaei sidera, Graeci homines ipsos, Aegyptii animalia inter Deos referunt, Romani peregrina omnia numina colligunt — Judaei unum et verum Deum colunt — Nempe, ex Noatico oraculo, Kamus omni libidinum coeno se volutavit — In tenebris luctatur Japhet, suis impotens viribus, ut e tenebris egrediatur — In Semi posteritate veritas immoratur: Judaeorum erit tantum Deus? imo et Gentium — Jamque tempus est, ut Semus dilatet tabernaculum, et Japhet recipiat — Non Babylone, non Athenis, non Romae, sed parva Bethlehem, e genere Semi natus est Christus — Sed Romae inter Japhetidas Christianae Religionis propagatio stabilitur.

At qualis, quantaque fide, lux inclyta veri
Certa sui graditur! radiantia tela diei
Barbaries sufferre nequit, subitoque timore
Territa nativis sese circumtegit umbris:
At lux insequitur: sub aperto libera caelo
Degere amat, cunctisque potens incursibus obstat,
Cedentemque retro spectat rarescere noctem.
Ac veluti in silvam malecauto errore viator
Ingreditur, nulla quae dudum attonsa securi
Horrifica ingenti foliorum exuberat umbra,
Tritaque nulla subest pedibus via; certus eundi
Perplexum per iter circumvagus ancipitesque
Versatur latebras; si demum squalida tesqua
Ascensu superans inopinam occurrere cernit
Planitiem oblata laetatur sorte viarum;
Haud aliter lucis divinae Nuncius aestu
Deprensus dubio glomeratam excedere noctem
Conspicit, et pleno quam suavia gaudia corde
Concepit! Proceres fulget spes alta docere
Divinum nomen majestatemque verendam.

Ante novo terras quam sole irrorat Eous,
Erigitur stratis, sanctasque operatur ad aras
Ipse Pater, Paulo comite, intemerataque libans
Munera spes animi firmat, viresque secundas

Elicit. Ipse mihi summo auxiliabere caelo,
O Pater, humanae instaurator maxime gentis.
Ecce in conspectu manet ethnica Roma: superbi
Horrida nocturnis meditantes orgia in umbris
Voce tua (sine te humilis quidnam ipse sacerdos
Quibam)? voce tua subito ceu fulminis ictu
Turbati tremuere, fugae seseque dedere.
Invictam vocem ! quae virtus, quantaque cingit
Gloria! Nimborum media vix nocte verendus
Majestate tonas, subito ruit horrida caelo
Diluvies, qua rura natant, urbesque sepultae.
Voce tua aërio subsultant vertice cedri
Totaque concutitur Libani viridissima silva.
Nonne eadem rapidum intercidit fulminis ignem,
Desertique Cades squalentia commovet arva?
Hunc mihi da vocis sonitum: me exaudiat omnis
Fantem, auctore Deo, tellus, vocisque sonantis
Soletur seros certissima fama nepotes.
En erit illa dies, qua laeto lumine cernam
Sermonum memor et promissi muneris heres
Romana e cathedra populos pendere volentes?
Talibus ille: paris Paulum rapit impetus aurae;
Ipse precem sequitur, geminoque e pectore duplex
Assurgit votum, et volitans confunditur uno,
Uno eodemque igni, pariterque ad sidera tendit.

Ecce autem auricomo nubes circumflua nimbo
Ingruit extemplo, et totam complectitur aram;
Emicat in medio Moses venerabilis, ille
Isacidùm ductor: cui latae regia frontis
Majestas animae ostendit foecunda serenae
Consilia, ast oculi vivo fulgore coruscant,

Ut quondam aërei descendens vertice Orebi
Praetulerat diae praesentia signa loquelae.
Viderat ipsum alias Petrus: nam Thabore summo,
Cum nova Messiam caelestis gloria regni
Vestiit, humanamque novavit dia figuram
Effigies, Moses, vivusque elatus in aethram
Elias miras auditi reddere voces.
Abramidam agnovit venientem maximus heros
Christiadûm: praesente ipso, jam luce recenti
Omnia compleri, et majori numine ferri
Cernens, obtutu stabat stupefactus eodem.
At Moyses prior haec: Maturo tempore nati,
Vivida quae nostris oculis pingebat imago,
Et spes arcanis rerum variata figuris,
Perfectum vidistis opus mirabile terris.
Unde genus mundi, atque hominis, prima unde coorti
Semina dira mali, spes unde enata caducae
Terrigenûm soboli, divino desuper igne
Afflante, edixi quondam: lux aurea veri,
Divinum oraclum, solam celebravit Idumen;
At nunc objectos audet transcendere montes
Doctrina exultans, totumque perambulat orbem.
Siderei Hebraeos sperantes luminis ortum
In Christum spes una aeterna e morte redemit.
Justitiam dedit una fides; [2] nunc omine magno
Hebraeos Gentesque sacro obsignata cruore
Sanctas ipsa fides communi foedere praestat.
Ecce Leo Judae [3], ecce potens davidica radix,
Quod tota incassum studuit reserare vetustas
Septem signatum signis illustre volumen
Sanguine reclusit, cunctisque ostendit in oris.

Ante Deum cunctas effuso sanguine Christus
Aequavit gentes: tibi fas communia jura
Vulgare, aequatasque Deo deducere gentes.
Ite, et quandoquidem Caelî domus inclyta collis
Colligit Hebraeos gentesque per avia gressas,
Antiqui seriem mundi auspiciumque redempti
Pandite. Me summum Artificem, atque creata canentem,
Me lata lege et praesago carmine priscam
Saeclorum seriem immensam eventusque futuros
Jungentem summo dimisit ab aethere Christus,
Ut monita haec faciam. Haec fatus discessit in auras.
Augusto quondam Moses fundebat ab ore
Ardentes radios, neque jam sufferre valebant
Lumina Judaei ignifero erumpentia vultu:
Gloria tanta illum stipabat jura ferentem.
At nunc augusta Senioris imagine quamvis
Illecti maneant, mysteria magna videnti
Agnovere duces animo, augustique senatus
Princeps: Ecce vides, inquit, quae mutua caelo
Pacato, terrisque aperit commercia Christus,
Paule: humiles terrae exutam sordentis amores
Ipse rapit nostram ad rerum caelestia mentem:
Fandi materiam ipse dedit, verba ipse ministrat.
Ecquisnam humano valeat comprendere nisu
Dias divitias[4]? ingens sapientia nostris
Viribus antistat, densisque absconsa tenebris
Judicia abscedunt, neu quis fidentior ausit
Divinas lustrare vias. Oleaster[5] opimo
Inseritur foetu, et sociis radicibus haeret
Dives maternae fausta pinguedine olivae:
Et rami, sacra queis radix, opulentaque succo est,

E patrio avulsi trunco mittentur in ignem.
Hebraeus manet ergo tenax incredulus? ipse
Rex villae radice potest conjungere in una
Qui nunc nativa velluntur ab arbore rami.
At quoniam laterana vocant nos limina rursum,
Principium mundi refer ipse, vetustaque facta
Isacidûm: referam ipse novi primordia mundi.
Exin Pontificem graviora negotia poscunt,
Et sacrae regimen Romae: jamque ostia pulsat
Solers consultor, quem mater Aricia mittit,
Et Tiburtinae valles pontoque refusa
Ostia; praeterea externis responsa remittit,
Gallica quae poscat modo nata Ecclesia, quaeque
Timotheus Cypro, aut cretensi e littore Titus.
Talia tractabat placida contenta quiete
Mens, quo quemque modo fugiantque ferantque laborem
Praescribens, certaque greges ratione gubernent.
Christiadûm interea romana Ecclesia sede
Exquilia egreditur: renovati conditor orbis
Ipse chorum ducit *Petrus*, cui proximus adstat
Paulus, quem eloquio ingentem magnaque refertum
Doctrina Isacidûm Pater ipse hortatur iturus
In magnam rerum molem, partemque duelli
Assignat populis hebraea evolvere jura.
Quos deinde ipse *Pudens* sequitur, gratissimus omni
Concilio procerum: vocem vultumque loquentis
Illi commemorant, cum plena providus aula
Romuleos inter patres magnumque senatum
Tractaret dubiae suprema negotia Romae.
Et nunc illustrem fama, factisque Quiritem
Hebraeum comitasse humilem, vitasse priores

Consilii comites, et relligione recenti
Se totum obvolvi, visu mirabile fertur.
At te praecipue, cujus jam cognita virtus
Tale dedit nuper specimen, quod sera stupebit
Posteritas, paribusque audax imitabitur orsis,
O fidei decus argolicae, primaque juventa
Jam meritis senior, te magna in praelia Petrus,
Herme, libens ducit, propioris limine martis,
Virtutis meritum atque omen: tu bella tot inter
Quae tenebris jubar, errori quae cominus urget
Vera fides, Herme, intereris. Quae praemia Christi
Athletae impavido poterat persolvere ductor?

Saepius audierat Lateranus maxima sacra
Christiadûm, at postquam Graecinae splendida novit
Arbitria, et tota insonuit gens Plautia voce,
Obstupuit varia confusus imagine rerum,
Et senis interea ignoti reverentia crevit.
Praestans ingenium! caeco nî arsisset amore
In patriam, et patriam veteris quaesisset in una
Effigie Romae, turbati nubila saecli
Damnasset, Christique pedes in septa tulisset.
In spem sublatus surgentis imagine Romae
Romulidûm primos augusta in tecta vocabat.
Ergo iterum *Thraseas* veniunt et *Cassius*: ambos
Subsequitur lecta juvenis virtute *Silanus*.
Cernunt Romulidûm spretas languescere leges,
Nec cupiunt aliud, nisi priscam cernere Romam
Virtute ornatam, qua fors inopina dedisset.
Adveniunt iterum *Philo* sociusque laborum
Joseph, assueti seriem memorare vetustam
Temporis antiqui. Christi novere triumphos,

Atque novam passim egregias florere per urbes
Christiadûm sobolem: at natum cognoscere verum
Messiam, atque suis sese submittere dictis
Indignum ratione sua, ingenioque potenti
Rentur, et hebraea vatum se voce tuentur.
Ollis at comites malefidum cerno *Phigellum*
Et falsum *Hermogenem*! Tibi quam, Laterane, minantur
Horrendam pestem! Tibi quam, sanctissime ductor
Christiadûm! Audierunt lectum concurrere coetum,
Et furtim hebraeis sese junxere sodales.
Mox lecti venere sophi: *Demetrius* [6] audax
Ingenio, eloquioque rudis, foedae ipsius aulae
Ante oculos, damnans romani gaudia luxus.
Contentus parvo nuda tellure cubabat,
Libertos ridens, atque aulica munera spernens.
Passibus hunc sapiens comitat *Musonius* aequis:
Stoica durities morum, sapientia tristi
Torva supercilio, vulgique superba minoris
Contemptrix placidam nequiere avertere mentem:
Purior est olli virtus, quam tempora ferrent.
Gaudia quin etiam laudare domestica tentat
Conjugium, vetat ipse manu consciscere mortem,
Immoderata jubet fraenare cupidinis ausa.
Romanum ipsa Sophum venientia saecla stupebunt
Desuper enantem lutulenti vortice saecli.
Ipse praeit cunctis hispano Rhetore natus
Annaeus, Sophiae insigni qui raptus amore
Dat graecis operam: genitalia semina ridet
Democriti, certaque abnormes lege vagantes
Pythagorae numeros, grajisque reperta magistris
Omnia contemnit, ceu vanae insomnia mentis.

Audivit Sotion, quaeque Attalus ore rotundo,
Stoica quaeque Metronactes praecepta ferebat.
Stoicidae at quoties nubes et inania captant!
Dumque hominum aegrotae mentes, aegrota voluntas,
Incassum e Sophiae placitis medicamina quaerit:
Humano Sophiam perquirit pectore, sperans,
Auspice Natura, hinc veras cognoscere voces.
Omnibus unus amor meliores fingere mores.
An diae natura animae divinior ultro
Excutitur, foedo depressaque pondere sese
Erigere ardescit; divinaque semina taedet
Turpi affixisse solo, et melioribus orsis
Debita nobilibus gestit se attollere curis?
Anne tibi acceptum referam, pulcherrima Christi
Relligio? modo quae terris versata, fragrantem
Ambrosio circum diffundis corpore odorem,
Romaque praesentis sentit vestigia, sentit
Errantem circum tacite caelestibus alis;
Auraque dum exultat caelesti afflata nitore,
Mutatum ipsa suo caeli spirabile numen
Ore trahit, mentesque novas, animasque retergis
Antiquis nebulis, et vota infundis honesta?
O Laterana domus, quanto te signat honore
Caelicolûm Rector! nempe tu cedere primum
Adspicis augustae dictata ingentia Romae,
Pallidula adversa radiantis imagine solis.
Despecta atque humilis, polluti culmine montis
Sancta, et divino irrorata cruore triumphat
In te Relligio primum, doctrinaque Christi
Consilii humani nisus, quos tota vetustas
Ethnica nocturnis meditata operisque diurnis

Extudit, incerto monstrat vanescere fructu;
Inde novum pugnae coepit genus, altera bella.
Provida quod miro dederat sapientia cursu,
Roma peregit iter, jamque intervalla coire
Dissita, sepositas quaeque hostica moenia gentes
Discrevere, manu jussit procumbere forti,
Ut tutum imperium terris pelagoque maneret.
Nunc aliud molitur opus Roma altera: mentes
Mentibus oppositas, adversaque pectora jungit
Pectoribus: gentes victrix connectit in unam
Doctrinam eloquiumque Dei moresque recentes.

Delectos proceres comis Lateranus honore
Excipit assueto, et laetos deducit in hortos.
Ibant alterno sese sermone levantes
Per nemus umbriferum; turbataque corda Quirites,
Quos cura insomnis, quos rerum incerta fatigant,
Christiadûm eloquium sapiens, pacemque serenam
Suspiciunt. Iterum cupidi cinxere Pudentem;
Mirantur Paulum: latebroso ereptus ab antro
Quo jacuit dudum, duras non ille catenas,
Et fas atque nefas versum, dirique Neronis
Saevitiam execratur: adest pax maxima vultu.
Ceu si vere novo, cum nulla erratica nubes,
Horrificis nulli nigricant plangoribus Euri,
Stat mare velivolum, sola ceu per plana residunt
Undae compositae, caelique marisque serena
Ridet temperies, caelo ipsa videtur adesse
Harmonie, et prisco placide regere omnia risu:
Talis sede animae latet interiore, fibrisque
Exiliens imis placido super errat in ore
Aurea caelestem suadens concordia pacem,

Quam frustra quaerunt per gaudia falsa profani.
Colloquia hinc laeti repetunt, peragrantque viarum
Anfractus labyrinthaeos, atque aspera cultis
Mirantur permixta locis, et frigora captant
Umbrifero e saltu, et spirantes leniter auras.
Ventum erat ad podium, viridis cui plurima laurus
Imminet, et denso defendit tegmine solis
Ardentes radios: tum laevi e marmore sedes
Circumstructa, viatori perdulce levamen,
Si umbrosis lassus latebris errare morarum
Gratum quaesisset pretium, tutoque liceret
Ducere sollicitae jucunda oblivia vitae.
Collibus apricis, specula ceu desuper alta
Stat podium, circum variis insigne columnis,
Obtutu unde tamen fas est complectier uno
Aemula phaeacis sylvis pomaria, et urbem
Subjectam Romae, latiique patentia campi,
Planitiem immensam: tot sparsa palatia, aquarum
Ingentes ductus, ingentia strata viarum,
Et tumulos prope marmoreos, villasque decoras
Alticoma longe platano, viridique cupressu.
Jamque dies cursum in medium properabat, aprici
Colles, queis thalamo veluti composta venusto
Alba jacet, Romae illa parens, et Tuscula tellus
Ardenti longe vestitae lumine rident:
Ad laevam veterum asperitas montana Sabinûm
Explicat aëreas inter cava nubila cautes;
Et procul ad dextram scintillant aequora; leni
Flatu subridet fluctus vis mota marini.
Hic Seneca: anne locum toto quaeramus in orbe,
Quo melius rerum ignotas cognoscere causas

Et contemplari naturae arcana reperta
Fas erit, o socii? Viridem sedeamus ad umbram.
Tarsensis senior (divinae mentis acumen
Jamprimum agnovi, neque mendax esse cluentis
Virtutis specimen, nostri doctrina Pudentis
Judicat); ipse potest nobis persolvere munus
Promissum. Grave erit, Senior, tibi magna referre
Christiadûm coepta, Hebraeûmque evolvere fata?
Tum vero Paulus, pacato pectore, fatur:
Haud equidem abnuerim, magnae gens inclyta Romae.
Eloquar, o proceres, rerum primordia pandam.
At vos amota crassae caligine nubis
Concelebrate Deum, atque unum, venerabile numen
Confessi, dociles nostras succedite ad aras.
Tuque adeo, Omnipotens Opifex, mihi porrige dextram,
Dumque opera arcanae referam immortalia dextrae,
Ipse ades, ipse mihi inspira, Rex maxime, mentem.
Quae tu primaevo immortalia munera in ortu
Contuleras, gentesque adeo sprevere rebelles,
Ipse autem populo committis sancta fideli
Pignora, quo mediis maneant integra tenebris,
Errantes donec coetus ad prima reducas
Dogmata, principium Hebraeos, finemque redempti
Orbis Christiadas, nobis da pandere Romae.
Quando ita pollicitus quondam, jussosque ministros
De te narrantes, de te praeclara loquentes
Majora audere ipse sinis, majore tonare
Eloquio, ipse meis praesens verba ingere labris,
Qui lucem aeternam donas mortalibus aegris,
Ipse fave, stygiasque dato removere tenebras.
Nondum mundus erat, tellus, mare, sidera, caelum:

Solus erat Deus omnipotens, et originis expers
Et finis, sibi principium, sibi terminus uni.
Cognitus ipse sibi, ipse sibi immutabilis atque
Immensus, nulla vestitus imagine, simplex
Spiritus, aeternus seseque beatus in uno.
Isque, ubi inexhausta circumflua gloria luce
Immensae voluit splendorem ostendere dextrae,
Non ope praevalida indiguit, neque temporis arte,
At verbi virtute una. Vix *Omnia fiant*
Dixit, et e nihilo res emicuere creatae.
Orbes tum superi, vastique volumina caeli
Extemplo patuere, velut si bellica lato
Impiger explicuit ductor tentoria campo [7];
Nubila qua properos ducunt argentea currus,
Et rapidas nectunt immissis curribus alas
Quadrijuges venti, cursumque per ardua tendunt.
Et jam firma manet nullo fundamine tellus
Ponderibus librata suis, montesque comanti
Vertice praecelsi assurgunt, campique residunt.
Continuo innascuntur aquae: mare jamque videres
Praescripto decrrare lacu: sed brachia longo
Margine terrarum, et sinuosos flectere gyros.
Tum vero inspirat [8], vitamque vigescere mandat,
Et picti volucres motantibus aëra pennis
Discurrunt, fontesque prope sibi certa requirunt
Hospitia; at tellure omnis se protulit arbos,
Omnis pratorum species florumque venustas,
Montisque obliquis anfractibus erumpentes
Irrigui manant fontes convallibus imis,
Unde ferae pecudesque bibunt, onagrique rudentes.
Innumerique mari pisces, et mixta pusillis

Corpora magna, novae species, et grandia cete.
Tum vero spatium tempus comitare creatum
Incoepit; sua momentis stant omnia certis:
Ipse Opifex nocturna dedit sua tempora Lunae,
Atque serenatos peragrans sol aureus orbes
Advexit lucem, dirimens noctemque, diemque.
Ipse creat, simul ipse fovet; si averteret ipse
Omniparens vultum, in nihilum simul omnia abirent [9].

Principio maria et terras, caelumque creavit
Omnipotens Deus, et sexto jam lumine Titan
Fulserat, immoto fundatus cardine mundus
Constiterat, varia passim circumdata veste
Ridebat Natura novosque induta colores
Artificis magni vestigia prima ferebat.
Ast ubi luce nova cunctis animalia terris
Prodire, et passim jussit prorepere, Regem
Qui terras omnes magna ditione teneret,
Fingere constituit. Dextra omnipotente rubentem
Accepit limum [10], atque humani corporis artus
Composuit, certaeque dedit spiracula vitae
Aspirans; vivitque potens, et vescitur aura
Primus Terrigena aetherea, jamque imperat orbi.

Ut facto divina viro subluxit imago,
Non tamen Omnipotens latis consistere terris
Unigenam passus, placidam per membra quietem
Dat juveni, et dulci declinat lumina somno.
Tum, nocte in media, laterum compagibus actis,
Eripuit costam, et subito mirabile donum
Insignis facie, et praestanti corpore virgo
Exoritur. Ductam ipse manu donabat habendam
Primigenae, ignavumque fugans e corpore somnum

Alloquitur: Viden? ista caro tua: dicta Virago '',
Namque viro desumpta: suos exinde parentes
Linquet homo, uxoremque suam benefidus habebit.
  Scilicet Omnipotens terras, mare, sidera, caelum
Fecit cuncta homini; ast hominem sibi condidit uni.
Os uni sublime dedit, mirabile mundi
Qui spectaret opus, rectosque ad sidera vultus
Extulit, ut terras fugeret, caelestia quaerens.
Uni divinum signavit lumen in ore,
Effecitque sibi similem, regemque creavit,
Et quot terra parens, quot alit plaga lucida caeli,
Quot mare navigerum laetis animalia in undis,
Unius imperio Domini dedit esse gerenda,
Et dixit: Maris et terrae rex maximus esto.
  Fortunati ambo, si mens non laeva fuisset!
Ipse Opifex magnus laetum formaverat hortum,
Quo ver purpureum, quo lenior aura favonî,
Et suaves visu plantae, dulcique sapore
Nectarei fructus, et laeto lumine campi
Purpurei. Hoc patrem peramoeno rure locârat
Omnipotens. Olli pueris fecunda creandis
Uxor adhaerescit lateri, vultuque sereno
Exhilarat loca sola, viro sociata labores
Imminuit, vivuntque ex omni parte beati.
Nobile par, Deus ipse suae mirabile dextrae
Spectat opus gaudens, laetoque in pectore ridet.
Ipse ollis mentes jucundi ad lumina veri
Formârat, corque ipsa ollis ad gaudia pulchri.
Ipse voluntatis gressus, ne tramite recto
Erraret, recta ducens bona cuncta petenti
Monstrabat gaudens, sibi certo foedere junctam

Alliciebat ovans: talis sata mente voluptas,
Pectore talis erat calido: Deus unus aventi
Ipse potest saliente sitim restinguere rivo.
Inclyta Relligio, salve, quae tempore primo,
Sedibus e superis terras illapsa recentes
Ingenuo radias risu, vestitaque puris
Vestibus, atque manu laeta vincla aurea monstras,
Quae, duce te, rubrae tenerum telluris alumnum
Incipiunt religare Deo, versaris in orbe
Exultans, spectasque tuis recubare sub alis
Implumes veluti pullos nutricula solers,
Omnis fons vitae ipsa eadem, fons luminis omnis.

Extat adhuc aetas vestris celebrata poëtis
Aurea quam terris homines vixisse beatis
Concinuere. Novum cernebant surgere solem
Terrigenae, tractusque maris, camposque nitentes,
Sidereosque orbes vestibat largior aether.
Tum ver purpureum, quod nullo frigore, nullo
Aestu turbatum, tranquillo tempora cursu
Ducebat labens, interque virentia culta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas
Otia carpebant, qua candida populus antro
Imminet, et croceis halantes floribus horti
Invitant: passim sua quaeque ex arbore poma
Pendebant: omnisque ferebat omnia tellus;
Immortale genus per saecula cuncta manebat;
Et tristes aberant febres; procul ipsa senectus
Debilitans vires animi, mutansque vigorem.
Crimina nulla, doli nulli, terrasque beatas
Virtus deerrans risu praestabat amico.
Scilicet haec fuerunt: parvo sed tempore primi

Libavere patres caelestis munera vitae,
Et teneram magna infecere piacula terram.
Namque Deus, Deus ipse virenti severat horto
Arboris auricomae fruticem, quae pinguia ramis
Brachia multiplici curvârat pondere fructus.
Jusserat Omnipotens: Totum quaecumque per hortum
Vescere, Adam: sed quae fatali ex arbore pendent
Poma, manu ne tange, veto. Quid cetera narrem
Infanda, et nostrae damnum irreparabile sortis?
Ecce autem invidiae stimulis exercita iniquae
Tartareis legio tenebris damnata videbat
Praelatum cunctis hominem mortalibus, atque
Dignatum vacui complere sedilia caeli,
Unde ipsa aethereas ruerat turbata per auras.
Hortator scelerum stygiis erumpit ab antris
Rex ipse, et magni quaerit primordia regni
Turbare insidiasque parat. Fit tortilis anguis
Squamoso sinuans immensa volumine terga,
Coeruleisque nitens cristis praesignis et auro
Arboris auricomae ramo frondente pependit.
Nil intentatum scelerisque dolique relinquens
Femineam aggreditur dictis praevertere mentem:
Dic, mulier (comites lucis habitamus opacis):
Arboreos manibus quidnam contingere fructus
Omnipotens vetuit? nescis? ego vera fatebor:
Nec frustra metuas vana formidine mortis.
Frugiferis ramis si non ignobile pomum
Carpes, aetherea cupidum dulcedine labrum
Exhilarans, densa quae nunc caligine amicta
Nox lustrare negat magnarum abscondita rerum,
Aufugiet; nova lux oculis fulgebit, erisque

Par similisque Deo [12]. Falsis sermonibus aures
Praebuerat mulier, magnoque exarsit amore
Pulchrarum rerum (Commota mente recedunt
Tradita nequicquam summi mandata Parentis);
Blanditiisque potens, fastuque elata superbo
Jussa Dei contra scandit venerabile lignum.
Infelix mulier! summo pomum attigit ore,
Et commota sacri vetita dulcedine fructus,
Ignarum aggreditur socium, flectitque precando.
O miseri, quae tanta animo dementia surgit?
Majus adorsa nefas cupido caelestia donat
Dona viro, seros gustu laesura nepotes.
Continuo nova lux oculis effulsit apertis:
Subrisit serpens, et inexcusabile crimen
Clarescit miseris; nudos pudet esse: tueri
Aetherei taedet caeli convexa: remotas
Anquirunt latebras nemorumque silentia: et artus
Exanimes frondis conserto tegmine inumbrant.
Non latuere doli terrae caelique Satorem.
Extemplo gradiens caeli regione serena
Descendit, silvasque et concava saxa petentes
Talibus affatur dictis, atque increpat ultro:
Quo fugitis, miseri? sceleratae crimina vitae
Et spretum imperium speratis posse latere?
Maturate fugam, sanctoque absistite luco.
At tu, causa mali mulier, superante dolore [13],
Emittes praegnans prolem sub luminis auras;
Imperioque viri suberis, dominumque potentem
Experiere. Oculos homini tum vertit, et iram:
Et Tu qui imprudens victus muliebribus armis
Cessisti, vetitos carpens ex arbore foetus,

Non te poeniteat duros tolerare labores.
Ni sudans gravibus terram insectabere rastris,
Triticeae messis frustra expectabis acervum.
Multa feres, faciesque: tibi sic munera reddet
Tellus: tum subeunt morbi, tristisque senectus,
Et tellure satus, cum linquet spiritus artus,
In cinerem exiguum, primamque revertere terram.
I nunc, auctoremque mali, auctoremque bonorum
Binos pone Deos! Calido quae monstra cerebro
Parturiere Sophi, caecae ludibria gentis!
Divina artificis dextra perfectus in omnes
Prosiluit partes, animoque et corpore pulcher
Terrigena, et vitae contentus sorte beatae.
Quae mala per terras cumque incubuere profanas,
Unius infanda fluxerunt labe Parentis.
Primigenum humana maculatur origine semen,
Ipsaque dedecorat cunctos malenata nepotes,
Corpusque atque anima infecto jacuere veneno.
Justitiae donum, primo quod tradidit ipse
Omnipotens patri, fatali corruit ictu.
Capta boni specie rectum deflexa voluntas
Liquit iter, famulamque trahit damnosa libido.
Seditio penitis bacchatur mota medullis.
Mens etiam tremefacta jacet, acieque retusa,
Caligans nequiit germanum agnoscere verum.
Inde febres, glomerata cohors, saevique dolores,
Et mors, ancipiti data meta novissima vitae,
Dum phlegethonteis anima execrata lacunis
Incidit, aeternoque procax torquetur in igne.
At Deus Omnipotens magno miseratus amore
Progeniem, manuumque opus immortale suarum

Proruere in pessum immemori non mente reliquit.
Orbibus immensis fugientem et multa paventem
Anguem lethiferum medio consistere cursu
Imperat, et justas depromit corde querelas [14]:
At tibi qui scelere ante alios immanior omnes
Suasisti miseris nostras contemnere leges,
Immanis coluber, animantia cuncta praeibunt.
Squamea contorquens demisso pectore terga
Serpe solo, argillamque humilem, et mala gramina pasce.
Adveniet Virgo, caelestis Virgo: movebit
Illa graves inimicitias et funebre bellum.
Semina seminibus ponam contraria, stirpes
Stirpibus: illa tibi pedibus turgentia colla
Calcabit: frustra ipse suo insidiabere talo.
Haec ait, et priscam labem mortalibus aegris
Abluere, et caeli callem reserare serenum
Spondebat. Summo interea descendit ab axe
Aliger aethereus stellata in veste minister.
Fulminei stat ferri acies, mucrone corusco,
Stricta, parata neci. Suspiria longa trahentes
Et pudibunda manu celantes lumina primos
Terrigenas ardens sacro dejecit ab horto,
Flagitium ut dirum exilio lacrymisque piarent.

Diviparens Virgo, humanos abstergere fletus
Ipsa venis; sobolem nativo vulnere victam
Promissa ipsa prior visa es reparare salute.
Peccatum unius damnatum induxit in orbem
Mortis decretum: unius sic debita caelo
Justitia extinguit mortem, vitamque reducit.
Humani decus o generis, pacisque sequestra
Divinae, si corde tuum mihi, si excidit ore

Nomen, ne quando caelestes cernere vultus
Aula siderea sperem, terraeque morentur.
  Et jam prima novas maculabant crimina terras.
Natos in miseros commissa piacula vidit
Crescere Adam, et sceleris fructus collegit amaros.
Namque Cain, primus caeli qui natus ad auras,
Agricola incurvo terras vertebat aratro:
Inferior sed Abel natu per pinguia culta
Errantes ducebat oves. Jam sacra ferebant
Auctori frugum, tempestatumque potenti
Ambo; alter pecudes, terrae alter munera. Amico
Lumine respexit Dominus, quae vota vovebat
Carus Abel: sprevitque Cain, qui pessima rerum
Ferre audet, partoque inhians sibi consulit uni.
Inde Cain visus stimulis macrescere caecis
Invidiae, fratremque odiis contemnere iniquis.
Quid plura? incautum vallem deducit ad imam,
Quadrifidaque sude exsuperat, sulcoque recondit.
Fallere posse Deum sperabat criminis auctor.
Quaerit Abel Dominus: sceleris sed conscius amens
Cuncta negare; Deus justa implacabilis ira:
Impie, jamne taces? fraterno e sanguine surgens
Ad me vox clamat: terras maledictus in omnes
Quo te cumque feres, i, perfide: rura nefanda,
Innocui fratris stillantia rura cruore
Insomnis snbiges, magnoque exculta labore
Attulerint fructus. Tota ipse vagabere terra,
Nocte dieque tuum gestans in pectore testem.
  Scilicet inde tibi duplicem fas cernere gentem;
Altera quae patrem per inhospita tesqua furentem,
Quo Domini a facie egressus vestigia torsit,

Subsequitur, seseque dolo contaminat omni;
Altera quae Sethum (caro successit Abeli
Sethus) qui multa referebat imagine fratrem,
Qui Domini nomen coluit, ritusque sacrorum
Constituens sanctam properavit ducere vitam.
Hellade vos media florentes quaslibet artes
Quaeritis: at teneri vix jam concreverat orbis
Tellus, humani prima haec inventa laboris
Cernere erat [15]. Jabel latis tentoria campis
Prima locat, Jubal citharae prior arte magistra
Impellit nervos; Tubalcainius aeris
Repperit et ferri molimina cuncta, Noema
Prima rudis carpit sordentia vellera lanae.
Oppida defendunt oppletas civibus urbes,
Extructaeque domus metati limite campi.
At commissa animo primaevi semina veri
Exciderant: passim laxata licentia morum,
Nullaque justitia in terris; stant lumine rapto
Gentes, obscoenamque trahunt per crimina vitam.
Virtuti gaudent vetitam praeponere culpam.
Cuncta Deus videt omnipotens, hominemque creasse
Poenituit sese, et jurat delere creata
Omnia. Labe Noe tantum fuit integer omni;
Non ille oblitus regis documenta superni
Atque Deum colere, et divina facessere jura [16].
Ergo unum Genitor meditans servare Nohemum,
Ingentem fieri mandavit laevibus arcam
Textam roboribus, duroque bitumine circum
Ampla lini latera, et geminata animantia carpi
Ex omni specie, et cunctis alimenta parari,
Seque suumque genus fatali includere pinu.

Postquam introgressi, portisque patentibus omnem
Accepit numerum navis, turbata repente
Omnia: per sudum graditur Rex aetheris alti
Omnipotens, irisque omnes effudit habenas.
Quadraginta dies caelo ruit agmen aquarum:
Abrupti fontes, vastaque voragine hiatus
Montani erupere; polo cataracta recluso
Exundat praeceps, commixta grandine dira
Tempestas furit, et tonitru caelum omne tremiscit.
Innatat interea summa sublimis in unda
Arca potens; jam terra latet; jam flumine cuncta
Innare indomito, vastaque voragine visi
Abscondi colles, excelsaque culmina vortex
Quindenis cubitis superat violentior: omne
Per terras consumptum animal, consumptaque cuncta,
Quaecumque optato potiuntur lumine vitae.
Constitit Omnipotens perculsus imagine acerba,
Et magni vocemque Noes vultumque recordans
Decernit tandem eluviem cohibere furentem.
Desuper expirans terris immisit apertis
Ingentes auras; et aquae furor omnis, et omnis
Subsedit ponti rabies, nebulisque fugatis,
Tranquilli extemplo rediit clementia caeli.
Montibus Armeniae fluitans superastitit arca [17].
Collectae sed jam pluviae discedere, et alta
Incipiunt sensim apparere cacumina, tellus
Libera consurgit, tot decrescentibus undis.
Jam mensis, mensisque alter processerat, arca
Egreditur servata domus, deductaque cymba
Exposuit siccis servata animantia arenis.
Tum Domino aedificat viridi de cespite magnum

Altare, et pecudes, volucresque sacro injicit igne.
Adspicit Omnipotens solemnia munera laetus
Et nunquam, dixit, maledicam gentibus ultra;
Crescite jam numero ingenti, totumque replete
Orbem terrarum. Dominos terraeque marisque
En ego vos statuam. Vobis animantia cuncta,
Et frugum genitrix tellus alimenta ministrant.
Nusquam diluvii torrenti vortice posthac
Delebo terras: vobiscum pace sequestra
Foedus conjungam, atque meum sub nubibus arcum
Suspendam, seros monumentum insigne per annos,
Quod pepigi foedus. Caelo si decidit imber,
Si quando obtegitur nigra ferrugine caelum,
Extemplo septem distincta coloribus Iris [18]
Affulgens caelo, socialia pacta monebit.
  Dixerat Omnipotens, totumque exire per orbem
Ipse Noën dominum jussit Semumque Chamumque
Et Japhet. Salvete mihi, gratissima caelo
Progenies; salvete, novi primordia mundi.
Scilicet incolumes circum bacchantibus undis
Vos servat caeli Genitor, qui crimine ab omni
Innocui puris possitis degere terris,
Nostrumque instaurare genus, pietate fideque
Egregia, atque novam terris educere prolem.
  Vix ea fatus erat facundo maximus ore
Paulus, cum Seneca ista gravi sermone reponit:
Haud equidem nova mî narras inopinaque, magne
Orator. Nostri vates cecinere, vetusque
Rumor vulgatus nostras advenit ad aures,
Deucalionaeo [19] miserandam tempore cladem
Omnia vastasse, et pelago rapuisse furenti.

Obruerat tumulos immensa licentia ponti,
Pulsabantque novi montana cacumina fluctus:
Qua mons verticibus petit arduus astra duobus,
Ingens Parnassus, parva rate vectus adhaesit
Deucalion, una Pyrra comitante sorore.
Cum desolatas agere alta silentia terras
Adspicerent, soli celsa super arce relicti
Terrigenae, ceu sancta jubent oracula Divûm,
Velavere comas madidas, tunicisque recinctis,
Miserunt lapides sua post vestigia jactos.
Missa viri manibus faciem traxere virilem,
Et de femineo reparata est femina jactu.
Ast hic majori incipiens sermone loquentem
Affatur Paulus: Si nobis credere dignum est
Quod narras, neque stat vestris conficta poetis
Fabula, quae aonias actaeis Phocis ab oris [30]
Terra ferax dirimit, quondam subita edita caelo
Diluvies rapuit, replens loca cuncta ruinis.
Quos memoras tumulos, quae summa cacumina, Cyrrha,
Et Nysa est, graiae notissima gloria terrae.
Nec semel attonitae viderunt flumina gentes,
Aggeribus ruptis, summas transcendere ripas
Atque undasse urbes. Venusini Musa diserti [31]
Narravit Tiberim revocatis ilicet undis
Littore ab Hetrusco, magnae per compita Romae,
Ire deûm veteres statuas, monumentaque Regis
Dejectum, et luctu populum turbasse quietum.
Sed neque jam Argolicis nostrum genus exiit oris,
Et totum qua de loquimur, pessumdedit orbem
Diluvies: Asia in magna et regione beata
Primus terrigena aethereas prodivit ad auras:

Inde hominum genus omne exordia prima recepit.
Ipse Noe haud simili cernens adolescere natos
Ingenio, fatis exolvens ora futuris
Haec cecinit [22]: nati pendent narrantis ab ore:
Tu, Chanaam, maledictus eris; tu fratribus ibis
Servitum usque tuis. Laeto tum lumina fletu
Rorida convertens Semo: Mihi tempus in omne
Sit Semi Deus omnipotens benedictus, et olli
Sit servus Chanaam. Numero Deus augeat omni
Japhetum; tamen ipse habitet tentoria Semi.
Praesagas sortes veniens testabitur aetas.
Dum varia regione errant, dum moenia condunt,
In campos Sennaar [23] veniunt matrumque virûmque
Agmina, jamque oculis tristis versatur imago,
Omnis diluvio tellus emersa recenti.
Consilia in commune ferunt, celsamque sub astra
Aedificare student turrim; si immissa repente
Tempestas, superante Noto, atque ultricibus undis,
Ingrueret, summa sese defendere in arce
Possent. Jam lateres, patuloque bitumen aheno
Concoquitur: summo jam demens machina caelo
Erigitur. Sed vana Deus molimina spectans
Subrisit secum, et curas confudit inanes,
Ilicet ablato permiscens ordine linguas.
Principio ex illo humani divisa propago
Sermonis: scindunt uno se sanguine stirpes,
Oris honos idem, sed non eadem ore loquela [24].
Inde etiam coeptae magnae discedere gentes,
Qua caeli Rector sedes assignat habendas,
Per varium terrarum orbem. Salve, inclyta tellus
Et nimium dilecta Deo, quam flumine ovanti

Euphrates ambit, laetisque uberrima pratis
Aequora Achaemenii Tigris; salve ora nitenti
Semper flore virens, et semper lumine ridens
Purpureo; humanam laeta ad cunabula gentem
Tu prima eduxti: gremio tu prima beato
Adspexti sensim socios consurgere coetus,
Unde pererratum sese effudere per orbem *5.
Digrediens Semus Semoque enata propago
Floriferos tenuit campos, quos magnus Amanus,
Et Taurus secat, aut fuscos contendit ad Indos.
Tum Chamus, et Chanaam soboles, genus unde Philistim
Atque Chananaei, latam Chaanitidos oram
Totamque Aegyptum tenuere, atque Africa regna.
Ast Asiae loca septeno subjecta trioni
Incoluit Japhet: magni sata sanguine Japhet
Progenies maris hircani glacialia claustra
Caucaseasque tenet rupes: dein terra vagantes
Excipit hesperia, et Germanica rura peragrant,
Europamqne omnem ingressi tenuere, tenentque.
Et vos, Romulidae, Tiberini ad fluminis undas,
Ut vates canit, externis venistis ab oris,
Et vos et Graecos fraterno nomine dicit
Japeditas. Priscae sua quaeque exordia gentes,
Inter se veluti muris hostilibus omnes
Divisae ignorant. Mendax figmenta vetustas
Composuit: vano tumefacta superbia fastu
Quamque sua enatam persuasit origine gentem *6,
Nullius auxilio, e gremio telluris opimae.
Ergo ubi diversis terris diversa locârunt
Hospitia, infectum primaevo lumine verum
Palluit, atque sibi miserae mala somnia mentes

Effinxere. Chamo, Japhetque parentibus orti
Praecipites abiere; per omnia crimina raptans
Barbaries nihil integrum vesana reliquit.
At justo geniti Semo divinitus hausta
Servavere animo primi mysteria veri.
Praecipue Hebraei [27], sata Semo lecta propago,
Pignoris haeredes sancti, primordia rerum
Commemorant; summo pernox custodia templo
Sacra tegunt, animo manet immortale Tonantis
Effatum. Vates per crebra oracula segnes
Extimulant, caecaeque fugant caliginis umbras
Ore revelato, quae quondam credita primo
Terrigenae, praesensque oculis occurrit imago
Rerum sanctarum. Liceat percurrere fata
Praestantis populi; neve ignorate subactae
Gentis avos, atavosque, quibus commissa potestas
Magnanimum servare genus, circumque locatis
Gentibus externi purum secernere moris,
Dignatumque polo, perfecto temporis orbe,
Edere promissae donum inviolabile pacis,
Quam nos Christiadae cunctas vulgamus in oras.
Discite, Romulidae, quo cardine vestra quiescit
Spes: sanctae famae (discrimina tanta locorum)
Ad vestras aures tenuis vix labitur aura.

Ergo dum varias populosa propago per oras
Crescebat, simul horrificae contagia pestis
Crescebant scelera, et fraudes, truculentaque bella;
Ipse Deus populum sibi legit ab omnibus unum [28],
Dux fuit ipse viae, temereque incerta sequentem
Lege sua erudiit, casuque adjuvit in omni.
Ceu volucrum regina [29] rudes pubente juventa

Educit pullos nido, timidosque nec ausos
Credere se caelo, primos tentare volatus
Edocet, et juxta ipsa volat fulcitque regitque;
Haud secus expandit magnas Pater optimus alas
Et populum texit pavitantem, ac cuncta timentem,
Gestavitque humeris tutaque in sede locavit.
Per longam seriem magnorum eductus avorum
Abram prodibat, caelo acceptissimus heros;
Namque erat in fatis Abrami e gente sacratam
Enasci sobolem terris, quae tartara dira
Verteret, unde salus hominum, spes unde futurae
Vitae erat, obstrusi reserandaque limina caeli.
Ergo Chaldaea Omnipotens superastitit Ure [30],
Et Thare natum magna sic voce vocabat:
Egredere hac terra; cognatos desere, patris
Desere tecta tui, et propera, qua semita ducit,
Qua tellus monstrata tibi. Mea foedera tecum
Pangam, cumque tuis. Soli mihi rite litabis,
Meque tuum venerare Deum. Teque ipse parentem
Magni conficiam populi; benedictus in omne
Tempus eris, tecumque simul quot continet orbis,
A te prognatis benedicam gentibus. Audit
Mandata Abramus, generisque et foederis ingens
Accipit indicium, et magna comitante caterva
Trajicit Euphratem (hinc hebraeus [31] nomine dictus),
Quoque vocat dium imperium, transmigrat in amplam
Tellurem Chanaan. Tentoria prima locârat
Ad Bethel montem, positamque vocârat ad aram
Nomina magna Dei; ecce autem sese obtulit ultro
Ipse Deus caeli manifesta in luce videndum:
Atque huc tolle oculos, inquit; circumspice: terram [32]

Hanc, Abraham, quacumque poli plaga lucida surgit,
Terram hanc ipse tibi tradam, qua crescere cernes
Natorum numerum, et qui nascentur ab illis.
  Quid loquor Heroas in munera tanta secutos
Isacum, aut Jacob, aut Joseph? lucida mundi
Sidera, perpetuam terris referentia pacem,
Innocuos, verique Dei se lege tenentes?
Ille prior, patri extremae jam fine senectae
Traditus Abramo, in gentem succedit opimam.
Illum ligna humero referentem, et pone sequentem,
Ceu divina jubent mandata, ad culmina montis
Adducit Pater, et sanctas exuscitat aras,
Innocuo cari sparsurus sanguine nati.
Jam terra excelso coacervatum aggere bustum,
Jamque genu flectens utrumque, in morte parata,
Pallebat juvenis, cum caelo nuntius ales
Adstitit, et patriam sublatam in vulnera dextram
Continuit, monstrans haerentia cornua magni
Arietis in vepres, sanctam quem mactet ad aram.
Ismaël e serva genitus [33] venator iniquos
Arabiae saltus, et inhospita saxa peragrat;
Ast Isaac patrii fidus stat foederis auctor,
Et lecto genitor nato transmittit habendum.
En Jacob fratri lentes concedit edules,
Sacra prius geniti mercatus jura, paterque
Pulmento oblato laetus, pinguique ferina
Oscula libavit felicia cuncta precatus [34]:
Ecce mihi natus quales expirat odores?
Plenus qualis ager, summi quem gratia regis
Fovit ope omnigena. Mea magna potentia, nate,
Accede huc: cape felicis bona verba parentis.

Pinguescat tellus, omnisque opulentia frugum.
Depluat ambrosii caelo bona copia roris;
Ipse aderit Deus, atque humiles tua jussa facessant
Fratres, inflexoque tribus te poplite adorent.
At Joseph, natos inter jucundior omnes
Jacobo, invidia Joseph venumdatus, aulae
Dux Aegyptiacae multo praefectus honore,
Post res adversas, post multa pericula, magnum
Venit in imperium, et patrem, Pharaone jubente,
Excepit regno, et fratres meliora potitos.
At senior Jacob extremae proximus horae,
(Ante senem stabant bisseni ex ordine nati)
Eventura canit: laetato lumine Judam
Adspiciens Olli primum omnia fausta precatur [35]:
Juda, te fratres laudabunt: cetera patris
Pignora adorabunt Judam. Requiescere Judam
Adspicio, ut juvenem insueta virtute leonem.
Quis somno turbare valet? Sceptra inclyta nemo
Auferet a Juda, donec mittendus in orbem
Adveniat, cupidae longa expectatio gentis.
Nec minus impenso Josephum amplexus amore:
Filius accrescens [36] Joseph, mihi filius, inquit,
Accrescens Joseph, cultuque habituque decorus
Egregio: natae in muros discurrere certent
Visurae, et sanctos fruiturae frontis honores.
Aspera bella movent, sed telum imbelle sine ictu
Olli conijcient; forti ipse innititur arce;
Ipse lapis stabit primus, quo magna locabit
Israel fundamenta Deus, Deus ille parentis
Ille tui: Omnipotens caelo terraque beatum
Te faciet: benedico tibi. Tu crescere cernes

Progeniem immensam, quoniam sperata propinquant
Tempora, cum pignus votis precibusque cupitum
Collibus aeternis veniat; in vertice Joseph
Nazarei, cunctis prae fratribus. Ille canebat
Praescius haec, summi renovans promissa Satoris.
Quis puer ille autem, quem luctu conscia mater
Tutatur? Mater, prae aliis lectissima Mater,
Tres menses studiosa sinu ereptura periclo
Egregium forma puerum atque ad grandia natum
Servârat. Sibi sed metuens, cunabula nato
Viminibus mollique parat detexere junco,
Et cista clausum in parva prope fluminis undas
Exposuit ripa. Primo mane ire lavatum
Filia consuêrat regis, cistamque natantem
Adspicit, et pueri sortem miseratur iniquam,
Ablatumque domum retulit, victumque ministrat.
Sic placitum Superis: caro nutricula nato
Ipsa parens legitur; regali adolescit in aula
Moses, ille dei interpres populique futurus
Legifer Hebraei [37]. Pascebat ovilia Jedri
Orebum propter, subito cum respicit igne
Incombustum ardere rubum, mediisque coruscans
Ipse Deus flammis, pastori jamque videnti,
Atque propinquanti magno sic farier ore [38]:
Siste gradum, Moyse, et circumdata tegmina plantis
Exue: namque sacra figis vestigia sede.
Novi ego, quot terra Aegypti mala plurima dudum
Gens mea pertulerit, quot nocte dieque labores
Exantlet duros. I pastor, quaere potentem
Aegypti dominum; populo juga dura relaxa,
Niliaca incolumem donet discedere terra.

Dux adero ipse viae vobis, qua pinguia culta,
Qua loca fragranti manant redolentia melle,
Ambrosio qua lacte fluunt; dux ipse docebo.
Aaron et Moyses Pharaoni maxima jussa
Nequicquam exposuere Dei: furit improbus ira,
Insequiturque novo miseram molimine gentem.
At Deus Omnipotens gaudentem caede tyrannum
Perculit, et miseram morbos jaculatur in aulam.
Quanta paraetonias errant portenta per oras [39] !
Territa conspexit populosae urbs Taneos aestu
Flumina turbato, infectoque undare cruore,
Ardentem ne impura sitim restingueret unda.
Quid memorem infestas ingenti examine muscas
Ranasque obscoenas medias irrumpere in aedes,
Et dominos frustra vacuos errare per agros?
Protinus arborei periere rubigine foetus;
Et spes agricolae messem rapuere locustae.
Horridus e caelo lapidosa grandine nimbus
Contrivit vites, glacieque incana pruina
Decoxit moros. Tanto ruit agmine grando
Quin etiam, ut jumenta simul percussa perirent,
Arentesque vorax agros absumeret ignis.
Tum Deus (ecquisnam caelestem temperat iram?)
Aegypto in tota, sobolem quae prima parentum,
Obruit exitio, casuque involvit in uno.
Omne genus morbos Pharao, et graviora perhorrens
Invisum extemplo populum discedere jussit.
Dum fugiunt, saevum dementia sueta tyrannum
Corripit: incolumem per tanta pericula abire
Poenituit; socias equitum peditumque catervas
Agglomerat, Phariaque jubet tellure ruentes

Pone sequi, et properos medio deprendere calle.
Jamque propinquabant fluvio, implacabilis hostis
Terga premit, trepidisque ferox hinnitibus instat
Quadrupes. Auxiliis fretus caelestibus heros
Isacides fluvio imperat: ecce repente dehiscunt
Commotae, murisque velut bipatentibus undae
Sistunt. Interea siccis incedit arenis
Turba frequens, properatque aliam contingere ripam.
Insequitur Pharao nota regione viarum,
Bella movens, fera bella minans. Jam semita longo
Agmine completur, jam hastilibus horrida densis
Tota strepit: cursu in medio subversa repente
Omnia, et hac suspensa tenus quae restitit unda,
Solvitur; immensi montes volvuntur aquarum,
Inque fretum vorat unda minax currusque virosque.
Nulla salus. Ripa interea ulteriore canebant
Isacidae, meritasque Deo persolvere grates
Gestibant: salsis nabant in fluctibus hostes,
Et frustra auxilium ingenti clamore vocabant.
Corripuere viam, qua ducit legifer heros.
Ante Chananaeûm data quam deposceret arva,
Quo ferro decertandum, gentesque rebelles
Vincendae, populum trepido jam pectore cuncta
Formidantem (humiles curae durique labores
Servitii usque adeo natas ad grandia mentes
Dejecere!) cupit magnis extollere rebus.
Pastorum turbam certa sine lege vagantem,
Atque recusantem dicto parere, rudemque
Ingenio sterili regione errare coegit,
Prudensque aggreditur dura exercere palaestra.
Olli Aegyptiacae longa experientia gentis

Multum profuerat. Clemens tamen aethere summo
Descendit Deus, et Sinai super ardua Mosen
Ductorem ducit, sociataque foedera firmat.
Haec digito mandata suo perscripta potenti,
Ipse dabat populo [41]: Tibi ego Dominusque Deusque,
Qui te de terra Aegypti, de sede superba
Servitii incolumem, per mille pericula duxi.
Non aliena tibi me coram numina habebis.
Sculptile nil facies, neu picta imitabere forma,
Quae supra caelum vivunt, quae terra deorsum
Nutrit, quae variis errant animantia in undis.
Non frustra accipies Dominum, vanumque vocabis
Nomen. Sex luces operabere: septima surget
Sacra mihi, festoque Deum celebrabis honore.
Devenerare pius natus matremque patremque.
Nec quemquam occidas: nusquam moechabere: furta
Ne facito; ambiguae si quando vocabere testis,
Incertaeque rei, falsa ne mente loquaris.
Non aliena tibi conjux, propioris amici
Non cupienda domus. Media inter talia, totus
Hac illac populus voces audire per auras,
Lampadas inspicere, et sonitus audire tubarum,
Summaque in aëreo fumare cacumina monte.

At sacer interpres summo de vertice montis
Descendens, totusque Dei jam numine plenus
Conventum vocat, et praesens caelestia jussa
Explanat: sociata omnes in foedera jurant.
Sacra addunt, lectaeque tribus peragenda remittunt
Levigenis [42]: renovant generis memorabile signum,
Inque Dei nomen deserta per arida pergunt.
Ipsa viam faciunt latis tentoria velis

Aedificata ducis studio, qua oracula legis
Descripta in tabulis clausa servantur in arca;
Foederis arca [43] fuit penitus regione reposta
Absconsa, et circumtexto velamine tecta.
At Deus (ecquisnam auderet, Rex maxime, dictis
Indubitare tuis?) populum Deus ipse regebat [44].
Ipse die obscuram jussit praecedere nubem,
Atque illucentes noctu praecurrere flammas.
Cum fureret vesana sitis, de rupe liquentes
Eliciút latices, veluti tellure profunda
Erumpit flumen, plenoque elabitur alveo.
Ipse jubet pluere insuetum de nubibus imbrem,
Ambrosiasque dapes, pretiosa cibaria caeli.
Non satis; eois flantem regionibus Eurum
Dispulit, et Lybicis exurgens Africus oris
Vasta coturnicum impellit trans aequora nubem.
Quam multus vento glomeratur in aëre pulvis,
Quam multa in sicco densatur littore arena,
Continuo motis circa tentoria pennis
In media affusae volitârunt castra volucres.
In praedam vulgus ruit omne epulisque potitur.
Auctorem tantorum operum quis credere caeli
Noluerit regem? crebro tamen acta furore
Improba gens caelum contra convicia fudit.
Audiit indignans, aversatusque rebelles
Reppulit ab sese Dominus: nunc flamma locatis
Improviso ardet castris populumque procacem
Devorat; horrifice saevit nunc lurida pestis,
Et morbo cadit insueto delecta juventus.
Heu! quod perfugium? commissa piacula flere
Continuo ante aras veniunt, veniamque precantur.

Ipse autem clemens populum miseratur iniquum.
Namque animo subiit, fragili quae condita limo
Membra gerat, celeri quae vita fugacior umbra.
At populo promissa pio Chanaanitidos arva
Non tetigit Moyses; vix ipso in fine senectae,
Cum prope mortis erant metae finisque laborum,
Admonuit turbam, sanctis ne devia scitis
Erraret. Postquam monumenta extrema reliquit,
Illum palmiferi super alta cacumina Nebi
Detulit Omnipotens; promissaque jugera terrae
Monstravit, Judaeam omnem, et juga celsa marisque
Longinquos fluctus. Vidit, sortisque futurae
Praesagus placida contentus morte quievit [45].
Haud alius veterum vatum, vatumque recentum
Olli certârit, coram qui cernere Numen
Omnipotens potuit, vocemque audire loquentis.
Isacidae triginta illum flevere diebus,
Herbosasque Moab valles, qua fama sepulti
Monstrabat sedem, justa implevere querela.
At cunctis manet ignotum, mansitque sepulcrum [46].
Tum Josue, mandante Deo, olli in magna subibat
Munera, spectatus pietate, et fortibus ausis.
Jamque Chananaeos exercitus advena campos
Contingens aderat rapidi Jordanis ad amnem,
Qui jam triticeae maturo tempore messis
Creverat immensus, nivibus de more solutis.
Castra movet Josue, et tumidos transmittere fluctus
Apparat. Ipse Canopaeis miracula terris
Spectârat, siccisque vadis adstare reducta
Aequora, ceu plenis conclusas utribus undas.
Atque novi magnam ipse ducis notescere famam

Omnipotens voluit, monitis ingentibus implens.
Foederis arca praeit, sacris subvecta ministris,
Quos variae misere tribus. Vix vestibus omnes
Albatis primo ponunt vestigia ponto,
Consistunt ipsi, renovataque signa repente
Arabiae, cedensque retro cita constitit unda,
Sublato veluti praerupti culmine montis.
Vidit Amos, viditque procul conterrita Sarta [47]
Prodigium: et subito testatus gaudia plausu
Transgreditur populus sicci per aperta profundi.
Arca manens medio turbam tutatur euntem.
Nec nisi, cum totum vidit transnâsse fluentum,
Jordanes ausus cursus iterare relictos.
Tum Josue medio legit de fluminis alveo
Bissenos lapides, et ubi tentoria fixit,
Bellipotens ripa locat ulteriore trophaeum,
Quod gratae pietatis opus, diaeque maneret
Virtutis seros monumentum insigne per annos.
Tu prior, o Jericho, hostili quae occurris in ora [48]
Divinam experiere manum: tremefacta propinquo
Gens saeva excidio sese concluserat urbe,
Quam circum ingenti vallabant moenia fossa.
Omnis deseritur tellus, glomerataque campis
Pubes jurârat patriis occumbere muris.
At Josue divina sagax mandata facessit.
Urbem septeno gyro septemque diebus
Circumagit: demum, sonitu praeeunte tubarum [49],
Moenia procumbunt subita quassata ruina.
Pollutas acies judaeus demetit ensis,
Et gratus ductor praecelso in monte Garizim [50]
Aram constituit, renovataque foedera sancit,

Bissenaeque tribus uno de sanguine ductae,
Omnes Abramidae, patriis in legibus omnes
Explorant rura, isaciis habitanda colonis.
Gens hebraea tamen (quis fando talia duram
Cervicem populi, et non execretur iniquum
Ingenium?) sprevit regis benefacta superni
Saepius, indictasque audet contemnere leges.
Quin etiam colles ausa est celebrare profana
Relligione sacros, ritusque oblita vetustos
Aemula sacrilegas simulacra locare per aras,
Nil verita aeterni succendere vindicis iras.
Saepius admonuit caelo Deus, atque merenti
Inflixit poenas: sed ubi resipiscere vidit,
Vidit ubi ingratae commissa piacula culpae
Emendare, Viros magna virtute potentes,
Vatesque egregios et caelo digna locutos
Exciit, et rebus praesens succurrit in arctis,
Et nova magnarum crevit fiducia rerum.
Ille, vides, Samson [51] praegrandi corpore vires
Indomitas gestat: dextra victrice leonis
Discerpit fauces, felici marte Philistim
Devictum fugat, et terras effundit in omnes,
Terribili quatiens asini mala: ipse potenti
Fert humero portas urbis, vastasque columnas;
Fundamenta domus magnae, qua plurimus hostis
Desuper instabat, subita labefacta ruina
In terram dedit. Ecce autem fidentior hostis
Ingruit, assumptisque animis nova praelia tentat;
Israëlitarum turmas perimitque fugatque,
Omnia vastatus late loca. Foederis arca [52],
Foederis arca, diu centum protecta maniplis,

Impete barbarico cecidit, castrisque moratur
Hosti ludibrium. Summo in discrimine rerum
Missus adest Samuel [53], sancto qui fervidus igne
Conciliatque Deum, et sacro modulamine segnes
Excitat Hebraeos, servataque foederis arca.
Praecipiti dant terga fugae, terraque latenti
Hostes anquirunt dubiam servare salutem.
Post ubi postremos Samuel vergebat ad annos,
Et populi regem magno clamore petebant,
Egregium juvenem, cui victrix dextera bello,
Beniamidûm Saulem [54] e coetu delegit: ovantes
Accepere omnes regem solioque locârunt.

O Saul infelix, curnam vestigia patrum
Deseris, et magno Jehovae parere recusas?
Nequaquam memorans divina oracula vates
Itque reditque viam, rectoque in tramite sistit
Incolumem; illo abeunte, redit vesania maior,
Contemnisque Deum. Quid vati denique restat?
Furtim alium regem sacrato chrismate inungit,
Jessaeum juvenem forti de sanguine Judae.
Hebraei celebrant pueri passim inclyta facta
Davidis. Ipse doles? Tortae qui verbere fundae
Praecipitem immani dejecit mole Goliam,
Qui citharae sonitu, et dulci modulamine vocis
Aegrotum curis animum medicatur amaris,
Teque vigil servat per inhospita saxa vagantem,
Dumque specu in magna somno vinoque sepultum
Incautum posset truculento absumere ferro,
Regalis vix summa secat velamina vestis,
Et pateram latere, et sceleratam diripit hastam;
Saul ipse insequeris? sed nulla medela furori.

Tandem in bella ruens, saevo circumdatus hoste
Ipse sibi obscoenam est ausus consciscere mortem.
Bissenaeque tribus uno simul ore salutant
Jessaeum regem, quo non praestantior alter
Relligione fuit, nec bello major et armis.
Ipse Jebusaeos tota propellit Idume [55],
Expugnatque Sion triplici munimine cinctam:
Ipse Philistaeos Hebraei nominis hostes,
Fertilis Aegypti deturbat finibus, aequor
Trans rubrum, atque feros armis devicit Edomas.
Jerusalem ipse prior regalem condidit urbem:
Pars magnas statuere domos, urbemque praealtis
Aggeribus, tripliciique student circumdare muro.
Fundamenta locant alii solida, atque superba
Limina; pars altis praecingit moenia fossis,
Aut turres locat, aut propugnacula vasto
Suspectu circum. Sublimibus alta columnis
Regia consurgit praecelsa desuper arce,
Qua domus interior gemmis auroque coruscat,
Et sacro composta adytu stat foederis arca,
Et diae legis tabulae. Castella Sionis
Cantibus interea resonant, quos ipse furore
Excitus sacro effundit, repetuntque frequentes
Certatim populi, Patris benefacta canentes.
At tibi non licuit, Regum sanctissime, templum,
Augustum templum supremo attollere Patri.
Cuncta parata operi Salomon sed repperit, ingens
Mentis opumque potens, quo non sapientior alter
Orbe fuit quondam, nec postera respicit aetas.
Artifices venere Tyro, venere potenti
Sidone; exercetur opus noctemque diemque:

Aurum reddit Ophir solidum, argentoque nitescunt
Postes, atque ebore, et pictis laquearia gemmis.
Inclyta Jerusalem cunctas supereminet urbes
Formidata armis, latisque uberrima campis.
Quam vera effudit Jessaeus carmina vates [56]!
Ipse triumphatas victae Sunamitidos urbes
Partiar, et Jacob sua queis tentoria fixit,
Metabor valles. Servit Galaatidis ora
Tota mihi, servit victi mihi terra Manassis,
Tutaturque caput nostrum Ephraimia saevis
Foeta viris regio: Judae mea jura recepit
Inclyta progenies regum, mea jura Moabi
Terra ferax, gleba quae spes alit ubere nostras;
Jussa Philistaei jam vectigalia pendunt.
Quis me per mediam victorem ducet Idumen,
Nî tu, magne Deus, nostrae arbiter unice sortis?
At quaenam miseros agitat dementia cives?
Namquae segnities? luxu delirus inerti
Ipse potens Salomon [57] curis muliebribus instat,
Oblitusque Dei, et coetu stipatus ovanti
Externos ambit thalamos, vetitosque hymenaeos
Luxurians sequitur, nimiumque uxorius audet
Gentibus immixtus peregrinos quaerere divos,
Vanas effigies, spirantes marmore vultus.
Magna Sacerdotum nequicquam regis ad aures
Vox sonuit: monitus demens contemsit amicos,
Et ligna et lapides plena veneratur acerra [58].
Ab rege in populum diri contagia morbi
Fluxere, atque Dei veniunt oblivia: saxis
Isacida et ligno divinos reddit honores.
Ex illo exlegem populum gentemque rebellem

Sanguineo Dominus coepit pulsare flagello
Indignans: gentes uno se e sanguine scindunt,
Teque decem legere tribus, Roboame, caputque
Jerusalem faciunt Judaeo et nomina regno [59],
Binae alium regem dictumque Israële regnum
Fecere, et tectis Samaria excepit apricis.
Ex illo semper fraternis fervere bellis,
Seque implacatis misere discerpere pugnis,
Ingruit Assyriae donec dominator opimae
Salmanasar, victaeque tribus: mox horridus hostis
Judaeam immani veniens Babylone subactam
Occupat, impositisque ultro citroque tributis
Exilio mutare domos, externaque regna
Sepositasque plagas Asiae peragrare coëgit,
Et colere insueto terrarum vasta labore.
Quis valeat dictis saevos numerare dolores?
At Daniel vultum lacrymoso flumine spargens
Incumbit salici, et populo peccata fatente,
Messiam poscit, collapsaque moenia templi
Confidit quondam ad priscos adsurgere honores [60]:
Septenos decies septem devolvier orbes
Adspicio, et populo super, et super urbe sceleslum
Deletur scelus, et finem damnosa cupido
Accipiet. Superis iterum adducetur ab astris
Justitia, et veterum completur visio vatum.
Sanctus sanctorum caelesti ungetur olivo.
Hostia deficiet: legalia sacra vetusto
Deficient ritu; saevis circumdatus armis
Adveniet ductor sacratum evertere templum,
Atque urbem: saevis vastantur cuncta rapinis.
Parte alia Isacidae propter Babylonis opaca

Flumina proiecti, suspiriaque aegra trahentes
Inclyta Jerusalem memorabant compita, et arcem
Turrigeram, et sancti fumantia rudera templi.
Flebant insolabiliter; pendebat amaro
Ab salice, atque situ squalebat sordida longo
Insignis cithara; interdum discrimine vocum
Flexanimo Isaci et Jacob in vota vocabant
Rite Deum [61]: Audiimus, prisci retulere parentes,
Per te patrata exactis memoranda diebus.
Promissa neque enim Abramidae regione potiri
Vi potuere sua: gentes tua dextra profanas
Expulit, et gentem populis magis omnibus unam
Dilectam certa tandem statione locavit.
Quid nunc averso indignans nos despicis ore?
Quid non praegrederis nostras, velut ante solebas,
Ipse acies? caderent porro obluctantia cuncta.
Heu! heu! terribili dare terga impellimur hosti,
Qui nostras vastator opes atque aurea vasa
Diripuit, spoliisque incedit onustus opimis.
Partem adimit gladius fatalis: inertia passim
Corpora sternuntur caesorum more bidentum;
Diversas alii peregre migramus in oras
Triste per exilium: vili divenditur aere
Gens tua: finitimis erramus fabula nostris,
Qui toties dictis nobis illudere certant.
Surge, age, quid dormis? ne nos patiaris inultos,
Atque opis expertes, et tantis fluctibus actos.
Adspicis, ut foedo spargamus pulvere frontem
Semianimes, veniam gemitu auxiliumque rogantes?
Surge Deus, laudetque tuum nova gloria nomen.
Audiit; en Cyrus majora ad fata vocatus

Ignotos jussit tenebris assurgere Persas:
Evertit Medos, Chaldaeûm elata superbis
Ausibus imperia invictis frenavit habenis;
Et dedit Hebraeis caros remeare penates.
Integra sola tribus rediit, sata sanguine Judae,
Quae ducens reliquas in regna paterna sorores
Judaeum fecit communi nomine regnum [62].
Zorobabel Solymam ingreditur, collapsaque munit
Moenia: consurgunt disjecti limina templi,
Et Moysis priscas leges, ritusque verendos
Sacrato statuere loco justissimus Esdra,
Et quo non alter fuerat servantior aequi
Neemias. Populum longo post tempore priscum
Quaerentem templum, vastisque innixa columnis
Atria, solatur dictis Aggaeus amicis [63]:
Ecquis adest vestrum qui prisco vidit honore
Hanc fulgere domum? quid nunc lugetis ademptos
Cultus? ipse brevi caelum terramque movebo,
Et maris undisoni tractus: omnem ipse movebo
Gentem: tot desideriis votisque cupitus
Adveniet; domus ista novo fulgebit honore.
Argento atque auro radians, et prisca redibit
Gloria: divina surget pax candida sede.
Nec satis: incerto dubitantem animoque querentem
Malachias sperare jubet meliora, Deique
Fatidicos canit eventus, arcanaque sacra [64]:
Nuncius, ecce, meus supera mittetur ab ora
Ambiguas monstrare vias; quem quaeritis, ingens
Adveniet Dominus sacrum componere foedus.
At vos o quidnam studiis certatis iniquis,
Judaei? Solymis alter remoratur: at alter

Oratum pergit praecelso in monte Garizim [65].
Dissimiles veteri ab cultu venere minores,
Et nunc Aegypti auxilium, nunc foedera poscunt
Assyriae, ruit in vetitum perversa propago,
Numina succedunt nova, saeclo ignota priori.
Gens scelerata [66], Deum, cujus de munere vivis,
Linquere, et oblito potuisti pectore patrem
Artificemque tuum? Caelo prospexit ab alto
Haec Deus: Et gentis jam fata novissima [67], dixit,
Immotis spectabo oculis, aversaque condam
Lumina. Quin etiam populos aliena secutos
Arcessam, et stulta se relligione ferentes
Adjungam ipse mihi, meaque ultro ad sacra vocabo.
Sic ait excutiens dextra omnipotente flagellum,
Romanosque vocat Judaeum evertere regnum,
Et populum ingratum saevis onerare catenis.

Quid demum? vice dum nutant mutata frequenti
Omnia, et ingenti passim quassata ruina
Florida tot regna, et clarae cecidere tot urbes,
Tantum Israel (foedi quem vos opprobria saecli
Humanique odium generis, pejusque vocatis),
Tantum Israel servat primaevi lumina veri.
Humanae ipsa Chamus vestigia prima figurae
Amisit: tanta coopertus nube moratur!
Anxius incertis Japhet luctatur in umbris.
Quid Deus est, quidnam mundi aspectabilis isthaec
Machina, quae natura hominis, quae meta coactis
Conciliis hominum, quae terras vincula caelo
Certatim religant, jamdudum indagine vana
Quaesivere Sophi; at quanta caligine nutant!
Chaldaei vigiles, caeli astrorumque periti

Aërias tentare domos animoque rotundum
Perlustrare polum sueti, surgentia caeli
Sidera, lucentem solem, lunamque recurvo
Ore resurgentem plena venerantur acerra.
Caeca superstitio aethereas spatiata per oras
Hactenus, ecce humiles terras, atque aequora ponti,
Infernasque specus penetrat. Pulcherrima tellus
Graecia jucundis caelestia numina formis
Exhibuit, gelidoque jugo consedit Olympi
Regia magna Jovis, bissenaque turba Deorum.
Quid moror Aegyptum? formas induta ferinas
Numina magna creat: colitur latrator Anubis
Turpis forma canis; colitur Garamantius Ammon
Cornibus incurvis aries: vos, romula proles,
Cui cunctas reserat mavortia gloria terras,
Chaldaeam, Aegyptum atque ipsos spoliatis Achivos,
Templaque romuleis immania conditis arvis.
Vae, vae terrigenae ingrato! pinguedine [68] multa
Luxurians, crassaque cutem distentus omaso,
Turpiter arrecta in dominum cervice reluctans
Calcitrat, immissasque olli indignatur habenas,
Auctorique suo, defensorique salutis
Impia praeponit falsorum monstra deorum.
Id videre Sophi, et puduit non posse mederi.
Ipse Plato graecae Sophiae doctissimus ore
Socratico fassus latebrosa noctis in umbra
Damnatum lugere hominem: vix numine dignum
Tantum opus, infirmae gravibus succurrere damnis
Naturae; vix posse Deum mala nostra misertum
Sufficere, atque viam pietatis pandere certam.
At non sublatis pernix Clementia pennis

Protinus aufugiens terrenas deserit oras.
Terrarum hunc, quacumque patet, tua condidit orbem
Dextera, tuque manes nostro miseratus in orbe
Omnipotens rerum Rector. Jamque angulus ille,
Angulus ille Asiae tibi terra acceptior omni,
Qua sedem soliumque tuum templumque locâsti,
Qua tibi de cunctis electa sacraria terris
Excoleret mediis Semus mortalibus hospes,
Qua vates et vera vident et vera profantur;
Obscura veluti lampas clarissima nocte,
Judaea emicuit [69], donec lucesceret ingens
Lucifer, irradians, totumque incenderet orbem.
Judaea ipsa suum cernit procumbere regnum;
At voti compos dignatur reddere terris
Numen, quod vates olim cecinere futurum,
Ut verum enatum toti communicet orbi.
En quam primaeva Omnipotens aetate redempti
Spem fecit mundi, maturo tempore complet.
Nonne Chananaeos Chanaam de semine cretos
Parere Hebraeis, Semi data jussa secutos
Vidimus, et Semum ascriptis considere campis?
Eja age Japheto tentoria vasta recludc,
Seme Pater: completa Noes oracula cerno.
Nonne potens Japhet sobolem sibi crescere vidit?
Et Semo aspicimus cunctas accedere gentes
Omnigenasque tabernaclo requiescere in uno
Collectos populos unumque evadere ovile!

Non latae domina urbs Syriae, quae moenia jactat
Coctilibus massis, quam culmine mille coronant
Aërio turres, quam pensilis hortus opacat,
Purpurea veluti intextis aulaea tapetis;

Non doctae, quas fama vetus celebravit, Athenae,
Hellados ille oculus, qua toto clarior orbe
Nulla nitet regio, seu quis monumenta requirit
Ingenii, artificumque manus, operumque labores,
Sive superfuso quae ingens sapientia rivo
Exundat, falsis certatim vera remiscens;
Nec tanto ipsa potens dignatur munere Roma,
Qua nil in terris majus sol conspicit usquam,
Ornamentum ingens capiti circumdata colles
Septenos, Asiae, et Lybiae Europaeque potenti
Imperio, et magnis late dominata triumphis.
Parva Bethlem [70] cessere tibi, mavortia Roma,
Et dives Babylon, praeclaraque Graecia: Judae
Parva Bethlem nato dedit incunabula Christo.

At non haec Solymae servata est gloria tantum.
Aurea doctrinae pietas, nulloque colore
Fucatum Verum totum procedit in orbem,
Et capitolina radiantem lampada in arce
Collocat. Ante alias fortunatissima Roma,
Si magni imperii majorque futura creatrix
Tanti operis coeptum, et per tot labentia saecla
Profligatum, auctore Deo, nunc denique terris
Perfectum cunctis, facilisque volensque secundet!

NOTÆ.

[1] *Invictam vocem* — Sic Regius Psaltes 28, *Afferte Domino.* Vox Domini super aquas Deus majestatis intonuit: Dominus super aquas multas. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringentis cedros, et confringet Dominus cedros Libani. Et comminuet eos tamquam vitulum Libani, et dilectus, quemadmodum filius unicornium. Vox Domini intercidentis flammam ignis: Vox Domini concutientis desertum, et commovebit Dominus desertum Cades. Vox Domini praeparantis cervos, et revelebit condensa, et in templo ejus omnes dicent gloriam.

[2] *Dedit una fides* — Moyses, inclytus Judaeorum dux, qui Israëlitas ex Aegypto, et Pharaonis tyrannide liberavit, potissimum exhibet Tarsensi argumentum, in ejus epist. ad Romanos, ut Hebraeos in Redemptionis fidem adduceret. Qui et Gentiles mutua aemulatione Romae concertabant. Apostolus profecto Hebraeis ostendebat veteris Testamenti Justos, qui sub lege erant mosaica, nonnisi in Christum liberatorem fide, fuisse servatos: eadem nempe fide, qua nunc, in plenitudine temporum, cum gentibus communicata, totum humanum Genus in ejusdem spem hereditatis vocabatur. Sic Apost. ad Rom. III: Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata a lege et prophetis. Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes, et super omnes qui credunt in eum. Et X, 4. Finis legis Christus ad justitiam omni credenti. Et ad Gal. III, 24. Itaque lex paedagogus noster fuit in Christo, ut in fide justificemur. Et Petrus, Act. XV, de Circumcisione abolenda: Sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi. Quid et de Judaeis, et de Alienigenis, ut Job, et Melchisedech? neque aliunde reserata gentibus aliis via salutis. Ita rem luculentissimo suo testimonio firmat Augustinus, lib. II, Ret. XXXI. Ex quo commisit Adam illud grande peccatum, et omne genus humanum in commune damnavit, ab hac communi damnatione nemo prorsus liberari, justitiamque et salutem consequi unquam poterit, nisi per Salvatorem nostrum Jesum Christum, cujus gratia omnes liberantur, quicumque liberantur. Ideoque fidei Christianae fundamentum est *Unus* et *unus;* unus homo per quem ruina, unus homo per quem structura.

[3] *Ecce Leo Judae* — Apoc. V, 5. Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus. Antea de libro hoc arcano, signato sigillis septem locutus est: 2. Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus?

[4] *Dias divitias* — Apost. ad Rom. XI, 33. O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?

[5] *Oleaster* — Apost. ad Rom. XI, 24. Nam si tu ex naturali excisus es

oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam; quanto magis ii, qui secundum naturam inserentur suae olivae? et XI, 17. Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis, et pinguedinis olivae factus es, noli gloriari adversus ramos.

[6] *Demetrius* — De eo Tac. X, 34. Illustriorum virorum feminarumque coetus frequentes egerat, maxime intentus Demetrio Cynicae institutionis doctori: cum quo, ut conjectare erat intentione vultus, et auditu, si qua clarius proloquebantur, de natura animae et dissociatione spiritus corporisque inquirebat. De eodem Senec. Epist. 63. Demetrium virorum optimum mecum circumfero, et relictis conchyliatis cum illo seminudo loquor. Quae secta revera a Stoica tantum tunica differt; idest quod nudius et inverecundius Cynici, quae velant et tegunt Stoici. Musonium et Demetrium Vespasianus cum omnibus Stoicis urbe abegit. — *Musonius.* C. Musonius Rufus natus Vulsiniis, fuit eques Romanus: de eo Tac. Hist. III, 81. meminit sub Galba: Miscuerat se legatis Musonius Rufus equestris ordinis, studium philosophiae et placita stoicorum aemulatus: coeptabatque permixtus manipulis bona pacis et belli discrimina disserens, armatos monere. Id plerisque ludibrio, pluribus taedio; nec deerant qui propellerent proculcarentque, ni admonitu modestissimi cujusque, et aliis minitantibus omisisset intempestivam sapientiam.

[7] *Campo* — Psal. 103. Extendens caelum sicut pellem, qui legis superiora ejus. Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum. Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in saeculum saeculi. Ascendunt montes et descendunt campi, in locum quem fundasti eis. Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram.

[8] *Tum vero inspirat* — Gen. I. Spiritus Dei ferebatur super aquas. *Pecudesque bibunt.* Ps. 103. Potabunt omnes bestiae agri, expectabunt onagri in siti sua. Super ea volucres caeli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces . . . Fecit lunam in tempora; sol cognovit occasum suum. Posuisti tenebras, et facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiae silvae. Hoc mare magnum et spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus. Animalia pusilla cum magnis.

[9] *Abirent* — Sap. XII, 13. Non est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus.

[10] *Accepit limum* — Gen. II, 7. Formavit Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem. Haec de corpore, animaque hominis. Quoad vero feminam, V, 21. Immisit Dominus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et aedificavit eam in mulierem. Vides hic Adam totius humani generis parentem, uti III, 20. Eva dicitur *Mater* cunctorum viventium. Hinc Apost. effatum Act. XVII, 25. Fecitque (Deus) ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae.

[11] *Virago* — Vix Adam e sopore expergefactus Evam conspexit, in illas erupit voces: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea: haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Ad quae alludebat I, Cor. 11, 8. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. In tanta et clarissima narrationis Mosaicae luce, vide, quaeso, quid sentiendum de recentiori quadam sapientia, quae mythice intelligenda hujusmodi verba comminiscitur! o vere sapientiam desipientem! — *Os uni sublime*. Deus hominem ad imaginem suam creavit; idipsum cecinit Naso Met. I, 76.

Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum:
Pronaque cum spectent animalia cetera terram,
Os homini sublime dedit caelumque tueri
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Fortunati ambo. Hominis beatitatem in primaevo innocentis naturae statu, non multis explicabimus, cum humani generis parentes donis, dotibusque omnibus exornare, pro dignitate, ipsum conditorem beneficentissimum decuit. Naturae enim integritate rectique exercitatione firmitas, a pravo quolibet concupiscendo immunitas, cumulatissima rerum scientia, et denique immortalitas bonum beatumque primum hominum caput praestabant. Quae prima felicitas sive ore tradita, sive e Judaeorum memoriis hausta in ipsis Gentilium libris saepissime occurrit, ab Hesiodo usque ad Virgilium, nisi in humanae ipsius mentis sinu repositum, et assiduo praesentium aerumnarum aestu exardescens desiderium pro antiquissimi illius aevi testimonio habere velis. Sic *aurea aetas* et *Saturnia* apud poetas celebrata.

[12] *Par similisque Deo* — Praeceperat Adae Deus, Gen. II, 17. De ligno scientiae boni et mali ne comedas: in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris. Sed quae serpentis calliditas? Ibid. 5. Nequaquam morte moriemini .... aperientur oculi vestri, et eritis sicut Dii, scientes bonum et malum. Sed ib. III, legitur: Tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo. Hinc profecto plures gentilium fabulae, quibus saepissime occurrit maleferiata illa serpentis commemoratio. Hinc poma Hesperidum, dracone custodita; hinc apud Aegyptios, Indos, Graecos, Romanosque culti Serpentes. Princeps tenebrarum, toto terrarum orbe per iniquissimam vafritiem potitus, neglecta Dei maledictione, sub anguis lethiferi specie latitare, divinisque honoribus coli voluit.

[13] *Superante dolore* — Patrato crimine non veniam sontes implorârunt, sed mutua excusatione poenam declinare credebant. Adam: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno vitae, et comedi; Eva ex adverso: Serpens decepit me. Aberant ab innocente homine concupiscentia, ignorantia, et si quae alia offendicula. Praecepit mala voluntas, inquit Augustinus; nec porro malae voluntatis originem aliam, quam superbiam fuisse in comperto est. Eccl. X, 15. Initium omnis peccati superbia est. Et Job. IV, 14. In ipsa (superbia) enim initium sumsit omnis perditio. Quanta in uno crimine con-

gesta facinora? Non immerito Deus Gen. III, mulieri dixit: Multiplicabo aerumnas tuas, et conceptus tuos in dolore paries, et sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. Adae vero dixit: Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno ex quo praeceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae: spinas et tribulos germinabit tibi et comedes herbas terrae: in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.

[14] *Querelas* — Neque porro sine poenae minis acerbissimis perduellionis pessimum architectum Daemonem abire liquit Deus. Gen. III, 14. Et ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, et bestias terrae: super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitae tuae. Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum, et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus. En diabolicae pravitati inflictum supplicium, et primo ipso prolapsionis momento liberationis spem futurae. Primaeva illa contagio totum humanum genus inquinavit, et diabolicae dominationi mancipavit. En Psalmographus L: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. Cui prae ceteris concinit Job. XIV. Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram. Sed ex primo illo temporis articulo, divinae misericordiae lux emicuit, et totius humani generis per Virginem Deiparam praesignata redemptio. — *Peccatum unius.* Apostolicum effatum: Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. — *Binos pone Deos.* Hem praeruptum sane scopulum, quo saepe humana ratio impegit! Duos Deos Manichaei, alterum natura bonum, alterum vero malum invexerunt, siquidem mala in universo existere videbant, quae a Deo bono proficisci nequirent. Sed impiam haeresim longe lateque grassantem insectatur Augustinus *de Nat. Bon.* XXXI. Et Catholica Ecclesia uno ore cum Athanasio Orat. cont. Gentes fatetur: Nullum malum nec a Deo, nec in Deo, nec ab initio extitisse, neque ullam esse ejus substantiam. Cum ergo summum Bonum Deus est; nec malum esse Deus potest, et origo mali seu in natura primigenia praevaricatione corrupta, seu delirante hominis voluntate repetenda.

[15] *Cernere erat* — Gen. IV, 20. Genuitque Ada Jabel qui fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum. Et nomen fratris ejus Jubal, ipse fuit pater canentium cithara et organo. Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator et faber in cuncta opera aeris et ferri. Soror vero Jubalcain Noëma. Neque modo artium vitae utilium inventio, sed civitatum aedificatio commemoratur: (Cain) aedificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui Henoch. Rudia haec sane et impolita humani ingenii specimina; sed nativae industriae semina, primis rudimentis explicata, quotidianis experimentis aucta, ingenitarum virium fidem faciunt.

[16] *Facessere jura* — Gen. VI. Videns Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, poenituit eum, quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit, hominem quem creavi, a facie terrae, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres caeli. Poenitet enim me fecisse eos. Noe vero invenit gratiam coram Domino: Noe vir justus ac perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit.

[17] *Superastitit arca* — Gen. VIII, 4. Requievitque arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis super montes Armeniae. At vero aquae ibant, et decrescebant usqne ad decimum mensem.

[18] *Iris* — Gen. IX, 11. Statuam pactum meum vobiscum, et nequaquam ultra interficiatur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium desuper terram. Dixitque Deus: Hoc signum foederis, quod do inter me et vos, et ad omnem animam viventem, quae est vobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum ponam in nubibus, et erit signum foederis inter me, et inter terram. Cumque obduxero nubibus caelum, apparebit arcus meus in nubibus, et recordabor foederis mei vobiscum. — *Semumque Chamumque*. Ib. 10. Noe genuit tres filios, Sem, Cham et Japhet. Et IX, 18. addit: Cham ipse est pater Chanaam. Tres isti filii sunt Noe, et ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram.

[19] *Deucalionaeo* — Noachicas aquarum inundationes non universo orbi incubuisse, sed tantum Adami posteritati i. e. Judaeis Peyrerius fabulatus est. Non injuria Senecam induximus loquentem de ingenti diluvio, quod sub Deucalione filio Promethei, Thessaliae rege, contigit, cum arrepta navi Deucalion solus cum Pyrrha servatus, et in Parnassum montem delatus, cessantibus aquis Themistos Oraculum adiere, de humani generis restitutione consulturi. Illa respondit, ut magnae Matris ossa post tergum jacerent: conjectisque lapidibus, quos Deucalion jaciebat, in mares, quos Pyrrha in feminas verti, derepente conspexit.

[20] *Phocis ab oris* — Idem cecinit Ovid. Met. I, 311.

Separat Aonios Actaeis Phocis ab areis
Terra ferax, tum terra fuit; sed tempore in illo
Pars maris, et latus subitarum campus aquarum.
Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus
Nomine Parnassus, superatque cacumina nubes.

[21] *Musa diserti* — Thessalicam inundationem sequitur Tiberina de qua Horatius, Od. 2, lib. 1, loquitur, cum, Caesare interempto, innumeris cladibus Romani vexarentur, et praecipue aquarum inundatione:

Grave ne rediret
Saeculum Pyrrhae, nova monstra questae,
Omne cum Proteus pecus egit altos
Visere montes.

Vidimus flavum Tiberim, retortis
Littore Etrusco violenter undis,
Ire dejectum monumenta regis
Templaque Vestae.

[22] *Cecinit* — Gen. IX, 24. Evigilans autem Noe ex vino cum didicisset, quae fecerat ei filius suus minor, ait: Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis. Dixitque: Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus ejus; dilatet Deus Japhet, et habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus.

[23] *In campos Sennaar* — Ib. XI, 2. Cumque proficiscerentur de oriente, invenerunt campum in terra Sennaar et habitaverunt in eo. Dixitque alter ad proximum suum: Venite faciamus lateres, et coquamus eos igni: venite faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat ad caelum, et celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras.

[24] *Ore loquela* — In principio cap. XI, dixerat Moses: Erat autem terra labii unius, et sermonum eorumdem. Hinc addit: Descendit Dominus, ut videret civitatem et turrim quam aedificabant filii Adam, et dixit: Ecce unus est populus, et unum labium omnibus. Venite igitur, descendamus, et confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. Et idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universae terrae; et inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum. Quae linguarum varietates, quomodo ex eadem sobole atque origine propagatae sint, utque cum recentioribus eruditorum repertis Catholica fides cohereat, exquisitissima doctrina tractavit illud Catholicae Britanniae lumen Nicol. Wiseman, S. R. E. Cardinalis, et Westminster Archiepiscopus, in opere *Connexionis scientiarum cum religione revelata.*

[25] *Effudere per orbem* — Proh! quantum a veritate distant nonnulli fabulatores, qui mosaicam cosmopoeam labefactare contendentes non Adamum primum hominem, sed Judaeorum tantum fuisse patrem, eique alios homines praecessisse autumârunt. Verum Praeadamitas istos (sic enim nominat) unde hausit, nisi e sui cerebri aestuario Isaac Peyrerius? Calvinianus ille medicus, elapso saeculo totus in illo erat, ut ab Praeadamitis Gentiles, ab Adamo Judaeos ortos esse argueret, quippe quod (ille aiebat) Sacer historicus Judaeorum historiam contexendam susceperat. Sed quis aequo animo tot tulerit mendacia? Gen. II. Et homo non erat, qui operaretur terram.

[26] *Gentem* — Quod Tac. de moribus Germ. 2, ait: Ipsos Germanos indigenas crediderim; minimeque aliarum gentium adventibus, et hospitiis mixtos, generatim de cunctis antiquitatis populis vel celebrioribus dici potest. Quod addit Tac. Iuistonem Deum e terra editum, quem totius stirpis conditorem appellat, eadem cujuscumque originis narratio est. Latebat eos quippe et creatio, et isthaec omnium populorum ab oriente dispersio. Quae gentiliciae aetatis commenta, quamvis novi orbis regionibus recens detectis,

fervescente leviorum quorumdam hominum cerebro, iterum incaluerint, ea tamen Ethnographicorum studiorum ratio est, ut gentium regna et principes post diluvium ortum duxisse a tribus illis Semo, Chamo et Japheto, nemo amplius dubitet, qui Noes filii ad Adamum originem suam referebant. Ingens illa errorum colluvies, quae communem humani generis originem labefactaverat, eo demum recidit, ut catholica veritas ampliori luce amicta effulgeret. Legesis Gen. X, et XI et illustriora condita imperia, et nomen ipsum conditorum.

[27] *Praecipue Hebraei* — E Semi genere satum Abrahamum patre Thare, narrat Agiographus, qui totus in eo est, XI, ut sanctissimi hujus patriarchae gloriam amplificet.

[28] *Unum* — Sic Moses morti proximus, praevidensque populum a Deo defecturum, in Psalmo *Audite caeli*, in ingratos Hebraeos invehitur, Deique beneficia commemorat: 9. Pars autem Domini populus ejus, Jacob funiculus hereditatis ejus. Invenit eum in terra deserta, in loco horroris, et vastae solitudinis; circumduxit eum et docuit, et custodivit veluti pupillam oculi sui.

[29] *Ceu volucrum regina* — Ib. II. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis. Dominus solus dux ejus fuit, et non erat cum eo Deus alienus.

[30] *Ure* — E Thare natus est Abram, qui in Ur, oppido Chaldaeorum habitabat. Deus porro peculiarem sibi populum lecturus, qui sincerae fidei tenax esset, Abrahamum excerpsit, e cujus genere gens sacra prodiret. Gen. XII. Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrabo tibi. Faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus, et benedicam benedicentibus tibi, et maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur universae cognationes terrae. Haec illa est perillustris Abrahamitica vocatio, qua fidei, religionisque israeliticae primordia ducuntur.

[31] *Hebraeas.* — Vide not. 44. *Judae*, ad secundum hujusce Poëmatis librum.

[32] *Terram* — Gen. ib. Egressi sunt, ut irent in terram Chanaan. Cumque venissent in eam, pertransivit Abram terram usque ad locum Sichem... Apparuit Dominus Abram, et dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. Qui aedificavit ibi altare Domino, qui apparuerat ei.

[33] *Ismaël e serva genitus* — Ex Agar Aegyptia ancilla suscepit Abram filium: de quo Angelus, Gen. XVI: Paries filium, vocabisque nomen ejus Ismaël. Hic est ferus homo; manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum, et e regione universorum fratrum suorum figet tabernacula. Sed XXI. Cum vidisset Sara filium Agar Aegyptiae ludentem cum Isaac filio

suo dixit ad Abram: Ejice ancillam hanc, et filium ejus: non enim erit heres filius ancillae cum filio meo Isaac... Qui crevit, et moratus est in solitudine, factusque est juvenis sagittarius. En Pater Arabum, qui dicti etiam Ismaëlitae. Sed duplicis fatum nativitatis explicat Apost. ad Gal. IV. Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem: quae sunt per allegoriam dicta.

[24] *Felicia cuncta precatus* — Isaac paternae heres benedictionis duos etiam suscepit liberos Esau, et Jacob. Sed matre intercedente, venaticum pulmentum a Jacobo paratum adeo gratum habuit senex Isaac, ut ipsi benedixerit: Gen. XXVI. Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus: Det tibi Deus de rore caeli, et de pinguedine terrae abundantiam frumenti et vini. Et serviant tibi populi, et adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuae. Jure serius adveniens Esau lamentabatur de Jacobo: Juste vocatum est nomen ejus Jacob; supplantavit me in altera vice; primogenita mea ante tulit, et nunc secundo sumpsit benedictionem meam.

[25] *Fausta precatur* — Gen. XLIX. Vocatis suis filiis, Jacob moriturus eis praenunciat, quae novissimis diebus eventura essent: Juda, te laudabunt fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii fratris tui. Catulus leonis Juda: ad praedam, fili mi, descendisti: requiescens accubuisti, ut leo et quasi leaena: quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.

[26] *Filius accrescens* — Et posthac de Josepho dixit, ib.: Filius accrescens Joseph, filius accrescens, et decorus aspectu; filiae discurrerunt super murum. Sed exasperaverunt eum, et jurgati sunt, inviderun tque illi habentes jacula. Sedit in forti arcus ejus, et dissoluta sunt vincula brachiorum, et manuum illius per manus potentis Jacob: inde pastor egressus est lapis Israel. Deus patris tui erit adjutor tuus, et omnipotens benedicat tibi benedictionibus abyssi jacentis deorum, benedictionibus uberum et vulvae; benedictiones patris tui confortatae sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium collium aeternorum: fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaraei inter fratres suos.

[27] *Legifer Hebraei* — Josepho mortuo, ut Exodi I legimus, filii Israël creverunt, et quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati terram impleverunt. Sed suspiciosus Pharao Aegypti regno potitus erat, qui alienigenas gravissimis laboribus oppressit, utque crescens quotidie multitudo imminueretur, obstetricum opera, mares Hebraeorum in Nili fluvio exponendos curavit. Cistula expositum Mosen filia Regis collegit, materque ipsa nutricula puero lecta est, Deo sic volente, ut consiliorum suorum perfector in regia et regaliter ad omnem Aegyptiorum sapientiam informaretur. Adolescens Moy-

ses se Israëlitico sanguine prognatum sensit, omnemque e Regia effugiens operam navavit, ut gentem suam e teterrima servitute liberaret.

[38] *Farier ore* — Aegyptio interempto, qui *quemdam ex Hebraeis fratribus suis* percusserat, *advena veluti in terra aliena* vixit Moyses, aegriore in dies animo cernens Hebraeos maximis operibus detritos. Poteratne Deus oblivisci foedus cum Abraham, Isaac, et Jacob ictum? Ecce autem pascenti Moysi oves Jetro soceri sui, apparuit Dominus in medio rubi: Exod. III, 5. Ne appropies, inquit, huc: solve calceamentum de pedibus suis: locus enim in quo stas, terra sancta est. Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob... Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, et clamorem ejus audivi propter duritiam cordis eorum qui praesunt operibus, et sciens dolorem ejus descendi, ut liberem eum de manibus Aegyptiorum, et educam de terra illa in terram bonam et spatiosam, in terram quae fluit lacte et melle ad loca Chananaei etc.

[39] *Per oras* — Ps. LXXVII, 43. Sicut posuit in Aegypto signa sua, et prodigia sua in campo Taneos. Et convertit in sanguinem flumina eorum, et imbres eorum ne biberent. Misit in eos caenomyam, et comedit eos, et ranam, et disperdidit eos. Et dedit aerugini fructus eorum, et labores eorum locustae. Et occidit in grandine vineas eorum, et moros eorum in pruina. Et tradidit grandini jumenta eorum, et possessionem eorum igni. Non pepercit a morte animabus eorum, et jumenta eorum in morte conclusit. Et percussit omne primogenitum in terra Aegypti, primitias omnis laboris eorum, in tabernaculis Cham.

[40] *Canebant* — Post mare rubrum transmissum, Aegyptiosque cum Pharaone demersos, Moses gloriosissimum cecinit Epinicium, in quo factum magnifice describit, Deo gratias agit, et Israëlitarum ingressum praedicit in Terram promissam, expugnatis gentibus quae se opponerent.

[41] *Ipse dabat populo* — Exod. XX. Locutusque est Dominus cunctos sermones hos: Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti, de domo servitutis. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quae est in caelo desuper, et quae est in terra deorsum, nec eorum quae sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea neque coles... Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum... Memento, ut diem Sabbati sanctifices; sex diebus operaberis et facies omnia opera tua. Honora patrem tuum, et matrem tuam...Non occides. Non moechaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus... Cunctus autem populus videbat voces, et lampades, et sonitum buccinae, montemque fumantem.

[42] *Levigenis* — Dixit Deus Num. III, ad Moysen: Applica tribum Levi, et fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, ut ministrent ei, et excubent, et

observent, quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonii, et custodiant vasa tabernaculi, servientes in ministerio ejus.

[43] *Foederis arca* — Exod. XXV. Arcam de lignis Setim compingito. . . ponesque in arca sanctificationem quam dabo tibi.

[44] *Deus ipse regebat* — Sic. Ps. LXXVII. commemorantur ista Dei beneficia. 13. Interrupit mare, et perduxit eos, et statuit aquas quasi in utre. Et deduxit eos in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis. Interrupit petram in eremo, et adaquavit eos veluti in abysso multa. Et eduxit aquam de petra, et deduxit, tanquam flumina, aquas. Et pluit illis manna ad manducandum, et panem caeli dedit eis. Panem angelorum manducavit homo, cibaria misit eis in abundantia. Transtulit Austrum de caelo, et induxit in virtute sua Africum. Et pluit super eos sicut pulverem carnes, et sicut arenam maris volatilia pennata. Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum.

[45] *Quievit* — Deuter. XXXIV. Ascendit ergo Moyses do campestribus Moab, . . . ostenditque ei dominus omnem terram Galaad usque Dan, et universam Nephtali, terramque Ephraim, et Manasse et omnem terram Juda usque ad mare novissimum, et australem partem, et latitudinem campi Jericho civitatis palmarum usque Segor. Dixitque dominus ad eum: Haec est terra pro qua juravit Abraham, Isaac et Jacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, et non transibis ad illam.

[46] *Sepulcrum* — Deut. XXXIV. Mortuusque est ibi Moyses, servus Domini, in terra Moab, jubente Domino, et sepelivit eum in valle Terrae Moab contra Phogor, et non cognovit homo sepulcrum ejus usque ad praesentem diem . . . Et non surrexit alius propheta sicut Moyses, quem nôsset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis, quae misit per eum.

[47] *Sarta* — Josue III, 15. Ingressisque eis Jordanem et pedibus eorum in parte aquae tinctis (Jordanes autem ripas alvei sui tempore messis impleverat), steterunt aquae descendentes in uno loco, et ad instar montis intumescentes apparebant procul ab urbe quae vocatur Adom usque ad locum Sarthan.

[48] *Jericho* — Ib. Populus autem incedebat contra Jericho, et sacerdotes qui portabant arcam foederis, stabant super siccam humum. . . Et IV: Quadraginta pugnatorum millia, per turmas et cuneos, incedebant per plana et campestria Jericho.

[49] *Tubarum* — Ib. VI, 20. Igitur omni populo vociferante, et clangentibus tubis ... muri illico corruerunt.

[50] *In monte Garizim* — *Garizim* mons fuit, quo super post Hierichunta expugnatam, altare Domino Josue constituit et pacificas mactavit victimas. Tum Arca in medio constituta, et populo utrimque stante in conspectu Sacerdotum, faustis precationibus, a Deo felicem belli exitum oravit.

[51] *Samson* — Vir corporis fortitudine, et animi sollertia admirabilis.

Ipsemet Dalilae virtutis suae mysterium patefecit, Jud. XVI, 17. Ferrum nunquam ascendit super caput meum, quia Nazaraeus, id est, consecratus Deo sum de utero matris meae: si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea, et deficiam, eroque sicut ceteri homines. Judex Israëliticus per viginti annos fuit, et Philistinorum terror.

[51] *Foederis arca* — Externa superstitione inquinatus Israël cum Philistaeis congreditur, sed malo omine. Non modo Judaeorum fortissimi occubuerunt, sed castra ipsa invasit hostis, et triginta millia peditum cecidit. Reg. IV, 11. Et Arca Dei capta est. Sed profana illa regione sanctissimus thesaurus immorari diutius noluit. Et Philistaei gravissimis vulneribus afflicti eam ultro plaustro imposuerunt, duasque vaccas foetas plaustro junxerunt, quae *pergentes et mugientes* ad agrum Josue Bethsamitae recta impositum onus retulerunt. Tum Samuel, (de quo ib. III: Crevit autem Samuel, et Dominus erat cum eo, et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram) Israëlitis universis congregatis dixit: ib. VII, 1. Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri Baalim et Astaroth; et praeparate corda vestra Domino, et servite ei soli, et eruet vos de manu Philistiim. Quid tum? 10. Philistiim inieruut praelium contra Israël; intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philistiim, et exterruit eos, et caesi sunt a facie Israel.

[52] *Samuel* — Unus e Judaeis prophetis, rerum sacrarum studio praestantissimus, ab incunabulis Deo per pientissimam matrem oblatus. Vid. lib. I, Reg. in regno Sauli et Davidis.

[53] *Beniamidûm Saul* — Saul erat filius Cis, de tribu Beniamin, de quo Reg. IX, 2. Electus et bonus, et non erat de filiis Israël melior illo. Unxerat eum Samuel in regem Israëlis: contra Ammonios et Amalecitas fortiter pugnavit: sed praeceptis Domini refragatus est. Ipse Samuel acriter reprehendit, XV: Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es, unxitque te Dominus in regem super Israël, et misit te Dominus in viam, et ait: Vade, et interfice peccatores Amalec, et pugnabis contra eos usque ad internecionem eorum? Quare ergo non audisti vocem Domini: sed versus ad praedam es, et fecisti malum in oculis Domini? . . . Melior est enim obedientia quam victimae.

[55] *Idume* — Quamvis, ib. XV: Lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum poenitebat, quod constituisset eum regem super Israël, tamen, divinis obtemperans jussis, ad Isai Bethlehemiten venit, et vocatis ejus filiis, factoque sacro, parvulum qui oves pascebat, ex omnibus excerpsit (erat autem rufus et pulcher aspectu et decora facie), cumque in medio fratrum regem Hebraeorum inunxit. I. Reg. XVI. Spiritus autem domini recessit a Saul, et exagitabat eum spiritus nequam. Quid vero filius Isai, David? In Chananitide Hebraeorum populum constituit, debellatis pugnacissimis gentibus, totique Judaeae metropolim fecit Hierosolymam, quae erat in tribu Benia-

min, longeque clarissima fuit urbs totius Orientis. *Idume* eadem quae Edom et Idumaea, regio Palaestinae.

[56] *Vates* — Sic in Psalmo LIX. *Deus repulisti*, cum de Philistaeis, Moabitis, Syris, et Idumaeis a quibus fuerat lacessitus, David victoriam augaratur: Deus locutus est in Sancto suo, laetabor et partibor Sichimam, et convallem tabernaculorum metibor. Meus est Galaad et meus est Manasses, et Ephraim fortitudo capitis mei. Juda rex meus: Moab olla spei meae. In Idumaeam extendam calceamentum meum, mihi alienigenae subditi sunt. Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumaeam? Nonne tu, Deus, qui repulisti nos?

[57] *Salomon* — Filius David, sapientissimus omnium mortalium fuit, sapientia divinitus infusa. Omnia ad templum Hierosolymitanum aedificandum paraverat David, sed Salomon revera in monte Moria magnificentissimum condidit, illudque sanctissimis caeremoniis dedicavit. Sed III. Reg. XI. Cum esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos; nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo, sicut cor David, patris sui.

[58] *Veneratur acerra* — Ib. Tunc aedificavit Salomon fanum Chamos, idolo Moab, in monte qui est contra Jerusalem, et Moloch, idolo filiorum Ammon.

[59] *Judaeo nomina regno* — Sic Dominus Salomoni: ib. Quia habuisti hoc apud te, et non custodisti pactum meum, et praecepta mea, quae mandavi tibi, disrumpens discindam regnum tuum, et dabo illud servo tuo. Et vix paucis verbis interjectis, Ahias Silonites propheta Jeroboam egredientem e Jerusalem videns, pallium, quo coopertus erat, scidit in duodecim partes, et dixit: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, et dabo tibi decem tribus. Porro una tribus remanebit ei propter servum meum David, et Jerusalem civitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Israel, eo quod dereliquerit me et adoraverit Astartem Deam Sidoniorum, et Chamos Deum Joab et Moloch Deum filiorum Ammon.

[60] *Daniel* — Septuagesimo captivitatis babylonicae anno, cum pro Judaeorum libertate precaretur Daniel, sic illi fatus est Gabriel Angelus: Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consumetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur sanctus sanctorum . . . Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus; et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, et finis ejus vastitas, et post finem belli est statuta desolatio . . . deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis.

[61] *Rite Deum*—In Psalmo XLIII. *Deus auribus nostris audivimus*, praedicit David calamitates Judaeis illatas in captivitate babylonica: Deus auribus nostris audivimus, patres nostri annunciaverunt nobis. Manus tua gen-

tes disperdidit, et plantàsti eos : afflixisti populos, et expulisti eos. Nec enim in gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non salvavit eos. Sed dextera tua et brachium tuum..... Nunc autem repulisti et confudisti nos; et non egredieris Deus in virtutibus nostris. Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros, et qui oderunt nos, diripiebant sibi. Dedisti nos tanquam oves escarum, et in gentibus dispersisti nos. Vendidisti populum tuum sine pretio, et non fuit multitudo in commutationibus eorum. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his, qui sunt in circuitu nostro. Exurge; quare obdormis, Domine? Exurge et ne repellas in finem.

[62] *Nomine regnum* — Vide Not. 44 ad secundum hujusce poëmatis librum.

[63] *Aggaeus amicis* — Quo magis temporum plenitudo appropinquabat, eo clarius venturum Regem desideratissimum nunciârunt vates. Salomonici templi gloriam majestatemque in Zorobabelico post babylonicam captivitatem excitato exquirebant Judaei, sed eos altiori spe proposita relevabat Aggaeus, II. Haec dicit Dominus exercituum: adhuc unum modicum est, et ego commovebo caelum et terram, et mare, et aridam, et movebo omnes gentes, et veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.... magna erit gloria domus istius novissimae plusquam primae, dicit Dominus exercituum, et in isto loco dabo pacem. Scilicet sanctissimus Dei interpres templum Zorobabelicum Salomonico splendidius futurum praenunciat, quod Messiae praesentia erat exhilarandum.

[64] *Arcanaque sacra* — Expressius etiam de ingressu Messiae in Zorobabelicum templum Malachias eloquitur, III. Ecce ego mitto Angelum meum et praeparabit viam ante faciem meam, et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis. Quis dominator quem Judaei quaerebant, quis Angelus Testamenti, quem expectabant, nisi Messias, qui in suum templum erat ingressurus?

[65] *In monte Garizim* — III. Reg. XVI, 23. Emit montem Samariae a Somer duobus talentis argenti, et aedificavit eum, et vocavit nomen civitatis, quam extruxerat, nomine Somer Domini montis Samariam. Fecit autem Amri malum in conspectu Domini. Qui Samaritani mutua aemulatione cum Hebraeis pugnabant, easdem leges profitebantur, eumdem Deum colebant; verum, Alexandri tempore, in monte Garizim aliud sibi templum extruxerunt, id praetexentes, quod ibi primum altare Deo Josue constituit.

[66] *Gens scelerata* — Moys. Deut. XXXII. ib. Deum qui te genuit, dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui. — *Humanae ipsa Chamus.* Obtinuerat Africam iste Noachi filius, qui alia appellatione *Ammon* dictus invenitur. Unde natum, ut regionibus illis a Chamo et Ammone nomen adhaeserit. Aegyptus Psal. CIV, 27. *Terra Cham*, et a Plutarcho *Chemia*; Marmaricae urbs *Ammonia*, *ammoniaca* regio ubi templum Ammonis et tota Africa

Ammonia audiit. Vetus erat opinio, quod Africa caelo proxima esset, a Zona torrida fortasse, cui erat propinqua. Sic Luc. I, 9.

Terrarum primam Libyen, nam proxima caelo est,
Et probat ipse calor, tetigit.

Chamus ergo paternae execrationis poenas luit, et praecipui Numinum artifices, et architecti ejus posteri extiterunt. Nonne summi unius verique Dei augustissimum nomen *Jehovah* in ipso falsorum Deorum principe *Jove* vides? Obliterata prima illa veri Dei imagine, divinitatis honorem in auctorem generis sui Chamitae detulerunt, et ipse Chamus Jovis nomine designatus, ad caeli regiam elatus.

[67] *Fata novissima* — Moys. Ib. Et ait (Dominus): Abscondam faciem meam ab eis, et considerabo novissima eorum: generatio enim perversa est, et infideles filii. — *Incertis Japhet.* Si Japheto loca maritima et insulas in partem cessisse testatur Moses, vides qua ratione Lactan. l. de fals. rel. II. dixerit: Jupiter imperium Neptuno dat maris, ut insulis omnibus, et quae secundum loca erant, omnibus regnaret. In ipsa Europae antiquitate nomen occurrit: Japetus enim idem est ac Japhet, cujus filius nobilior ex Asia Nympha conjuge Prometheus est, prudentissimus ille vir, qui e luto formatum hominem caelesti igne animaverat. Quod in caucaseis regionibus evenit, primosque ibi civiles coetus, et prima consociatae gentis molimina procul dubio ostendit. Quid illud Horatii I, 3.?

Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas:
Audax Japeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.

Si ibi de re nautica res est, ignis ille caelestis inventa artium miracula demonstrat; illis ingenium accomodatius gens Japeti sortita est. Si tenebris primigenio crimine toti humano generi offusis, humanis nisibus in lucem egredi posset humana gens, ea certe Graeciae debetur laus, ut nullis laboribus pepercerit, quo ad tantam altitudinem perveniret. Sed longe ceteris insignior audacia, magna ethnicae superstitionis sacerdos habenda est.

[68] *Pinguedine* — Sic Moyses exprobrat Judaeorum nequitiam: Incrassatus est dilectus et recalcitravit; incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo.

[69] *Judaea* — Sic usitata mentis sollertia Hipponensis Pontifex, Ser. 2. de Epiph. Quid aliud hic significavit divina providentia, nisi apud Judaeos solas divinas litteras remansuras, quibus Gentes instruerentur, illi excaecarentur? Judaico quidem populo nihil commune cum gentibus antea fuit. Sed quaenam erat regio, quo suorum ducum fama non pervaserit? num gentibus Abrahami nomen ignotum? ab Josepho saltem Aegyptii, qui eorum fuerat servator, verum Deum vel noscere vel discere potuerunt. Nonne ipse Moses in medio gentium, virtutem potentiamque Dei viventis tot pa-

tratis prodigiis ostentavit? Sed non sine praesentissima Dei providentia factum dixerim, ut Judaei ante Christi adventum per Assyriam, Babyloniam, totamque adeo Asiam, ac deinde per Aegyptum, Graeciam, Italiam dispergerentur. Eo nempe id evenit consilio, ut sive quotidianis sermonibus, sive ex Sacrarum Scripturarum quas ipsi secum deferebant, lectione, gentes toto orbe terrarum effusae notitiam Messiae haurirent, atque ita ad eum expectandum postulandumque se pararent, neque difficile profecto foret, ut Japetidae in Semi tabernaculum ingrederentur. — *Semi.* Locupletissima omnium regio Semo contigit, Asia videlicet, ubi Ophir, Havila, Saba, urbes in illis orientalibus oris positae ob auri vim fuerunt celebratissimae, cumque Asia maxime metallorum fodinis abundat, graeco nomine πλουτος divitiae ipse Semus fuit appellatus. Accedit, quod in Semi familia ac posteritate veri Dei cultus solummodo constitit: mirum ergo non est, si invidiae causa fabularum architecti, a fodinis ansa arrepta, in inferna loca eum detruserint, praefectusque inferis Semus ipse fuerit, Plutonis nomine.

[10] *Bethlehem* — Antehac Isaias: Et tu Bethlehem, terra Juda, non es minima in principibus Juda; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël. Quid hoc vaticinio luculentius? — *Fortunatissima Roma.* Si bene ominata Noachi fuit precatio, ut *Deus dilatet Japhet*, porro nihil urbe Roma gloriosius dici potest, quam ut ea florentissimum fuerit Japetidarum imperium, in eaque, Romano imperio prolapso, Romanus Pontificatus constabiliretur, cui nihil antiquius, quam ut Semi Deus idest Christiana religio per universum terrarum orbem circumferatur, dilatatisque tentoriis omnes populi fraterno connexi foedere consideant.

PETREIDOS

LIBER XI.

ARGUMENTUM

Pauli Oratio multifariam, pro ingeniorum varietate, animos audientium movet — Christiani divinae sapientiae altitudinem, Romani nobilitatem eloquii demirantur, Judaei gentis suae privilegio superbiunt, Philosophi invidia obmutescunt — Lateranus Romanum Pontificem, ut promissa impleat, hortatur, reique christianorum publicae incrementa explanet — Ut lectissimum argumentum pro dignitate tractaret, Seraphicas Isaiae flammas poëta desideraret — Davidis tamen sanctissimi Regis, et vatis praestantissimi auxilium implorat, quippe qui libentissime suis de Messia vaticinationibus re confirmatis adesset — Christianorum pontifex, Japhetum, narrante Paulo, Semi tabernacula introeuntem audiens, mira oblectatione, e terris ablatus in caelestium mysteriorum altitudine versatur, Christi conspectu, alloquioque fruens—Inopina viri mutatione cunctis obstupescentibus, demum ipse sibi redditus, a Dei bonitate exorditur, qui humani generis reditum ad Deum Patrem maturat — Qui reditus ut ipso duce et auspice re vera fiat, effusa precatione obtestatur — Deinde sacrosanctum quod de se Jesus Christus obtulit sacrificium, sequenti oratione explanat— Danielica hebdomadarum vaticinatione perfecta, sceptro Judae per Romanos ablato, per totum orientem valescit expectatio promissi Liberatoris — Neque porro humanae saluti reparandae brutorum animalium sa-

crificia neque homines ipsi sufficiebunt — Deus Filium suum misit, Deum ipsum, qui divinae severitatis tela unus excipiens, divinae satis justitiae faceret, novumque foedus inter Deum et homines sanciret — Mulier fuit ruina; humani generis salus, sicut ipse praedixerat Deus, erit mulier — Jamque supra omnem naturae ordinem Dei filius, una Spiritus sancti virtute, e Virginis utero concipitur — Et Virgo mater fit sine ullo virginitatis detrimento — Tanto principe pacis nascituro, civilia atque externa bella per universum romanum imperium conquiescuat — In solemni omnium provincialium virium recensione ab Augusto facta, Maria (huic ex omnibus hebraeis Virginibus singulare privilegium obtigerat), a Nazareth Galilaeae in Bethlehem Judae cum Josepho sponso venerat — Sed occupata omnia reperiens in suburbiis Bethlemiticis immoratur — In spelunca (neque ei erat locus in diversorio) caelestem Puerum, futurum totius humani generis assertorem et vindicem peperit, cumque fasciolis obvolutum in praesepe deposuit — Bos cognovit possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui — Homines ignorabant, sed caelestis militiae multitudo Deo gloriam, pacem terris nunciat — Angeli claritate Dei circumfulgentes Pastoribus natum puerum indicant — Stella derepente caelis coorta Persarum sapientissimos ad sancta cunabula ducit — Herode rege nequicquam infremente — Octavo a Nativitate die, ex Hebraeorum more in templum Virgo Mater venit ad lustrule sacrificium, utque Puerulum Deo offerret — Quem uti Simeon, senior Sacerdos, manu suscepit, Spiritu Sancto afflatus, *consolationem Israël* agnovit, seque cecinit perlibenter moriturum, postquam Christum Domini natum vidisset — De nato Judaeorum Rege certior factus Herodes in furias agitur — Omniumque infantium a bimatu et infra internecionem imperat — Sed Deo per Angelum Mariam admonente, ipsa cum sponso et puero in Aegyptum secedunt — Unde, tranquillitate orta, Deo ipso admonente, redeunt in Galilaeam, inque Nazareth vico habitant — Pueritiam, atque adolescentiam in fabrili exercitatione Jesus egit pauper et humilis nutritio suo auxilians — Sapientia tamen et virtus cum aetate una crescebant — Simul ac trigesimum annum attigit, ab domesticis latebris egrediens, divino operi perficiendo manum admovet — Interim ipse Joannes orti luminis praemonstrator, salutare poenitentiae baptisma, ad Jordanis ripas, nunciabat — Venit et Jesus, dumque in fluvium ad sacrosanctum descendit lavacrum, Dei Spiritus in columbae speciem ejus capite insedit, voce illum e nube Dei filium nunciante — Divinae legis Evangelium auspicatus, operibus supra vim ordinemque naturae, confirmat — Primum edidit miraculum in Cana Galilaeae, qua nuptiali convivio, deficiente vino, aqua in vinum permutata — Apud lacum Ge-

nesareth populum docet, diuturnis morbis languidos et malignis spiritibus agitatos curat — Tantorum factorum praedicatione longe lateque personante, per omnes Galilaeae urbes, et oppida perambulat, caelestis regni gloriam eloquens — Turbae sequuntur, Synagogae stupent — Afflictorum praecipue illum miseret, et peccata fatentium — Jesus, crescente quotidie populi studio, fugit, ne Rex fieret — Mox divinum resumit ministerium, signis et miraculis doctrinam illustrans— Apud Bethsaida quinque panibus et duobus piscibus millia quinque virorum et mulierum saturantur — Vocat duodecim discipulos, eosque ad praedicandum Evangelium dimittit, super daemoniis, et humanis morbis facta potestate — In Thaboris jugo, caelestis gloriae specimen discipulorum lectissimis ostendit — Lazarum quatriduo defunctum e tumulo ad vitam revocat — Princeps tenebrarum Satanas de ejus divinitate addubitat — Expugnatus in fugam convertitur — Judaeorum proceres et infernae potestates contra Jesum insurgunt — Triumphator Solymam ingreditur — Templique sanctitatem, eversis mensariorum cathedris, asserit — Cum armata cohorte supervenit Judas, et osculo, veluti convenerat, militibus Magistrum prodit — Qui comprehensus ad Caipham, summum Pontificem recta ducitur — Ille autem septuaginta seniorum cogit Concilium, inque Jesum lata, communi consensione, mortis sententia — Utque romani praesidis auctoritate judicium firmaretur, eum veste alba indutum ad Pilatum adducunt, atque majestatis accusant, quod Judaeorum regnum affectaret — Manifestam calumniam videt Pilatus, innocentissimi viri supplicium detrectans — Cumque, paschali solemnitate appetente, reum mortis e carcere dimitti mos esset, in optionem dat populo — Qui principibus Sacerdotum sollicitatus, Barabbam liberari, Christum in crucem agi postulat —Pilatus ter et quater testatus nullam in eo mortis causam inveniri, quo ferina rabies pauxillulum mansuesceret, Jesum flagellis subjicit — Virgis ad extremum sanguinem caeditur — Mox, desaeviente militum truculentia, ad Pilatum reducitur — Qui sic male affectum populo spectaculum proponit, siquo pacto mitesceret — Universi conclamantes, ut crucifigeretur, vociferantur praeterea, si aliter faceret, esse Caesaris inimicum — Pilatus, suae innocentiae ergo, accepta aqua coram populo lavit manus — Et Jesum tradidit — Crux cui erat affigendus, ejus humeris imponitur — Cogitur Simon Cyrenaeus, qui in ferendo onere ei auxiliaretur — Procedit pompa ad Calvariae montem, Judaeis tumultuantibus, Regemque Judaeorum ludibrio irridentibus — Sed turba frequens mulierum, innocentissimum Juvenem miserabatur, et amare flebat — Quibus conversus Jesus mala urbi imminentia vaticinatur — Ad Golgotha perveniunt —

Ubi Jesus vestibus exuitur, et Cruci affigitur — Pro persecutoribus in Cruce Christus Patrem exorat — Matri Joannem loco filii commendat — Christus expirat — Sacrificio perfecto, *justitia et pax osculatae sunt* — Sol lumine deficit, velum templi scinditur, magno terra motu concutitur — Prae dolore admissi facinoris Judaei quamplures redeunt a monte, pectora percutientes — Josephus et Nicodemus sacrosancti corporis sepulturam curant — Jesus veteres patriarchas suum adventum vaticinatos ex inferis educit — Tertio die illucescente, anima corpori redeunte, Christus reviviscit — Sed Messiam istum ex infimo genere, et fortunae gradu natum rejicit Joseph — Et Petrus eloquenti oratione in individua divinae naturae cum humana conjunctione divinae Omnipotentiae gloriam praelucentem ostendit, qua humana divinis, terrena caelestibus, ima summis, pereuntia sempiternis copulantur — Christum Messiam illum, qualem prophetae vaticinati sunt— Demum Crux Christi, scandulum Judaeis, Graecis erat stultitia, sed Christianorum doctrinae omnem terrarum orbem cessurum — Quam doctrinam Demetrio Cynico quaerente, Summus Antistes Christiani juris explanat principia — Naturae nempe et Moysis leges non a Christo deletas, sed omnibus numeris perfectas et ad divinae sanctimoniae exemplar exactas — Humanis animis ingenitam nobilitatem redintegratam — Veram in terris beatitatem hominis explicatam — Domesticae societatis fundamenta jacta conjugio, civilis, vera imperandi definitione proposita — Humanorum bonorum pondus expensum — Perfectae vitae imaginem exhibitam — Peregrinanti in terris homini patriam in caelo manentem futuram—Duobus praeceptis omnem legem comprehensam: *Caritas in Deum, et proximum* — Ut adamussim satis homo suo officio faceret, Sacramentorum ope, Gratiam perpetuam factam — Quid similius in ethnica antiquitate visum?—Quibus legibus exterior vivendi agendique forma immutata — Novis virtutum principiis humanae consociationes instauratae, novaque saeclorum series incepta— Pulcherrimarum rerum eloquio illectus Thraseas Petrum iterum rogat, ut junctis castris Neronem aggrediantur — Petrus, iterum proposita caelestis regni gloria, cui unice incumbunt Christiani, a conspiratione abhorret — Et Laterano imbecillitatem Christianorum aspernante, Petrus Christianae indolis firmitudinem extollit, in periculis pro officio obeundis sive interius contra cupidines, sive exterius contra universas iniquitates—Demum Laterano ipso in tanta animorum dissensione Romam perituram exclamante, Petrus ethnicam Romam pro certo ruituram exclamat, Christianam Romam fore perpetuam — Deoque afflante, vaticinatur Lateranenses illas aedes Pontificum Romanorum sedem futuram.

Talibus orârat facundo maximus ore
Tarsensis; certo procedere saecula fato
Christiadae stupuere, Tibi, Rex maxime, puro
Plaudentes animo, Tibi qui clementior unus
Tantopere ardescis, quo caelo devia caelum
Progenies humana animo renovata requirat.
Hebraei interdum pro relligione loquentem
Suspiciunt patria: neque sera superbia surgit,
Cum praesente Deo, spectant peregrina jacere
Agmina quassa solo: interdum praesagia rerum,
Et clarum vatum eloquium, certamque nepotum
Mansuramque vident sortem, quam providus ipse
Ipse Sator rerum summis moderatur ab astris:
At discent tandem natum non temnere solem?
Nec minus assueti externas contemnere gentes
Romulidae, Hebraeum cunctis ignota ferentem
Suspiciunt, majorque oritur reverentia victae
Jerusalem: manet ipsa acies perculsa sophorum;
Ast acheronteae stipant obtusa tenebrae
Lumina; dissimulantque tamen mussantque silentes.
Interea major cunctis exorta cupido
Christiadûm exhaudire ducem. Lateranus amico

Alloquio hortatur: Neque tu aspernabere porro,
Quandoquidem Heroas Solymc pessumdata tales
Progenuit, quos Roma audit stupefacta loquentes,
Maxime Christiadûm ductor: jam perfice munus,
Sermones sequere inceptos: orientia saecli
Signa novi refer, et qui Christus, quamque futurae
Spem nostrae patriae, et toti praenunciet orbi.

Non ego Pontificem Christi immortalia facta
Narrantem, et populis caelestia jura ferentem
Carminibus memorare queam. Cui tanta potestas
Sufficit ingenii? unde mihi tam fervida vena
Eloquii? Ast Amo natus [1], dum caelica templa
Laetifico insonuere choro, simul agmina mille
Inclyta solvebant summo praeconia Regi,
Pollutos inter populos, pollutus et ipse
Conspexit Seraphim accensis altaribus ignem
Corripere ardentem, maculataque labra potenti
Flamma lustrare, et sanctas aperire loquelas.
Non ego polluta dicam cunctarier ora,
Qua sanctum semen sancta tellure receptum
Alticoma aut quercus veluti, aut terebinthus in auras
Exiluit superas, spatiataque brachia pandit
Ausoniam patulo complectens tegmine gentem.
Et non Isaiae me ausim componere vati;
Et graviora vocant: animo tremefacta camoena
Deficit assurgens tanta ad fastigia rerum.

Eja age de caelo, Rex inclyte et inclyte vates,
Jessiade, ipse fave, atque tui da carminis ignes.
Inter bacchantum violenta tonitrua bellorum,
Aut quae vesana tibi seditione rebellis
Indixit natus, aut quae gens horrida cultu,

Judaeae cunctis obsistere viribus ausa;
Horis ipse statis noctuque diuque canebas,
Caeleste auxilium implorans, aut, hoste fugato,
Concelebrans pulchro sordentes pulvere turmas.
Aerumnosae inter gravia infortunia sortis,
Saepe alacres oculorum acies in saecula sera
Figebas, teque eripiens praesentibus una
Consolabaris venientis imagine saecli,
Humanae concessa canens duo foedera genti [*],
Mittendumque Deum. Major tunc spiritus, atque
Vis intus te major agit: tibi gaudia pectus
Corripiunt inopina: sonus foecundior aurea
Egreditur cithara, et lybico distincta elephanto
Limina dulcifluo concentu emota resultant.
Rex magne, atque idem vatum ter maxime vates,
Seu te Caelicolam caelestia prata morantur,
Floribus aeternis sanctoque fragrantia rore
Ambrosiae circumfuso; sive ignea silva,
Auratae semper quam tegmine frondis amictam
Purior aura movet, jucundior educat aether;
Non tu, credo equidem, priscam adspernare poesim:
Immo triumphali redimitus tempora fronde
Caelestumque choros ducis, sanctoque choragus
Agmine supremi dictas praeconia Regis:
Ipse praeis; superi pleno mox ore sequentes
Inviolata patris celebrant decreta, genusque
Servatum, atque novos volventia saecula cursus.
Eja fave: quondam quae praescius ipse canebas,
Contemplator ades: dictis perfecta diebus
Nunc cano: nonne tibi gratum, Rex maxime, sperem
Argumentum [3] ingens? duce te, teque auspice, pergam.

Rector Christiadûm terrenis hospes ab oris,
Oblitusque hominem summa ad penetralia divûm
Commotam extulerat mentem, divûmque beato
Ore fruebatur, divinique aetheris aura.
Ut Paulum sensit Japheti fata canentem,
Atque propagatam sobolem, et tentoria Semi
Intrantem adspexit, Jesu mirabile nomen
Transtulit aethereos praecordia tacta sub orbes,
Et supero exultat depasci lumine Jesu,
Inque Deo totus defixus mente calescit.
Romulidae videre senem, Hebraeique rubentem
Luce superfusa; taciti mirantur, in unum
Versi omnes, subitusque stupor percussit inertes.
Ut primum summo rediens Petrus aethere, tandem
Redditus ipse sibi, rorantia lumina caelo
Fixa tenens: Nempe, incoepit, Rex maxime caeli,
A te discessit nempe tua jussa refulans
Terrigena: ipse autem antiquo complexus amore
Ultro paras ad te reditum. At virtute mereri [4]
Ipse sua poterit? sancto considere ovili,
Divina praeeunte fide, servare renato
Pectore justitiam, tibi sancto haerescere amore,
Et Christi numquam perfecta abscedere lege
Quî sine te poterit? Sanctae si summa salutis
Est verum cognôsse Deum, missumque superna
Sede Redemptorem [5], si jam mirabile Verbum
Exhilarat terras, quo pleno Gratia fonte
Exundans totum terrarum proluat orbem,
Brachia, quae nullo effundit Clementia fine,
Caecigenum supra, Pater, exere brachia mundum.
Dum tua per terras functurus munera, primum

Romana loquor e cathedra; simul audiat orbis
Orantem hesperius, simul audiat orbis eous
Doctrinam ingentem, et Romae gratetur ovanti.
Aeterno permagna Deo sit gloria Patri,
Sit Christo Jesu aeterno par gloria Nato,
Et pax, o proceres, et caeli gratia vobis.
Tempora plena volubilibus Sol duxerat annis,
Tempora quae arcano cecinerunt carmine vates
Isacidae, dilecta Deo quae natio magnis
Excierat precibus, votoque optârat inani.
Hebdomades praesignatae fluxere: superbus
Judaeae stirpi sceptrum Romanus ademit,
Ipsaque Jerusalem peregrino subdita sceptro
Amissum gemit imperium, excidiumque sacrorum.
Nuncia vox volitat cunctas orientis in oras
Venturum Regem judaeae ab origine gentis,
Qui terras omnes vasta ditione teneret.
Quisnam indignatum primaevo crimine posset
Conciliare Deum? Pietas operosa parentum
Centum lanigeras mactabat rite bidentes,
Et cumulans sacris oneratas lancibus aras,
Viscera certabat subjectis urere flammis.
Sed mutae pecudes, et egena elementa [6] valerent
Par offerre homini sacrum pro numine laeso?
Praeterea primi genitali semine patris
Progenies humana, velut radice priori
Corrupta, generis stirpem vitiaverat omnem,
Damnatam innumeros vitae tolerare labores.
Ergo per terras omnes, discrimine magno,
Terrigenae caelis aberant, solioque micanti
Non illi audebant dejectam attollere frontem.

Quis nostro generi per turpia cuncta ruenti
Subveniat? cuinam partes scelus omne piandi?
Conciliare Deum poterat Deus: ipse paterno
E solio Natus terras descendit in imas,
Et sibi mortalis superaddit corporis artus 7.
Una fuit mulier quondam deterrima tanti
Causa mali: terras mulier solabitur una 8.
Digna polo regnare, sacroque effulgere divûm
Concilio; quam virginibus ex omnibus unam
Elegit Deus, ut magnum mirabile verbum
Ederet, arcano celebrans connubia partu.

Cernitis aethereum stellata in veste ministrum.
Aërios tractus et inania lata secantem?
Ille ferens caelo summi mandata Parentis
Deproperat riguas sacri Jordanis ad undas,
Qua miseris degit tectis et paupere cultu,
Regali quamvis veniens ab stirpe virago.
Limine tectorum, et mediis penetralibus Ipsa
Vidit ubi ignotum juvenem, totumque micanti
Luce coruscantem, casto suffusa pudore
Lumina fixit humi, summi mandata Parentis
Audiit attonita, et totos expalluit artus;
(Namque fuit constans et ineluctabile votum
Virginitas). Olli caelestis Nuntius addit:
Ipse Pater tibi me claro demittit ab axe;
Ne paveas, Virgo: sanctae custodia famae
Sponsus erit Senior; nusquam sacrata resolves
Jura pudicitiae; foecundam Spiritus alvum 9
Numine obumbrabit magno; quid plura moraris?
Virgo manes, et mater eris. Sic nubila cuncta
Diffugere, redit menti pax laeta serenae:

Annuit; aërios non dum tranaverat orbes
Aliger, aethereis descendit Flamen ab astris,
Divinum Flamen, Natique et mutuus ardor
Patris inaudito complevit viscera motu;
Illaque virgineum miratur crescere ventrem
Paullatim, et dio matris praegestit honore.
Ecce autem placida compostus pace [10] quiescit
Mundus, et adventum pueri nascentis adorans
Suppliciter silet. Indomitus terraque marique
Bellorum furor assuetus cursare quietos
Per populos, positis fessus super assidet armis.
Pax ipsa horrendo stridentes cardine portas
Jani indignantis clausit: silet obsequiosa
Prodigium mirata novum Natura, Deumque
Expectat trepidans caeli terraeque parentem.
Orbe triumphato, victor pacisque potitus
Augustus, rerum dominus, cognoscere quaerens
Imperii vires [11], populos undeunde vocabat
In magnas properare urbes, jussumque tributum
Pensare, et patriam, et natos, gazamque referre.
Nec minus Isacidum regum Jessaea Virago
Progenies, dicto parens, cum conjuge lecto
Antiquam properant Bethlem, quae patria gentis,
Qua claris quondam regnata parentibus arva,
Et proavi longo memorati ex ordine Reges [12].
Huc populis quacumque omnis Galilaea vocatis
Venerat, oppletaeque domus, oppletaque passim
Atria, perque vias, nudoque sub aetheris axe
Procubuere ingens numerus matrumqne virûmque.
Mirer? an indigner? Plena nullum extat in urbe
Hospitium, quo Virgo queat requiescere, Numen

Caelitibus Virgo et terris paritura verendum.
Atque olli interea maturo tempore felix
Venerat hora, aderant partus jam signa futuri.
Est specus haud ingens parvae sub moenibus urbis
Bethlaeae: pluviis saevit, nivibusque December
Horridus, et crebra contristat grandine terras.
Quando nîl melius superest, spelaea ferrarum
Immunda ingreditur senior cum conjuge sancta;
Stramineoque toro se composuere, diurnis
Defessi curis, et longo errore viarum.
Nox cursu stabat medio, cum exercitus ingens
Aligerae mentes caelo advenere sereno,
Et coetu cinxere specum, cantusque dedere.
Oh! noctem superis laetam, et mortalibus aegris!
Adspectu major, maiori lumine fulgens
Stat Virgo Jessaea, suo nîl corde caducum,
Nîl mortale putans, cum clausa protinus alvo
Divinum, mirante polo, mirantibus astris,
Edit onus. Lacero ut potuit velamine Mater
Candida divini componit membra puelli.
Mira fides! deflexa modis animalia miris
Immensum caeli regem novere jacentem,
Atque imploranti similis procumbit humi bos.
Bos asinusque fovent flatu: male commoda sedes,
Exesae cautes caeli terraeque Satorem
Excepere: jacet stipula suffultus agresti,
Aurea qui posuit stellantis limina caeli.
Si propius tamen inspectas incognita vulgo,
Naturae Dominus dum nascitur, omnia jura
Naturae siluere [13]. Viro sine concipit, expers
Virgo dolore parit; virgo fuit integra partum

Ante, manet virgo partu immaculata, manetque
Virgo post partum. Sic virginitatis honores
Assequitur primos, et virgo vocabitur ingens
Coelicolûm Regina, ingens mortalibus aegris
Praesidium, et tuti statio certissima portus.
Vix puer exortus silvestri vagiit antro,
Lumine purpureo montani saxa recessus
Emicuere: supra caeli in regione serena
Auricomo obscuram perrumpens sidere noctem
Conscia divini partus demonstrat eunti
Stella viam. Astrorum aërios describere cursus
Assueti proceres vicinae Persidos [14] ora
Insolitam agnovere facem, stellamque comantem
Divinae indicium sobolis: mora nulla: citato
Festinant cursu, stella praeeunte, feruntque
Munera, thus, aurum et myrrham, Regique Deoque,
Qui misero accumbit foeno in praesepibus altis,
Et fassi Numen prostrato corpore adorant.
Nec minor et silvas et cetera rura voluptas
Occupat. Aetherea centum de sede cohortes
Adsunt aligerae [15], et sublustri noctis in umbra
Pastores ovium sanctum succedere ad antrum
Hortantur. Campos linquunt, operumque labores
Agricolae; pueri mixtim innuptaeque puellae,
Purpureos texunt in serta nitentia flores,
Quos Natura tulit medio obsequiosa Decembri,
Atque introgressi, silvestria carmina dicunt,
Jessaeam matrem puerumque Deumque canentes,
Et flexis genibus natum venerantur et orant.
Octavo Regina die pulcherrima tendit [16]
Ad templum, Regi grates persolvere summo.

At tu, sancte senex, qui longa in veste sacerdos
Oblatum puerum divinas sistis ad aras,
Quid renuis vires ultra finemque senectae
Vivere? Jamque oculos optata in morte resigno,
Exclamas; mihi jam requiem, Rex magne, laborum
Jam concede modum, mea quod videre puellum
Lumina, quem vates longum cecinere per aevum
Venturum auxilio Judae, volventibus annis,
Quemque novum stupeant Gentes lucescere solem.
Tum vero Matri convertens lumina: Mater!
Infelix Mater, quaenam spectacula cerno!
Ah! tibi, cum nati funus crudele videbis,
Horrida quae ferient maternum vulnera pectus!
Mî sat erit natam terris vidisse salutem.
Parte alia trepidat vana formidine regni
Impius Herodes [17]: odium crudele tyranni
Omnia tuta timens Judaeae quaerere Regem
Progenitum novit submota orientis ab ora
Magnanimos proceres; novit, timuitque ruenti
Imperio, atque sibi. Demens! quis crederet? omnes
Imperat infantes ferro jugulare nefando.
At tu, dum matres scelerata abscedere terra
Anquirunt, latebrisque suos abscondere natos,
Hostiles fugito insidias, Jessaea Virago,
Tutosque Aegypti [18] hospitio scrutare recessus.
Mox ubi defuncto requievit saeva tyranno
Barbaries, Joseph manifesta luce videndus
Angelus in somnis monuit aegyptia regna
Deserere, et patriis iterum succedere terris.
Ipse Galilaeam petiit, puer unde recepit
Nomen, Nazaridam communi voce vocârunt.

Bissenos Jesus nondum compleverat annos,
Eque Galilaea festo de more parentes
Venerunt Solymas; lateri sese implicat illis
Jesus, atque simul magni fastigia templi
Ascendunt paschale Deo persolvere votum.
Magnam inter turbam, confuso errore viarum
Amittunt puerum. Somni sine munere noctes,
Tresque errant luces Solymae per compita, natum
Quaerentes, varioque domos clamore replentes.
Illum autem, templo in magno, inspectante Senatu,
Insueto eloquio patriae immortalis honores
Disserere, et causas penitus tentare latentes
Curia miratur. Manifesto numine ferri [19]
Conclamant puerum, natamque ad grandia mentem
Suspiciunt iterum atque iterum. Num sanguine vatum
Magnorum nulli veterum virtute secundus
Descendit? Deus [20] an summo venit aetheris axe
Antiquas lapsi generis reparare ruinas?
Ex illo tantas miserae spes promovet urbi!
Jamque Deum atque homines inter, pro foedere certo
Stans medius, Deus ut, caelum assurgebat in altum;
Utque homo, et humanae coopertus pondere vestis
Ceu minimus fratrum, aut quaedam servilis imago,
Nazareo ignotus vico, sine honore, fabrique
Subditus imperio tectis vivebat egenis:
Apparat in tenebris mundo vulgare ruenti
Virtutem ignotam. Sensim crescentibus annis [21],
Humanos supra sensus sapientia crescit,
Donec, perfecti revoluto temporis orbe.
Prodiit in conspectum hominum, coepitque docere [22]
Et facere: ad majora vocat trigesimus annus,

Et virtus perfecta viri, et prudentia rerum.
Ecce autem peragrat judaea per oppida magnus
Joannes, sanctam missus praecurrere [23] lucem.
Illum longaeva dudum infoecunda senecta
Helisabe peperit: sed ubi spectata juventa
Annis puberibus viguit, matremque domumque
Deseruit, dignam saecli volventis honore
Exercens animam. Deserta per avia tectum
Speluncae horrentes, victum cultu aspera nullo
Terra dabat, truncisque cavis stillantia mella,
Dulciaque illimes praebebant pocula fontes:
Vestis erat simplex hirsutis horrida setis.
Ille autem majore Dei jam numine plenus,
Tempora fausta canens, riguas Jordanis ad undas
Venerat, et populos vitae melioris amore
Alliciens: Properate pii, clamabat; amaris
Emendate scelus lacrymis, et flumine sordes
Abluite impuras: post me praestantior alter
Adveniet, cui sancta pedum nec solvere vincla
Dignus ego: ille homines sacro spiramine, et igni [24]
Eluet. Interea ad ripas effusa ruebat
Turba, sacras poscens lymphas auramque salubrem.
Fervere discipulos florenti marginae ripae
Adspectat gaudens Jesus, fluvioque propinquat
Ipse etiam, et sanctum quaerit descendere in amnem.
Baptista attonitus praesenti numine (novit
Servatorem hominum, et Verbum mirabile): Tune,
Inquit, Tune meis manibus lustraberis, omnis
Justitiae incorrupta fides, nostraeque salutis
Principium? Sacra tu me Baptismatis unda
Lustrato. Jesus roseo sic farier ore:

Eja age ne dubita fluvio mersare salubri
Me quoque: justitiae sanctus sic postulat ordo.
Dixit, et antetulit gressum, vestesque beatae
Lambere gestibant lymphae: candentibus heros
Deproperat largos humeris effundere rores.
Recluso interea caelo Spirabile numen
Labitur, et subito pennis commota columba
Devolat, et supra caput adstitit. Ecce per auras
Auditae voces (dictis compellat amicis
Omnipotens Natum Pater): *Eja audite loquentem,*
O populi, meus hic Natus [5], *mea sola voluptas.*

Non ego festino memorârim carmine cuncta,
Quae linquens primae taciturna silentia vitae
Et summi documenta parans vulgare parentis
Admiranda dedit magnarum exordia rerum.
Ille suam comitans matrem ad connubia laeta
Venerat: hic alii consanguinitate propinqui
Multi aderant, jussique toris discumbere lectis.
Ecce inter mensas et laevia pocula vina
Deficiunt: murmur cognata per agmina serpit,
Turbaturque domus. Supplex in rebus egenis
Accessit divina parens, natumque potentem
Admonuit moestae domui succurrere. Jesus
Ferre jubet riguas fontano e flumine lymphas,
Et jussi mandata ferunt. Cito vertitur unda [6]
In laetos vini latices. Mirabile factum
Notescit, juvenisque patet caelestis origo.

Felix Genesareth [7]! tua propter stagna salutis
Vox primum sonuit; mox nuncia laeta propagans
Ingreditur Galilaeam oram, loquiturque sacratis
Conciliis, populosque movet virtute potenti.

Totam fama replet Syriam, turbaeque sequuntur,
Pars doctrinam audire novam, caeloque salutem
Dimissam: pars lethali languore gravata
Corpora convectant: ex ipso mirus et ingens
Exibat vigor, atque animas et corpora servans.
Tum vero tellus Zabulon, dilectaque tellus
Nephthalidûm, gentesque mari exiluere propinquae;
Obscoena mortis jampridem nocte sedentes
Injectam terris altam discedere noctem
Continuo videre, et laetam surgere lucem,
Surgentemque diem pleno illucescere sole.
Per medias urbes graditur, campisque juventus
Effusa attonitis animis comitatur euntem.
Actaque prodigiis passim caelestibus omnis
Aetas deproperat per agros, per aperta viarum,
Incessuque ipso atque ipso Deus ore patescit.
Quantumvis simplex vario subtegmine vestis
Ima videretur sanctis illudere talis,
At facies, raro quo majestatis honore
Splendescit facies! caelestia lumina vincunt,
Aetheria matutinum qui surgit ab ora
Lucifer: ambrosio divina in vertice inerrat
Caesaries. Rarae si membra decora juventae
Adspectas, nusquam per terras pulchrior alter,
Par fuit, adsimilisque: Deus, Deus ipse: per urbes
Illum incedentem et dio sermone loquentem
Matres atque viri spectant, tangique videntur
Invidia et clamant: Fortunatissima Mater [*8],
Quae tantum meruit Natum gestare pudicis
Visceribus! passim divini signa decoris
Ardentesque notant oculos: qui spiritus olli;

Qui vultus, vocisque sonus; qui gressus cunti.
Nec vidisse semel satis, ardescuntque tuendo.
Saepe Heros sese turbae subtraxit ovanti,
Dum studio ingenti solymaea ad sceptra vocabant,
Polliciti trabeam, sceptrumque, sacramque tiaram.
Ipse autem populos dulci sermone monebat,
Non ideo caelo missum, ut fraenare superbo
Debeat imperio terras aut subdere bellis.
Laeta ministeria, et felicia munia pacis
E caelo commissa sibi, caliginis umbras
Pellere tartareas, sacrarum abscondita rerum
Pandere, terrigenas reserato inducere caelo.
Illum praecipue miserorum cura tenebat.
Quae mala per terras primaevo crimine oborta,
Usque adeo tetigere Deum! minuitque fugatque.
Hic jampridem elephas [29] putres grassatus in artus
Ulcera sanguineo abstergit manantia tabo;
Hic muti vinctas per crebra silentia linguas
Abrumpunt; caeci patefacto lumine gaudent
Cernere tunc primum surgentem lampada solis.
Quo ruis, o mulier? populi conferta penetras
Agmina praetrepidans: Mihi si contingere vestis
Oram contigerit, bissenos passa per annos
Virtute ingenti rapidum requièsse cruorem
Adspiciam: neque res porro tua dicta refellit,
Optatamque fides tulit indubitata salutem.
Et tu qui longo languescis tempore propter
Stagnum Bethsaidae, nervisque rigentia membra
Impediunt primum motas descendere in undas,
Adventante Deo, consurge; resumere vires
Ipse dabit, firmo ipse dabit procedere gressu.

Nec justos vocat ipse; vocat peccata fatentes:
Tempus adest, populi: divini gloria regni
Incoepit: veniam factis exposcite vestris.
Caelestes ego monstro vias, jam credite voci
Veridicae, atque immortalis capite omina vitae.
Talia dicebat, pandens pia brachia, et omnes
Excipiens quovis maculatos crimine sontes.
Foemella imprudens, et magna e gente Senator
Illum assectatur, nullo discrimine rerum.
Et qui thesauris cupidi incubuere coactis,
Immiserabiliter qui vectigalia sueti
Exigere, et mensis aurum cumulare paratis,
Cuique suum reddunt, reliquo solantur egenos.
Tuque Deum orabas veniam, genibusque voluta
Magdala, lustrabasque pedes, lacrymisque fovebas,
Quae nuper forma insignis cultuque puella
Errabas circum, vetitis male conscia flammis.
Ut coram ipsa venis, ut diae frontis honores
Conspicis, aetherea veluti transfixa sagitta,
Longe alias agitas mutato pectore flammas
Gaudens, jamque alius terris tibi partus amator.
Quem latuere doli, et veteres Samaritidos irae
Contra Judaeos? omnis commercia gentis
Excisa, infensisque odiis odere profanos.
Ipse autem antiquis sichareae moenibus urbis
Ad fontem Jacob venientem forte puellam
Spectans imploravit aquam: monitamque fatentemque
Admissa in lucem diuturna e nocte vocabat.

Quid loquar, ut diae praesens virtutis imago
Betsaida arenti nova det spectacula rerum?
Inclyta vulgantem summi mandata parentis

Audierant populi, noctemque diemque secuti
Immemores: Ollis nec sommi cura cibique.
Tum Deus aspectans turbas per concava vallis
Defessas, tellure omnem decumbere jussit.
At Socii dixere olli: Jam praeterit hora,
Et deserta loca. Ad patrios remeare penates
Da bonus, ut solitis procurent corpora mensis.
Quî dulces potius non hic adponimus escas?
Dixit: quinque aderant panes, piscesque reperti
Vix duo: Ferre jubet Jesus, foenoque jacere
Coetum exultantem. Tum caelo lumina vertit,
Orans multa Deum, beneque omnia dicit, et offert
Discipulis. Mirum! cerealia dona frequenti
Augescunt numero, laetis saturantur in herbis
Millia quinque virûm et matrum; superantia panis
Fragmina collecta in septem aggessere canistris [30].

Ingens dum comitum numerus juvenesque senesque
Sponte sequebantur, rerum quos fama trahebat,
Bissenos socios coetu sejunxit ab omni,
In partemque operis magni comitesque vocavit.
Quos ubi fidentes animis, jussisque paratos
Vidit, caelesti ditans virtute patescens
Misit in imperium, et terras concredidit omnes:
Ite [31]; citis totum peragrantes passibus orbem
Dicite: caelestis regni jam optata propinquat
Gloria; curate infirmos, clausosque sepulcris
Ad vitam revocate; feros avertite morbos,
Daemonas ejicite; at nullo quaesita labore
Munera, si quis eget, pretio concedite nullo.
In quamcumque domum intretis, salvere jubentes,
Dicite: pax domui; et laetis pax aurea pennis

Adveniet. Sin magna Dei mandata ferentes
Moenibus ejicient, sordentes pulvere vestes
Excutite, inque alias vosmet convertite gentes.
Me propter, nomenque meum scelerata manebunt
Supplicia. At vos sive vocant fora, sive tribunal,
Adstate impavidi: vobis sanctum ipse ministro
Eloquium: vobis caelestis Spiritus adstat.
Jamque iterum atque iterum caelo monstrabat aperto
Omnipotens Natum: Thaboris sed vertice summo
(Ipse aderam lateri, et Joannes, frater et olli
Jacobus) subito humanas mutare figuras
Aspicimus; veluti primo sol lucidus ortu
Emicuit, facies olli vestisque reluxit
Candidior nive: tum Moyses, et turbine quondam
Ignifero raptus caeli per inania vates
Thesbites vario sese sermone levabant
Cum Christo: miratus ego, et mirantibus addo:
Christe pater, potior statio fuat altera nobis?
Hic tria constitui jubeas tentoria, tresque
Estis enim numero: media inter talia verba
Omnipotens Genitor circumfusa omnia nube
Involvit, mediaque dedit de nube loquelas:
Haec mea progenies; vos illum audite loquentem [31].
In terram ruimus, virtus labefacta reliquit.
Attamen ipse Deum manifesto in lumine vidi,
Sermonemque Patris vocemque his auribus hausi.
Namquid ego memorem, ut stupefacta Bethania vidit
Ante Deum victam sua jura relinquere mortem?
Exanimes natos revocari ad lumina vitae
Regulus [32], et vidit judaea primus in aula.
Judaeam sed fama recens facti excutit omnem.

Extinctum fratrem immaturo funere flebant
Magdalis et Martha, insignes pietate sorores,
Jamdudum Christi comites, qui excitus amaro
Rumore ipse etiam palmosam tendit ad urbem.
Ut videre illum, ut misero velamine tectae
Occurrunt, gemitus inter sic Martha locuta est:
Ah! sero, Rex magne, venis! Si hic forte fuisses,
Lazarus aethereas nobiscum duceret auras.
Haec illa, atque genas largo simul imbre rigabant.
At Jesus casu insontis perculsus amici
Ubertim flevit: mortalis permovet illum
Conditio, et lacrymae rerum [34]. Jam quarta rubebat
Orta dies, ex quo tristi sublata feretro
Corpora funereo moesti posuere sepulchro,
Atque volente Deo, longi loca conscia luctus
Moesta phalanx repetunt: trepidis urbs sedibus omnis
Excita concurrit: strepit omnis murmure vallis.
Ventum erat ad tumulum: tenuere silentia cuncti
Spemque metumque inter dubii, lateriquc sorores
Astabant: saxum extemplo devolvitur ingens,
Illius imperio, patuitque immane sepulcrum.
Constitit hic Jesus, duplicesque ad sidera palmas
Sustulit, intentusque parentem in vota vocavit.
Orantem observant taciti: ter pectore anhelo
Infremuit: terque attonito color ore recessit.
Et mox: Solemnes tibi solvere gestio grates,
O Pater, orantis Nati quod vota secundas.
Carius istud erit mihi nunc, quod gloria crescet
Magna tibi, magno in populo, meque aethere ab alto
Dimissum agnoscent caelestes pandere postes.
Haec ille; et magna conclamans voce sepultum,

Lazare, surge, inquit. Deformia lina cadaver
Deserit extemplo, et turba inspectante, resurgit
Lazarus, et nota *Jesum* jam voce salutat:
Jesum omnis turba assonuit, commotaque vallis.
  Talia spectabat Satanas, qui totius orbis
Regnator mala cuncta suo versare veneno
Assuêrat: videt ipse adeo miracula rerum,
Nec semel audaces dextram sensere potentem
Taenarii comites. Quae nuper vecta per oras
Judaeas impune acies cocytia mentes
Torquebat, jussa horrescit caelestia: nec jam
Praesentem sufferre valent, possessaque linquunt
Corpora: quin etiam praedae dominata profanae
Jampridem legio, confestim immunda subibat
Terga suum, jubet ipse Deus, furiisque subactus
Setiger obscoenas se grex projecit in undas [35].
Praeterea Omnipotensque mina, indictique recursat
Supplicii timor, et quondam exoritura puella,
Quae cunctas fugiens fraudes, capita alta colubri
Protereret stygii. Haec memorat veterator, et altae
Signa potestatis cernens, et cedere victos
Hac illac socios, telisque errare remissis;
Addubitat, Deus ille fuat promissus, at artus
Conspicit humanos, mentemque hanc exuit omnem.
Multa putat tamen, et partes conversus in omnes
Saepius, et Jesum vano tentamine adortus,
Constituit demum praecelsi culmine montis,
Unde omnis patuit tellus, maria omnia, et orbis
Immensa imperii, et graviori voce superbus:
Haec, inquit, tibi cuncta dabo; me poplite flexo
Pronus adorabis? Quem Jesus rejicit ardens:

Vade retro Satana; scriptum est: Dominumque Deumque
Solum devenerare, nec altera numina habeto.
Victus abit Satanas, subitoque e sede superna [36]
Aligerae adstabant acies, omnique coronant
Obsequio: vivis radiat fulgoribus aura
Exultans, silvamque replet Sol aureus omnem.
Atque equidem memini et nimium meminisse juvabit,
Cum laeta insignis facie, et splendore juventae,
Ipse triumphator Solymaeam intravit in urbem.
Rex pacis tergo lente incedentis aselli
It nixus; cuncti sequimur. Velut agmine facto,
Ante urbem impubes pueri, mixtaeque puellae
Sacra canunt, palmasque ferunt oleasque comantes:
Arte laboratae vestes, aulaeaque picta
Strata jacent passim. Mediis in millibus Ipse
Ingreditur, laeti magno clamore salutant:
Salve, Rex regum: David salve inclyta proles [37].
Laude nova crescat, Domini qui in nomine venit.
Urbs imis commota ruit de sedibus; omnes
Quod genus, unde domo, quaerunt; simul excita turba
Agglomerat sese lateri, et comitantur ovantem.
Is recta magnum ad templum procedit: ubi ingens
Adspiciens limen vulgari fervere coetu,
Perque pios aditus venalia multa jacere,
Neglectis sacris; subitas exarsit in iras,
Vendentesque, abigit verbisque reprendit acerbis:
Haec Patris domus est, patet haec orantibus unis:
Vos caveam efficitis latronum et lustra ferarum.
Interea caecos claudosque, ferisque gravatos
Morbis ante pedes olli statuere: sacrata
Ille manu gaudens nunc hos, nunc contigit illos,

Incolumesque domum jussit discedere. Turbae
Obstupuere; Deum manifesto numine cernunt.
Hactenus audistis, quanto amplectuntur amore
Jesum commotae gentes, queis maxima morum
Simplicitas, verumque, ignota fraude, sequuntur.
Quid sacri faciunt proceres, legumque statores,
Atque magistratus? Stimulis agitantur amaris
Obliquae invidiae, voces jactantque malignas [38]:
Vilibus e stratis pater ad fabrilia surgit
Munera, Mater inops humili tolerare minerva
Vix quaerit vitam: ipse potens popularibus auris
Alta petit; studia, et mores et foedera jungens
In triviis audet se regem dicere, regem
Posci de caelo, regnique insignia nostri
Accipere, et primos Solymis attollere fasces.
Quin etiam Judae veteres evertere ritus
Aggreditur, pavidas vulgans nova sacra per urbes
Doctrinasque novas; nec jam rationis egentem
Evaluere illum nostri mutare magistri,
Nec nos obniti contra, aut certare valemus.
Talia jactabant, quae non latuere potentem
Servatorem hominum, patiens sed cuncta ferebat.
Si genus humanum tanto dilexit amore,
Antistabat amor patriae, Solymamque rebellem
Vidit, et ingemuit. Summi olim culmine montis
Orabat Patrem, atque omnis subjecta videri
Jerusalem poterat, caeloque educta Sionis
Moenia, et assurgens turrito vertice templum;
Constitit illacrymans. Jessaeo e sanguine cretus
Judaeam, veterum magna incunabula vatum,
Ingratam obtusos oculos modo claudere nato

Messiae, contraque videt surrexe paratam.
Quod scelus aeternus Judex non passus inultum
Auferet a Semo servandae lucis honores.
Occiduo candelabrum ingens transferet orbe,
Japheti genus in medium, dextraque tenebit
Imperio renovata sacro pulcherrima Roma,
Terrarum cunctas illud latura per oras.
Occurrere animo, quot foeda e gente reposcet
Vindex Omnipotens poenas, tactusque dolore:
O Solyme, o Solyme [39], in nostrum malegrata periclum
Conjuras? odiumne paras, mortemque nefastam?
Infelix! quoties natos compellere in unum
Ipse tuos volui, ceu, sparsa examina, foetus
Implumes persaepe vocat cristata volucris?
Irrita cuncta videt, patriaque illusus iniqua
Orat pro patria, mentisque excusat egena
Consilia, et justam praevertit Judicis iram.

Expectata dies aderat, quam semper honore
Concelebrare novo, pietas gratissima Patrum
Jusserat Isacidûm: manet alta mente repostum
Ingens prodigium, cum aegyptia regna, ferumque
Diffugere ducem: subitae praeruptus aquae mons
Terram inter fluctus aperit, ripaque propinqua
Isacidae incolumes hostem super aequora nantem
Conspexere. Diem sacrum redeuntibus annis
Postgeniti coluere: juvat memorare triumphum,
Solemnesque inter mensas, laticemque lyaeum
Agno lactenti dapibusque epulantur opimis.
Sacratam sine honore diem decurrere Jesus
Non patitur, comitesque suos, quo tendere pergant,
Queis dapibus mensas onerent, quae pocula ponant

Edocuit: jussi peragunt mandata: paratis
Jerusalem ingressi celebrant convivia tectis.
Postquam exempta fames epulis, prior ipse Sacerdos
Instituit nova sacra, quibus magna hostia Patri
Ultro offerretur. Surgit, vestemque reponit,
Et pronus pura socios circumtulit unda,
Lustravitque pedes, linoque abstergere coepit.
Ipse Deum ut vidi, deflexo poplite, circum
Foeda ministeria implentem, mihi jamque propinquum:
Ecquid agis, Domine? exclamo: quid versa repente
Omnia? Tune lavis [40]? tali haud me dignor honore
Terrea progenies. Opera interrupta resumens:
Ne quaeso, renuas, inquit , parere jubenti.
Nunc, quid agam, nescis; aetas ventura docebit.
Sic fatus lavit ipse pedes mihi, basia libans.
Fecerat haec: magno exultans exarsit amore:
Suspexit caelum, Patremque in vota vocavit.
Dona laboratae cereris, vinoque liquente
Undantem pateram manibus suscepit utrisque.
Mox ait: Hunc, comites, morem servate sacrorum;
Hac casti maneant in Relligione nepotes.
Unus erit vestrum, qui caeca mente revolvit
Consilium, vendetque furenti proditor hosti,
Quem per cuncta sequi juraverat ante, Magistrum.
Innuerat Judam. Nova dum vesania Patrum
Primores agit ancipites, templique ministros,
Versaturque oculis urbem ingredientis imago
Laeta Dei, et populi festo clamore canentis,
Iscarius stygiae pesti devotus Ïudas,
Qui sese socium, patriaque opibusque relictis,
Addiderat, sanctae vitae durique laboris

Pertaesus, cupiensque sacra se exolvere lege,
Pontifices adiit magna mercede paciscens
Prodere voce sua Christum atque opponere morti.
Quae dudum cupiere Patres, oblata capessunt
Laetitia ingenti, et magnum promittitur aurum,
Si modo promissis maneat, prodatque Magistrum.

Nunc vero incipiet series moestissima rerum.
Parcite, Romulidae, fletu si saepe rubescunt
Lumina nostra pio. Quis enim, quis talia fando
Temperet a lacrymis? rerumque miserrima vidi
His oculis: generis casus miseratus iniquos
Divinum ultori obtulerat caput ipse Parenti,
Terrigenae ingrati funesto in robore figunt.
Tantae molis erat nostram reparare salutem!
Vae tibi, vae, Satana: tibi non innotuit ipsum
De caelo advenisse Deum, quo, pace sequestra,
Tartareis monstrum premeret fatale catenis,
Et quae sidereum indignata refugit in orbem
Justitia, ablutas peteret pulcherrima terras.
Mors illi dabitur [41], sed morte repensa resurget
Prima salus homini, immortalis gloria vitae.

Nox erat, et Jesus suspensos numine multo
Discipulos secum praeter vada fervida Cedron
Detulit: ambigui gradimur per opaca locorum.
Nos penitus cedro antiqua convalle virenti
Sistimus: Is moesto dejectus lumina vultu,
Jamque intra teli jactum progressus, utrasque
Suppliciter palmas tendens ad sidera, Patrem
Orabat: Nati, Genitor, miserere precantis;
Si quis adhuc precibus restat locus, orsa reflecte.
Sic ille, et trepido secum dum corde volutat

Horrendas scelerum facies, et nomina poenae,
Sanguineus toto manabat corpore sudor.
Interea summo descendit ab aethere, caeli
Nuncius, et Patris referens mandata per auras [4a]:
Adspice, ait: nutans convexo pondere mundus
Corruit in praeceps: sceleri devota vorago
Pestiferas aperit fauces, foedaque rapina
Humanum omne genus fundo provolvit in imo.
Magnanimi Heroes, quos vita dulcis alebat
Cura tui, qui venturum cecinere sub auras,
Illustres animae, tenebris et carcere caeco
Expectant, supera ut tandem convexa revisant.
Festina vacui complere sedilia caeli.
Pacem caelicolae, pacem te poscimus omnes:
Te pacis medium, qui unus justissimus, offer:
Quid taedet magni incoepti? Deus omnia nôsti;
Aude, atque adversum fidens fer pectus in hostem.
Dixit, et in caelum paribus se sustulit alis.
His dictis curae emotae, pulsusque parumper
Corde dolor tristis: caelo dein talia fatur.
Si tantum nostro pretium stat sanguine, gentis
Si fata humanae nostro reparanda cruore,
En tua progenies: vitae mortalis amorem
Projiciam, Genitor; fiat tua magna voluntas.
Consonat interea omne nemus, magnoque tumultu
Turba supervenit: torre hic armatus obusto,
Stipitis hic crebris nodis: lucet via longe
Flammarum facibus, late aera micantia lucent.
Hortator scelerum mensaeque assuetus herili
Judas ipse praeit: sequitur tum caetera pubes;
Utque, dato signo, possent retinere Magistrum,

Oscula libavit. Tum circumfusa repente
Turba viro gladiis, telisque minacibus instant,
Injiciuntque manus, et stupea vincula collo
Intendunt: diversa metu per culmina passim
Diffugiunt socii; pedibus timor addidit alas.
Jamque Sacerdotes omnes, solemne vocabat
Concilium Caiphas media testudine templi.
Turba furens juvenem manibus post terga revinctis
Conventus trahit in medios, primusque Sacerdos
Multa rogat, multa exaudit: dum personat aula
Dissensu vario: Mihi tandem edissere vera,
Inquit: Tune Deus, magnum et ventura sub axem
Cara Dei soboles, magnum Patris incrementum [43]?
Pro re pauca refert Jesus: neque vera negavit,
Quae dixit cumque, et populos vulgavit in omnes:
Ille ego, qui quondam caeli e regione serena
Descendam, dextraque Dei, et comitante senatu
Judicium ponam populis quacumque vocatis.
Haec ille, et Caiphas sacros discindit amictus:
Quid petimus testes, inquit? audivimus ipsi
Dira per incautum quae miscet dogmata vulgus.
Et dubitamus adhuc tristi suspendere ligno?
Romula dictabat galilaeas jura per oras
Pilatus, summoque ferens in honore secures
Ipse gubernator magna consederat urbe.
Ecce autem spectans properam ad praetoria turbam
Horrida clamantem concursu accedere magno,
Vestibulum ante ipsum (nam relligione parentum [44]
Nulli fas agere, et metuendum insistere limen
Illos forte dies), magna comitante caterva,
Progreditur, magnamque jubet requiescere turbam;

Qui captus, quaerens, quae admissa piacula culpae,
Quae caussa irarum. Magno commota tumultu
Agmina conclamant, diversaque crimina fingunt.
Ille rogat Juvenem, atque audit, sed crimina nulla,
Confictosque dolos reperit: tum lumine totum
Collustrans corpus, pendensque loquentis ab ore,
Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo
Os humerosque Deo similem, et divina ferentem.
Quid plura? ipse viri sortem miseratur acerbam,
Auxilioque suo manibus defendit, iniquis:
Nullum hic invenio crimen: discedite turbae:
Nec fas innocuo dextras scelerare cruore.
Quidquid id est, credo pro majestate suorum
Sermonum illum aliquid magnum portendere terris.
  Talibus haudquaquam dictis violentia cessit;
Quin magis atque magis turbae clamoribus instant
Horrisonis: quidnam faciat? quibus audeat armis
Eripere? Ingenti quoniam stipatus honore
Venerat Herodes Solymas, celebrare vetusto
Ritu solemnes epulas, dimittere Regi
Constituit juvenem. Mirando ardebat amore
Compellare virum Herodes, et noscere coram.
Non illum latuere feri molimina patris,
Cum dulcis vitae exortes, et ab ubere raptos
Alterum in alterius mactari sanguine jussit
Lactentes pueros. Nôrat fugisse cruentum
Funus, et in terris praesens ceu numen haberi.
Ergo ubi stipitibus duris, sudibusque praeustis
Actum conspexit, solio sic infit ab alto:
Ut te jamdudum longa mihi cognite fama,
Accipio, agnoscoque libens! Te turba fatetur

Supra homines, supra ire deos, neque dicta refellam:
Dum nobis coram quidquam mirabile monstras,
Et veniam atque tuis ingentia spondeo factis.
Talia dum demens studio jactabat inani,
Jesus incoepto nusquam sermone movetur [45].
Rex instare magis, signumque exquirere: demum
Frustra sollicitus (neque enim responsa dabantur),
Desipuisse putans, ceu captum mente reduci
Imperat, et longo risu comitatur euntem.
Turba ducum interea, circumque exercitus omnis
Artibus illudunt variis, et vestibus albis
Indutum magno laeti clamore reportant.
Itque reditque viam Jesus, per tela, per hostes
Vim cunctam, patiensque minas plebisque patrumque.
Pilatus reducem juvenem ad praetoria cernens,
Effraenos animos quaerit tentare precando.
At quanto magis ille artes se vertit in omnes,
Turba magis fremit, et mortem scelerata reposcit.
Quando Relligio Patrum, redeuntibus annis
Commemorans latas olim de rege superbo
Exuvias, capto manicas laxare solebat;
Omnia tentanti potior sententia sedit,
Ereptum indignis vinclis dimittere Jesum.
Talia mente agitans jubet ad praetoria ferri
Captorum duo de numero, qui judice pendent;
Scilicet immunis mentito crimine Jesus,
Atque alter scelere ante alios immanior omnes,
Seditione potens, qui multa creaverat urbi
Damna, movens miseros in aperta pericula cives.
Credimus? usque adeo mentes insania vertit?
Jesum ad supplicium perverso pectore poscunt,

Servandum magno quaerunt clamore Barabbam [46].
Frangitur infensis Pilatus vocibus, atque
Sollicitum nunc huc animum, nunc dividit illuc;
Quando mortem orant, saevitque ignobile vulgus,
Ne quid inexpertum prius, ambiguumque relinquat,
Verberibus damnat Juvenem, si saevior ira
Decidat, et tumidus tandem deferveat ardor.
  Aedibus in mediis ingens educta columna [47]:
Huc trahitur Jesus manibus post terga revinctis.
Nec mora; ceu tectis crepitans salit horrida grando,
Concurrit legio rapidis armata flagellis,
Et raptat laceras foedato e corpore vestes.
Nunc dextra hic geminat ictus, nunc ille sinistra
Certatim: totis in vulnera viribus itur.
Discissi pendent artus; fluit undique rivis
Sanguineis, mixtaque cruor calcatur arena.
Crimina criminibus cumulant, luduntque vicissim.
Consertum tegmen spinis super utraque quassant
Tempora, purpureusque humeris dependet amictus [48].
Ponitur in manibus sceptrum, deformis arundo,
Et circum armatae sistunt, caelumque feroci
Clamore incendunt turbae, regemque salutant.
  Squalentem barbam et concretos sanguine crines,
Vulneraque aspiciens atro saturata cruore,
Ipse gubernator gemuit, dextraque prehensum
Educit tectis, unde omnis vertice celso
Spectari posset, populoque ostendit ovanti.
Tum vero immensus sublatus ad aethera clamor:
Dede cruci: poenam scelerato e sanguine sume.
Ille pio sermone petit mollire furentes:
Poenarum exhaustum satis est: jam parcite victo,

Illi autem contra magno clamore fremebant:
Dede cruci. Magis hic Princeps clamare: feroces
Oh! cohibete iras: vestri miserescite Regis [49].
Non tulit hoc quidam furiis lymphatus iniquis:
Nobis non alii reges, nisi Caesar: amicus
Caesaris esse nequis porro, si tanta cupido
Hunc servare virum. Perculsus nomine tanto
Pilatus stupuit, virtusque in pectore nutat.
Cedat amicitiae? rerumne relinquat habenas?
Fas omne abrumpit regnandi dira cupido,
Et Juvenem innocuum morti concedit iniquae:
At vos sacrilego pendetis sanguine poenas.
Haec ait indignans, lymphasque undantis aheni [50]
Dant manibus famuli, culpamque evadere demens
Credidit, obtestans indigna morte peremptum.
Commotam interea bacchatur fama per urbem;
Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti
Asperiora parant. Praecelso corpore quercum
Arripiunt, foedamque crucem (vix cognita servis
Poenarum species) pangunt, juvenemque frementes
Invadunt: humeris nequicquam fortibus aptant
Quercum quadrifidam, pedibusque ictuque lacessunt.
Forte virum pietate gravem quem miserat ardens
Cyrene [51], pingues hortos cui cura colendi,
Adspiciunt. Laetis sese referebat ab arvis
Latos ostentans humeros, validosque lacertos.
Ergo collecti invadunt: vox omnibus una,
Ne pereat Juvenis magno sub pondere victus,
Lignum immane Crucis montes convectet in altos.
Ille fatiscentem Jesum, et genua aegra trahentem
Inspectans, aegre quercum praegrandibus aptans

Fert humeris, montisque feri super ardua tendit.
  Stant circum pavidae matres, oculisque sequuntur
Funeream pompam, et sortem miserantur iniquam,
Dum cernunt ignominiam, plagasque cruentas:
Quas spectans Jesus dictis solatur amicis:
Quid tantum pro me prodest cepisse timorem,
Matres judaeae [5]? fletus effundite vestrôs
Vos ipsas super et natos. Funesta propinquant
Tempora! vae Solymae! multos dominata per annos
Urbs antiqua ruet, templumque et vasta domorum
Atria consument ignes: tum sanguine fuso
Exultans victor cunctas disperdet in oras
Natos natorum, et qui nascentur ab illis.
Has Solyme expectat tanto pro crimine poenas.
  Calvariae horrentes rupes, montemque nefandum
Devenere: locus semesis ossibus albet,
(Horrendum visu!) truncisque affixa superbis
Membra virûm tristi pendent pallentia tabe.
Sol medium caeli conscenderat igneus orbem,
Et dirum excidium funesto in monte paratur.
Artubus exanimis lacerae pars tegmina vestis
Dilaniat, foedata atro patuere cruore
Vulnera: pars foveae immanem perrumpit hiatum.
Ecce solo Juvenem exturbant, truncoque parato
Urgent semianimem. Telo terebrantur acuto
Brachia, connexique pedes; cruor undique manat.
Compactis trabibus terrae defigitur arbos.
Fit via vi; laetas voces ad sidera jactant
Artifices scelerum, Regemque Deumque salutant
Sic positum, et tumidis addunt convicia linguis.
  At te quo, Mater, mater sanctissima, linquam?

Impulerat tristis maternas nuncius aures,
Ipsaque funestos praesaga mente timores
Concipit: accurrunt comites, Dominamque labantem
Suscipiunt, magnis resonant plangoribus aedes.
Non tamen illa morae patiens, non illa pericli,
Telorumque memor: fertur per tela, per hostes;
Tellurem Nati monstrantem vulnera cernit.
Audit quadrupedum hinnitus, strepitumque tubarum.
Ut vero Nati corpus miserabile vidit,
Ceu si immota silex, stetit acri fixa dolore [53],
Semianimis: Jesus complexam robora Matrem
Funerea adspectans, suspiriaque aegra trahentem,
Ardentes satagit curas his demere dictis:
Non hoc, o Mater, nôsti, sine numine lethum.
Promissis Patris scis ipsa, et scire fateris
Deberi, quaecumque extrema per omnia duco.
Ah! ne tantus edat tacitam dolor; accipe natum,
Quandoquidem mihi non superat jam charior alter,
Quîcum partiri curas et gaudia possis.
Tuque aegram solare, oro, et succurre relictae,
Joannes; serva communem matris amorem [54].

At circum glomerati hostes, immania monstra,
Insultant, variisque ululatibus aethera complent.
En qui [55] regna sibi per nostros maxima campos
Aedificare potens caelo descenderat alto:
Sunt tibi regna Patris: hominum curare triumphos
Desine. Mox alii: Socios a morte reduxit:
Et virtus nequit ipsa suam defendere vitam?
Eripe te his, Invicte, malis: de robore duro
Descende, et facto moniti meliora sequemur.
Mox alii risu majora opprobria miscent:

At non ille satum quo te mentiris, ab axe
Afferet auxilium, placidas Deus obstruit aures.
At Jesus nihil his: odiumque merentia facta
Excusat clemens, Patrisque exorat amorem:
Da Pater, hanc, quaeso, veniam: miserere nocentum [56].
Nescia mens hominum tanto se crimine miscet.

Horam tum vero cernens adstare propinquam,
Clamorem magnum attollit, quo protinus omnis
Golgotha contremuit: Sic me, Pater optime, natum
Deseris? heu! quonam nostri tibi cura recessit?
Hanc vocem exaudi, extremam cum sanguine fundo:
Hanc animam serves [57]: factoque hic fine quievit.

At doluit Natura [58] ingentibus excita monstris.
Magnificum, augustum, centum sublime columnis
Effractum est templi limen; stridere per auras
Auditae voces magnae, fugientis imago
Agminis aligeri templum linquentis et aras.
Auro intertextum, et fulgenti murice velum,
Quod summae interiora domus, quo sancta ferebant,
Relligione Patrum, sacro obnubebat amictu,
Finditur in solidum: detecta apparuit ingens
Sacrorum domus, et tremulis altaria flammis.
Tellus dat gemitum, tremere omnia visa repente,
Sub pedibusque solum mugire, et celsa moveri
Culmina: disjectas moles, avulsaque saxis
Saxa vides: patuere viris monumenta sepultis,
Multaque funereo circumdata corpora velo
Prodierunt, passimque novis simulacra figuris
Erravere viis: trepidant terroribus urbes.
Tuque etiam amissa testaris luce dolorem
Sol ipse: inferias quoque tu das, Luna, Tonanti,

Informi pallore genas, crinemque comantem
Inficiens; visu horribili portenta sequuntur.
Pars animis manet attonitis: vox faucibus haeret.
Ast alii tunsis deserta per avia inerrant
Pectoribus, votisque Deum, precibusque fatentes.
Nox ruit interea, et fuscis amplectitur alis
Tellurem. Joseph et Nicodemus, avita
Egregii pietate ambo, virtutibus ambo,
Exanimum ramis deponunt arboris altae,
Dumque Parens complexa sinu miserabile corpus
Luget, odorato referunt sudantia ligno
Balsama, et assyrium nardum myrramque fluentem,
More patrum, corpusque lavant frigentis et ungunt.
Tum vero pars ingenti subiere feretro,
Pars tristes rapuere faces, corpusque recenti
Componunt tumulo, scabro qui monte cavatus,
Funereamque domum praegrandi fragmine claudunt [59].
At dum Caelicolae, densis exercitus alis,
Caeruleis moesti vittis acrique dolore
Confixi tota passim regione vagantur,
Et tumulo innixi summos comitantur honores,
Divina exuviis anima e mortalibus ibat [60].
Immortalis eam convestit gloria: jamque
Rapta manu tollens, devicta morte, trophaea,
Signa Crucis, magna aligerûm comitante corona,
Jampridem clausas tenebris et carcere caeco
Illustres animas, superumque in lumen ituras
Eripere aggreditur. Terras descendit in imas,
Et caligantem nigra formidine mundum
Ingrediens, duro ferratos objice postes
Perrumpit Victor. Trepidas lux magna per umbras

Ipsius adventu emicuit, justoque pavore
Horrentes stygiae passim fugere phalanges,
Auditaeque cavae gemitu exululare cavernae.
Magnanimi heroes nati peioribus annis,
Ut nova conspexere Deum vexilla ferentem,
Non lacrymas tenuere oculis, circumque dedere
Laetitia ingenti, servatoremque salutant.
Foederis antiqui heroas, qui credita vera
Judaeo populo magna virtute tueri,
Quique novum regnum praesago carmine ferre
Certavere, jubet loca muta relinquere, secumque
Aurato exceptos curru per inania primos
Indugredi donat reserati limina caeli.
Tres mansere dies disjuncti corporis artus
Omnipotente anima. Ut tandem lux tertia fulsit,
E tumulo exurgens mirabile corpus amanti
Jungitur ultro animae, et devicta morte triumphans
Errat Servator supera redivivus in aura [61].
Ille quaterdenas mansit tamen ordine luces
In medio comitum, et divina luce coruscat,
Enucleans regni decus immortale paterni.
Mox virtute sua ad superam se sustulit aulam,
Qua Patris ad dextram, similique in sede resedit;
Et magnam e caelo dimisit Flaminis auram,
Quae nostros firmans animos, discedere jussit
Jerusalem, et verum cunctas vulgare per oras.

Omnia sunt perfecta: Deo data victima Christus
Occidit; innocuo scelus omne cruore piavit;
Victaque Justitia, et laeto Clementia vultu
Ante Patris solium, manibus per mutua nexis,
Oscula mille sibi dederunt, et pignora amoris.

Hic tacuit Petrus, et mysteria magna volutans
Obstupuit secum: insueto ceu numine tacti
Romani proceres tacuere: silentia tandem
Abrupit Joseph, farique audacior orsus:
At non Messiam talem Judaea futurum
Expectat: prece Messias, votisque vocatus,
Armipotens regnator erit, qui in sceptra reponet
Reginam rerum Solymam, statuetque beatum
Imperium, quod Jessiades non ipse, nec ipse
Spectavit Salomon totum florere per orbem.
Talem Messiam praesaga oracula monstrant.
Christo pro cunis ingens praesepe, nitenti
Pro solio infamis fatalia robora ligni.
Pro regis cultu servi nautaeque bilingues,
Qui bona vesani temnunt praesentia, sperant
Nescio quae summo immortalia gaudia caelo.
Et Deus iste potens, quid non sibi providus ipsi
Consuluit, mortemque ausus vitare cruentam?
Quid comites nulla patitur requiescere pace?
Illum crudelem, meritoque vocabis iniquum,
Vel si dissimulat, vel si succurrere spernit [6*].
Christiadûm sanctas injuria perculit aures:
Exarsere ignes animo, jamjamque parabat
Saucia lecta cohors justas proferre querelas:
At Petrus gravior: Quae caeca amentia Judae?
Siccine distorsit sacros mens laeva prophetas?
Humanos hebetans oculos incondita nubes
Verum nôsse vetat; sed caligantibus umbris
Ignea lux veniens caelo monstravit aperto
Arcanam legem, et magnarum abscondita rerum.
Non Christus Judaeam unam, at quascumque vocavit

Gentes, quas toto lustrat Sol aureus orbe,
Imperium statuens, quod terram amplectitur omnem,
Terramque ablutam caelo conjunxit amico.
Nec juga servitii romani et barbara jussa,
At graviora juga, obscoenae contagia labis
Excussit, quibus et ratio, et tumefacta voluntas
Inter se studiis semper luctantur iniquis,
Propositamque homini prohibent contingere metam.
Omnia nec porro quaecumque miserrima Jesus
Pertulit in terris, vobis oracula vatum
Praedixere? nitent veraci picta colore
Et natale solum [63], et puerorum barbara caedes,
Et fuga in Aegyptum, et sparsi vox nuncia veri
Signaque, et in primis poenarum nomina mille,
Unde genus nostrum impensa mercede redemit.
Ipse Noe [64] verax, qui tempestate furente
Abreptos homines extructa servat in arca:
Ipse Abraham pater, amplifica qui continet omnes
Credentes chlamyde, et longe praeclarius icit
Foedus, caelestis spondens Canaanitidis oram.
Ipse Isaac demum, peragendo accomoda sacro
Ligna suis gestans humeris, idemque Sacerdos,
Hostiaque augusta sese Crucis immolat ara.
Heu! quem te video? praelo calcaris agresti [65]
Ipse unus, gemitusque tuos non audiit ullus.
Regali insignis roseam diademate frontem
Incedis! tristem male texta rubeta coronam
Implicuere tibi, festa quam pronuba luce
Filia Jerusalem sponso donavit habendam.
Quidnam purpureo squalet chlamys ista colore?
Compressi rubeas guttas fudere racemi!

Quid mulier complexa sui stat robora nati?
Aut quam implorat opem? vos o, quicumque tenetis
Hac iter, o, cohibete gradum: si tristior usquam
Extiterit dolor, ah! saltem miserescite matris.
Quid labia infecto maculant sitientia felle?
Heu! tunicam partiri etiam certamine tendunt.
Praemia sorte trahunt vestem; nec sutilis illa est.
Quo comites abeunt? caeso pastore, frequentes
Disperguntur oves, nullo custode, per agros.
O populi, o populi, vestro succurrite Regi!
Deseritur cunctis! . . . Quae foeda opprobria cerno!
Integra nulla manet pars corporis: undique sanctus
It sanguis, graviusque aperitur pectore vulnus.
O caeli jubar, o sol formosissime, quidnam
Nigrescis vultu? quidnam mutatus ab illo es?
Ah! tibi solus amor fuit horum causa malorum:
Solus amor nostri. Luctu concussus acerbo
Constitit hic Petrus: flentem videre fideles
Christiadae, et flevere simul: mox orsa resumens:
Quid porro mirum, si majestate coruscans
Regali, immensisque opibus fastuque potenti
Praelucens mundum ingenti fulgore tuentem
Exculeret? mille ex aula stellante phalanges
Praeferret? reges, terrarum numina, currus
Ante triumphales traheret cervice subacta?
Hoc homini porro fuerit mirabile: nunquam
Par fuerit dignumque Deo; Deus ipse videri
Omnipotens voluit; mortales, cernite rerum
Virtutem insolitam, et non exuperabile numen [66].
Ipse viam ignotam sequitur, pugnantia secum
Innectens: majestatis divina recondit

Lumina; praescripto aeternus se tempore claudit:
Immensus miserae latitat sub imagine vestis;
Virgineum florem materno adjungit honori;
Secum unus felix mala perfert omnia, quique
Immortalis erat, subiit ludibria mortis.
Scilicet ut tumidi terrena superbia fastus
Ire Deum contra, et caelum aspernarier ausa est;
Humano ipse ferens generi medicamina, sortem
Deligit oppositam, et dextra omnipotente creatum
Restauravit opus, dio spiramine sculptam
Effigiem satagens divinae reddere formae.
Infirmus saevo luctans certamine vincit:
Sordidus atque humilis regnat: mortalis iniquam
Exuperat mortem, vitae immortalia reddens
Munera, perque Crucem devictum subjicit orbem.
Ingens prodigium! nautarum voce potenti
Totam conturbat Sophiam: miracula curae
Vobis, Judaei: vobis sapientia, Graji:
Pro cunctis unum est nobis, Crux inclyta Christi [67].
Insueto eloquii ceu raptus flumine stabat
Attonitus Seneca: at ludens Demetrius infit:
Fare age, quae totum ista recens sapientia mundum
Mutare aggreditur. Simulata mente locutum
Agnovit Petrus; sed qualis limite valli
Regnorum eversor, si hostiles forte maniplos
Primo congressu fractos, damnataque letho
Pectora conspectat subito consurgere motu,
Laetitia exultans magna in certamina tendit,
Extremo sperans bellum decernere ferro;
Haud aliter pius Antistes; prisci ardua mundi
Moenia concutere, atque novo fundamine mundum

Ingressus firmare novum, data copia quando,
Diruere aggreditur veterum figmenta sophorum,
Et jubare exorto fugientes fulminat umbras.
Si dium humano signavit lumen in ore,
Atque sibi similem rubrae telluris alumnum
Condidit Omnipotens, animo perfecta nitebat
Justitiae ingenitae species, propriumque petebant
Auctorem allatae proprio velut impete mentes,
Monstratamque viam aequabant ardentia corda.
Discite, Romulidae, nostri primordia regni.
Priscis vulneribus, tenebris quae turpia longis
Invaluere moris, caelo medicabile Christus
Rettulit auxilium, rerumque arcana retexit.
Est mens in nobis sensu divinior, alis
Surgentem levibus super aurea sidera motu
Cor sequitur rapido paribusque adnititur ausis.
Conscia nobilitas nativo lumine Christi
Accipit adventu formas renovata priores;
Vos repetit caelum, genus unde et vestra propago.
Humano generi primo ipse Creator in ortu
Commisit leges, et noxia culpa parentum
Credita naturae fragili corrumpere jura,
At delere nequit. Judaeae captus amore,
Praesaga cui mente Deus majora parabat
Fata diu, denas, renovata oracula, leges
Tradiderat Moysi, praeduro marmore scriptas.
Nunc natum scriptumque Deus jus integrat, omni
Perfectum numero, et mundo communicat omni.
Non ego jam priscas veni dissolvere leges [69]:
Omnia quae nôstis signata volumine jura,
Observanda: nihil minima nec parte peribit.

Audistis dictum antiquis: Ne interfice quemquam?
Ast ego vos jubeo: Ne quis exerceat iram,
Aut odium in fratres: ne quis convicia jactet.
Si fatuum appellas, justa torquebere flamma.
Quin etiam sanctas properans si accedis ad aras
Dona ferens, et fraternum reminiscere amorem
Fregisse, aut tumido indignaris pectore, dona
Desere, jamque retro referens vestigia fractam
Instaurato fidem. Haec supero prima hostia Regi.
Audistis veteri praescripta oracula lege:
Ne moechare? tamen super his edissero: quisquis
Viderit, et pulchrae male tactus amore puellae
Concupiet, jam corde suo peccavit adulter.
Audistis dictum antiquis: Perjuria linguae
Effuge, juramenta tuo sed redde Satori?
Nunc autem jubeo: Nunquam jurabis; in omni
Simplicitas sit verbo, et rectae mentis imago.
Nonne autem admissae perscripta piamina culpae,
Et similis stat poena reo? vi pellere factam
Vim veto; si quisquam malam tibi percutit, offer
Illi aliam malam: sic dirum ulciscere probrum.
Dictum est antiquis: Quisquis tibi proximus, illum
Fac adames, inimicum odio insectabere justo.
At vos aeque omnes, noceant quicumque, volentes
Diligite; atque illis precibus votisque supremum
Conciliate Deum. Similes estote Parenti,
Qui justos pravosque super lucescere solem,
Et pluviam illabi aetheria concedit ab aula.

Quid possit terris vitam praestare beatam [70],
Ipse Deus docuit, veraque in luce locavit.
Felices humiles tenuis quos spiritus afflat.

Illos sorte sua laetos, fastuque tumenti
Aversos capiet stellantis regia caeli.
Felices animo mites: in regna receptos
Patria dives alet tellus, pulcherrima tellus.
Felices quotquot lugent: hos sera manebit
Laetitia, et longos mutabunt gaudia luctus.
Felices qui Justitiae florentia quaerent
Pabula largifluoque sitim restinguere rivo
Optabunt: quibus omnis erit saturata voluptas.
Felices sueti miseris succurrere: caelo
Omnipotens Pater ipsorum miserescet ab alto.
Felices puro qui vivent corde: recepti
Concilio Superûm, claraque in luce nitescent.
Felices pacis qui munia sancta sequuntur.
Hos natos Deus e numero sibi deligit omni.
Felices, tumidi tolerant qui jurgia belli
Propter justitiam: vobis stant praemia caelo.
  Ante diem nigro componet in aëre vesper,
Quam nova surgentis complecti semina mundi
Evaleam. Ipse domum magno circumdat honore,
Sanctum conjugium instituens, thalamique fidelis
Concelebrans laudes: *Lecta pro conjuge patrem* [71]
Linquet homo et matrem, nuptae noctemque diemque
Fidus adhaerescens, et erunt duo sanguine in uno.
Vincla Deo sociata potest vis solvere nulla.
Virginis os animumque gerens et virgine natus
Assignat sedem pro virginitate decoram:
Sunt quos debilitat Natura, adimitque virile
Officium: plerosque suo vis ferrea sexu
Exuit: ast alii patriae caelestis amore
Sponte cupidineas gaudent extinguere flammas.

Quid memoro, ut stabili componens cardine regna,
Principibus, si tuta velint dare jura volentes
Per populos, placidos audet describere mores?
Reges subjectis dominantur gentibus, et qui [72]
Maior erit, summa imperii commissa potestas.
Non ego vos eadem haec doceo: qui evadere maior
Arserit, ut famulus, discat servire minori.
Sic hominis natus venit servire: ministrans
Vobis incerto rerum discrimine, vitam
Projicio, multos redimens a morte nefasta.
Denique perfectam vivendi scribere formam
Aggreditur, pede quaeque suo mortalia pendens:
Si tibi cura sedet perfectam vivere vitam [73],
Quae servas congesta domi bona, divide egenis,
Et sequere hortantem, caelis habiturus opimum
Thesaurum, et meritos regni immortalis honores.
Quam demum optatam studeat contingere metam
Terrigena? ipse humili e coeno consurgere jussit.
Non haec quam colitis modico vix tempore, vestra [74]
Est patria: hac misera peregrini vivitis ora,
Caecique erratis. Dubio vos obsidet astu
Hostis tartareus, rectoque avertere tentat.
Vos armis bellare decet: nam gloria caeli
Vim patitur: violens victo qui excedit ab hoste,
Terrenum exilium, miseraeque piacula vitae
Deseret, et merces dabitur certantibus ampla;
Et regnum in caelo aeternum, et sine fine voluptas.
At doctor ficto simulans pia pectora vultu
Accessit quondam Jesu, fantemque rogavit.
Dic age, quandoquidem te omnes novere magistrum,
Quodnam mandatum legis praestantius? Ille

Nil mortale sonans, et caelo digna locutus:
Toto corde tuo, dixit, *Dominumque Deumque* [75]
Dilige. Primum istud: quod deinde sequere, secundum
Huic simile est: fratres omnes complectere amore,
Quo te ipsum. Haec legis fastigia summa: duobus
His cohibere licet divina volumina vatum.
Hinc odia et fera bella silent; junctosque vicissim
Exhilarat populos laeto concordia risu.
Una domus veluti est tellus habitabilis: unus
Est Pater. O felix! si omnis dependet ab uno,
Ingeminatque precem, quam tradidit ipse Redemptor:
O Pater, o, summo cui maxima regia caelo [76],
Orantes audi: Justo notescat honore
Nomen ubique tuum. Patrii da scandere regni
Promissam sedem. Fiat tua magna voluntas
Et caelo et terris. Quae terrae munera nati
Vescamur, concede hodie. Fac nostra remittas
Debita, ceu fiunt per nos missa omnia, siqui
Debuerint nobis. Stygiae tentamina fraudis
Disjice, nosque mali defende malique ruina.
Talia divinae ferimus bona nuncia vocis;
Et qua foecundo inciderint sata semina campo,
Exterius sua quaeque manent per regna quietae
Gentes, interius radio rectique bonique
Illecta exoritur divinae gloria vitae.
At non haec vitae ratio peritura caducae
Corporeas agitat vires ; se subtrahit omnis
Materies, coepitque animae pulcherrima vita,
Sicubi Christiadae sanctum ingrediuntur ovile.
Robore funereo, violans qua cuspidis hasta
Pectora perrupit [77], caelesti flumine rores

Largiflui exiluere, sacroque e fonte perennem
Haurit vitam anima, extinctum reparatque vigorem:
Unda salutaris [78] per Patris nomen, et almi
Flaminis, et Nati caelestis limina vitae
Praepandit: Satanae hinc durum, illactabile fortes
Servitium frangunt, et libertate fruuntur,
Quam Christus peperit crudeli morte peremptus.
In Christo natos et sanctum nomen adeptos
Non ullae inficiunt fraudes, contagia nulla.
Non tamen occultis fas est languescere castris;
Christiadas duris decet insudare sub armis,
Contra peccantum laqueos, satanaeque furores.
Bellandum assidue, neu quo cessura periclo
Deficiat virtus, dabit insuperabile robur
Chrisma sacrum [79], laeta quod signat fronte sacerdos.
Non tamen ille auctor venturi praescius aevi
Deseruit solos tanto in discrimine: praeses
Perpetuo voluit nostris considere in aris [80].
Nec satis haec: summi Patris sapientia vidit
Omnia naturae humanae fastidia, vidit
Terrigenam infirmum quamvis meliora probantem
Deteriora sequi; generis miserescit iniqui,
Et dum fata virum servant, dum vescitur aura
Aetheria, semper remeandi ad lumina vitae
Spem dedit [81], atque viam caeli affectare relicti.
Si quos peccantes udo sublapsa veneno
Saeva lues agitat, satis est, si poenitet acti
Propositasque vias animo constante resumat.
Pastor ovem errantem passis amplectitur ulnis,
Et pietate nova sacrum recludit ovile;
Nec semel ignoscit clemens, quotiesque rogabit

Corde pio veniam, toties ignoscere spondet.
Quae tulit e caelo magnae documenta salutis,
Ut servata fuant, et totum allata per orbem,
Ut signis commissa sacris quae Gratia praestat
Munera, Christigenis manus opportuna ministret,
Consociata phalanx vario stetit ordine: sanctae [82]
Tutamur pignus lucis, gentique fideli
Tendimus assidue caelestes promere fructus.
Sic licet in terris sanctam traducere vitam
Et patrium spectare polum. Cum venerit hora
Tradita terrigenae qua terras deserat aegras,
Olli praesto adsunt extrema viatica [83], sacrae
Nutrimentum ingens epulae, et felicis olivi
Aptum praesidium, extremae molimine luctae
Tartareas contra fraudes, et turbida rerum.
Crescite, Christiadae, sanctumque in saecula cuncta
Propagate genus; quem vestris ipsa pudorem
Indidit ominibus, melior Natura resumit.
Conjugium instituit Christus [84], et Gratia firmat
Sacramentum ingens, quo foetu macta novello
Floreat omniparens Ecclesia: crescit ovile
Gentibus innumeris, sicco ceu littore arenae,
Aethere ceu stellae, sanctoque ab nomine nota
Unanimis gens thuricremas glomeratur ad aras,
Una triumphati replet confinia mundi.

Qualis ab integro saeclorum nascitur ordo!
Quantum romuleo distat! Vos hactenus uni
Vixistis terrae: caelo nos vivimus uni,
Et terram, caeli laetum velut omen, habemus.
Vobis imperitat corpus; quae corpora pestes
Tabificae maculant, motatque obscoena libido,

In diversa trahunt animas: ast impete dulci
Nos anima educit coenoso e gurgite: quamvis
Detineat carcer miserando corpore, corpus
Deserit impatiens anima, audacique volatu
Expatiata haurit caelesti ex igne calorem,
Sancta cupit, sancta evolvit divinitus acta.
Vobis unus amor felicem quaerere vitam:
Heu miseri! heu miseri! vivos mala saeviter angunt,
Vita defunctos in tristia tartara trudunt:
Nos pejus letho culpam quamcumque timemus:
Lex divina dedit sanctae moderamina normae.
Humanos si quae cursus adversa fatigant,
In Christo laeti ferimus, qui mille dolores
Pertulit innocuus vivens, primusque dolorem
Humanum fecit sanctum et venerabile nomen,
Augustamque viam sperandique omina caeli.
Perfunctos mala militiae mortalis, honoram
Promeritos palmam dux caeli ad regna vocabit,
Atque immortali nectet de flore coronam.
Quid si constrictas civili foedere gentes
Lustrabis? Christi pietas id postulat unum,
Ut tellus fiat regni caelestis imago.
Ipse Deus regit omnipotenti flamine gentes;
Non ollis mortale tuens perituraque rebus
Corporeis meta, at caelestis spiritus artus
Informat passim socios, aeternaque meta.
Si nova lux oculis orta est, mentesque refectae
Arcanum pleno viderunt lumine verum,
Quidque Deus nôrunt, quid vasti haec machina mundi,
Quidque hominis natura potens, animaeque verenda
Nobilitas, caelo prognata et debita caelo;

Si tandem labyrinthaeis defessa voluntas
Flexibus errare, et rerum per inania ferri,
Quid faceret, novit; si recto tramite tandem
Insistens docilis sequitur rectumque bonumque,
Et turpe effugit coenum, simul aurea dicta,
Aurea, perpetua semper dignissima vita,
Certis direxere pedum vestigia signis;
Christo uni tanti motus debetur origo.
Talia inardescens memorabat pectore magnus
Pontificum senior. Thraseas hic subjicit ardens:
At tu Christiadûm ductor fortissime (nec vox
Humanum sonuit, nec nostra e gente videris),
Quandoquidem audacter nova condere sacra, novosque
Aggrederis ritus, quid possit uterque vicissim,
Experiamur: amicitiae jamque accipe foedus.
Non te equidem latuisse reor, quae monstra tyranni
Perferimus. Quidnam sperandum, hoc principe rerum,
Qui virtutem ipsam totoque excindere ab orbe
Ipsum contendit nomen? tua sacra sequuntur
Non pauci; video: jungamus castra: Neronem
Qui libertatem Romae, qui civibus omne
Jus rapit, auferre e medio solioque potiri
Juverit: hoc primum: nobis respublica surget,
Effigies Romae veteris pulcherrima, vobis
Omni libertate frui, vestrique licebit
Pandere jura Dei, et sanctos inducere ritus.
At Petrus impatiens justas exarsit in iras:
Nos conjurare in tenebris, regnisque ruinas
Moliri ingentes, strictoque erumpere ferro
Per plateas contra populos, populique timendos
Rectores? Mihi Pontifici sedet unica cura,

Ut Christi Regnum (quae nostra Ecclesia) ubique
Eniteat terris, magnoque adolescat honore.
Et qui pastores pendent, me principe, in unum
Incumbunt, Christum terris ostendere, sacra
Curare, et populos caelesti educere vita;
Et qui Christiadûm sanctum ingrediuntur ovile,
Hoc jurant primum divina facessere jussa,
Christum sectari, et caelo se fingere dignos.
Non placuit patribus magnis sententia; Consul
Torva tuens Petrum magno sic increpat ore:
At vestra haec verbis violens audacia factis
Haerescit pavitans et cuncta pericula vitat.
Tum Petri magis incaluit facundia praesens:
Toto erras caelo. Quae nos rapit ignea virtus,
Insuper advenit, cunctisque immota resistit
Viribus. Ah! propius nostros cognoscito coetus.
Quanto Christiadae superant certamine bella
Interiora animi! Quae porro audacia maior,
Quam saevo externos hostes evertere bello.
Et nobis externi hostes, externaque bella.
Quae nos divino motare potentia quibit
Proposito? insequimur vitium, propellimus umbras
Errorum, nulla terremur imagine mortis:
Seu centum imperium Dominis, seu contigit uni,
Eloquimur verum: non terret Curia discors,
Horrida non terret centum excubitoribus aula.
Urbibus expellent? sordentes pulvere vestes
Excutimus mundique aliam versamur in oram.
Vincula conjiciunt manibus, tergoque catenas?
Quatenus ora patent, in verba exolvimus ora;
Quae dictat Deus, effamur. Si denique saevas

Ad poenas trahimur, si instat truculenta securis,
Frustra conati verbis placare tumentes,
Ibimus ad mortem, caeco pro principe, caeco
Pro populo orantes. Fundebat talia Petrus,
Ingenti stabant stupefacti numine patres;
Consul at iratus: Quae tanta amentia vobis?
Dum nos in diversa trahit discordia tanta,
Pro certo id video: nos serius ocyus ambo
Una ruina premet. Victa tumulabimur urbe.
At Petrus: Frustra id metuis. Perit ethnicus orbis,
Haud dubitanda cano, at nobis victoria stabit.
Tum vero raptus flamma maiore profatur:
Caeli mons, quali te circum effulgere honore
Adspicio! Neque tu inferior memorabere colles
Inter septenos: Domus haec mihi debita: Christus
Nunc primum ingreditur, sedemque assignat habendam.
Quis putet hoc? quondam laterana palatia [85] fient
Pontificum veneranda domus. Non abfore cerno,
Cum bello victrix, meritaque ornata corona
Relligio caecis tandem prodibit ab antris,
Ascendetque thronum, et Romae regina sedebit.
At tibi, Roma, tibi extremum, Roma ethnica, tempus
Nuncio. Qui quondam tua moenia prima locavit
Atque dedit nomen, fraterna caede cruentam
Polluit, unde diu terras dominata per omnes,
Omnes hausisti errores, mendacia cuncta.
At nunc mutato et meliori nomine surges,
Gens sancta, electus populus, pietatis honore,
Justitiae cultu, cunctis dominabere terris,
Et terris major regnum super aethera condes.

NOTÆ

[1] *Ast amo natus* — Narrat ipse Isaias visionem VI, 8. Vae mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito . . . Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus quem forcipe tulerat de altari. Et tetigit os meum, et dixit: Ecce tetigit hoc labia tua et peccatum tuum mundabitur. — *Terebinthus.* Ejusdem Amonitae ib. verba. Et convertetur, et erit in ostensionem, sicut terebinthus et sicut quercus quae expandit ramos suos: semen sanctum erit id quod steterit in ea.

[2] *Duo foedera genti*—Duo nempe testamenta. Illa verba Psalmi LXVII, *Exurgat*, 14. Si dormiatis inter medios cleros, pennae columbae deargentatae et posteriora dorsi ejus in pallore auri: quamvis mira sit interpretationum varietas, nos hoc sensu intelligimus Bellarminum praecipue, et quamplurimos Patres secuti.

[3] *Argumentum ingens* — Si quis diligenter Davidicum psalterium evolvit, identidem divino spiritu instinctum vatem animadvertit, suique argumenti serie relicta rerum futurarum dulcedine raptum eas veluti in tabula ante se positas contemplari et describere. Quod in Ps. supra citato cernere est, ubi Christianum populum et Christianorum insectationes, Apostolos, Christum, et praecipue Ecclesiam describit e gentibus congregatam in illo maxime Selmone monte, qui antehac asperrimus in uberrimam foecunditatem mutatur.

[4] *Virtute mereri* — Luculentissime Paul. ad Eph. II, 8. Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Idem ad Coloss. I, 12. Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suae.

[5] *Redemptorem* — Joan. Evang. XVII, 3. Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.

[6] *Egena elementa*—Gal. IV, 9. Nunc autem, cum cognoveritis Deum, imo cogniti sitis a Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa quibus denuo servire vultis?

[7] *Superaddit corporis artus* — Apost. ad Philipp. II, 8. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. Et Isai. LIII. Oblatus est, quia ipse voluit.

[8] *Solabitur una* — Sic Epih. lib. 3. Haeres. Heva mortis causa facta est hominibus; per ipsam enim mors ingressa est in mundum; Maria autem causa vitae, per quam genita est nobis vita, et per hanc filius Dei advenit in mundum.

[9] *Spiritus alvum*—Haec eadem sunt verba Angeli ad Josephum, Matth. I, 20. Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod

enim in ea natum est, de Spiritu sancto est; pariet autem filium et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel; quod est interpretatum Nobiscum Deus.

[10] *Compostus pace* — Et *princeps pacis* Christus ab Isaia praevocabatur, et in eum Zaccharias Baptistae pater oculos intendens: Illuminare his, inquit, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros *in viam pacis*. Nonne eadem pax ab Angelis erat nunciata: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis? Ut istud pacis Evangelium per totum terrarum orbem facilius deferretur, divina providentia factum est, ut intestina bella et externa per totum Imperium conquiescerent, et decem annis ante Christum natum tertio de Jani foribus claudendis fuisset decretum.

[11] *Imperii vires* — Luc. II, 1. Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis. Haec descriptio prima facta est a praeside Syriae Cyrino: ita ut omnes profiterentur singuli in suam civitatem.

[12] *Reges* — Luc. ib. 4. Ascendit autem et Joseph a Galilaea de civitate Nazareth in Judaea in civitatem David, quae vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante.

[13] *Naturae siluere* — Si Archangelus Gabriel arcana divinitatis consilia Virgini Mariae patefacturus haec habet, sermonis initio, Luc. I, 28: *Ave gratia plena*, cum Naturae Dominum genuit, naturae legibus omnino exolvitur: itaque in Ecclesia Dei a perpetua Virginitate consecuta est cognomentum: neque a majoribus unquam nominari consuevit, nisi superaddito Virginis titulo.

[14] *Persidos ora* — Matth. 11. sic describit Magnorum adventum ad Christum infantulum adorandum: Cum natus esset in Bethlehem Juda in diebus Herodis Regis, ecce Magi venerunt Hierosolymam dicentes: ubi est qui natus est rex Judaeorum? Unde gentium hi Magi advenerint, quamvis diversae patrum sententiae circumferantur, nos Hieronymi auctoritati astipulamur, (in Dan. 2.) qui sapientes Persarum esse opinatur, quorum sententia reges omnia facere certum est. Sive Perside, sive in Chaldaea nati, aut Arabia, ut Chalcidius Platonicus in suis commentariis addit in Timaeum Platonis: Sapientes viri, et consideratione rerum caelestium exercitatos quaesisse dicuntur recentem Dei ortum, repertaque illa majestate puerili veneratos esse, et vota Deo tanto convenientia nuncupasse.

[15] *Adsunt aligerae* — Luc. II. Pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore

magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere: Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator qui est Christus Dominus in civitate David. Et hoc vobis signum. Invenietis infautem positum in praesepio. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiae caelestis laudantium Deum et dicentium: Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.

[10] *Octavo Regina die*— Humani generis Redemptor Christus ut ait Apost. Rom. VIII *Missus a Patre in similitudinem carnis peccati*, octavo die in eodem quo natus est loco, circumciditur. Luc. II. Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus *Jesus*, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Sed ipse Lucas de Simeone seniore templi sacerdote, qui consolationem Israel expectabat, et Spiritus sanctus erat in eo: Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine . . . et dixit ad Mariam matrem ejus . . . Tuam ipsius animam pertransibit gladius.

[11] *Impius Herodes* — Haec omnia in templo peracta, et Simeonis canticum, et propheticum Annae oraculum qui poterant Herodem regem latere? Dispersa in vulgus et ad crudelissimi regis aures allata eum in furorem egerunt, quique ex Magorum relatione magnum conceperat timorem, desperatum inivit consilium. Matth. II. Tunc videns Herodes quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem et in omnibus finibus ejus a bimatu et infra secundum tempus, quod exquisierat a magis.

[18] *Tutosque Aegypti* — Matth. 11. Cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Aegyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi. —*Nazaridam* Hier. de loc. Hebr. Est Nazareth, ubi Christus egit, viculus in Galilaea juxta montem Thabor, unde et Dominus noster Jesus Christus *Nazarenus* vocatus est, habetque Ecclesiam, in loco, quo Angelus ad beatam Mariam evangelizatum intravit, sed et aliam ubi Dominus est nutritus.

[19] *Manifesto numine ferri* — Cum Jesus Christus annum ageret suae aetatis duodecimum et ad diem festum Paschatis a parentibus ex more perductus fuisset Hjerosolymam, nescientibus illis in urbe remanet, ac triduo ab eis quaesitus repertus est in templo. Luc. 11. Remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et natos . . . Et factum est, post triduum invenerunt in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia, et responsis ejus.

[20] *An Deus* — Noverant puerum in fabrili exercitatione nutritio Joseph

inservisse: et Marcus VI, testatur: Nonne hic est Faber, filius Mariae, frater Jacobi, et Joseph, et Judae et Simonis? nonne et sorores ejus hic nobiscum sunt?

[21] *Crescentibus annis* — Luc. 11. Puer autem crescebat, et confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat cum illo. Et postea: Et Jesus proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum et homines.

[22] *Coepitque docere* — Act. Apost. I. Coepit Jesus facere et docere.

[23] *Praecurrere lucem* — Joannes Zachariae filius, *praecursor* Domini et *Baptista* vocatus. Tanti prophetae locus, habitus, et victus describitur. Secesserat adhuc infantulus in desertum ubi (Matth. III): Habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam super lumbos suos, esca autem ejus erant locustae, et mel silvestre. Divino Spiritu afflatus venit in omnem regionem Jordanis, baptismum poenitentiae praedicans.

[24] *Spiramine et igni* — Erant haec verba Praecursoris. Matth. III, 11. Ego quidem baptizo vos aqua, in poenitentia; qui antem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igne.

[25] *Meus hic Natus* — Matth. Ib. Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt ei caeli; et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam et venientem super se. Et ecce vox de caelis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.

[26] *Cito vertitur unda* — Primum et perinsigne in nuptiis operatur Christus miraculum. Joan. II. Dicit eis Jesus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum. Et dicit eis Jesus: Haurite nunc et ferte Architriclino. Et tulerunt. Ut autem gustavit vinum Architriclinus etc. Et addit Evangelista ib. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilaeae.

[27] *Felix Genesareth* — Genesara, Genesar, et Genesareth mare Tiberiadis, mare Galilaeae erat lacus Palaestinae in quem Jordanis flumen influit apud Capharnaum et apud Bethsaidem egreditur. Oppidum ipsum prius Genesara post Tiberias a Tetrarcha Erode in Tiberii honorem appellatum est. Hic prima Jesus sui magisterii cepit initia. — *Tellus Zabulon.* Idem Matth. IV ex prophetis adnotavit: Venit et habitavit Capharnaum maritime in finibus Zabulon et Nephtalim, ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam: Terra Zabulon et terra Nephtalim via Maris trans Jordanem Galilaeae Gentium: populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, et sedentibus in regione umbrae mortis lux orta est eis. — *Fama replet Syriam.* Et abiit opinio ejus in totam Syriam et obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui daemonia habebant et lunaticos et paralyticos et curavit eos.

[28] *Fortunatissima mater* — Luc. XI, 27. Factum est autem, dum haec diceret, extollens quaedam mulier vocem de turba dixit illi: Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti. At ille dixit: quin imo beati qui au-

diunt verbum Dei, et custodiunt illud. —*Saepe Heros*. Praecipue Joan. VI, 15. adnotat: Jesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.

[29] *Elephas* — Elephas, idem ac elephantiasis, vel elephantia, genus leprae, ita dictum quia maculis et tumoribus similem reddit cuti elephantis. *Quo ruis*? Matth. IX, 20. Et ecce mulier, quae sanguinis fluxum patiebatur, duodecim annis, accepit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero. At Jesus conversus et videns eam dixit: Confide filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier in illa hora. — *Stagnum Bethsaida*. Joan. V, 8. Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabatum tuum et ambula. Et statim sanus factus est homo ille et pertulit grabatum suum et ambulabat. *Nec justos vocat ipse*. Matth. IX, 11. Et videntes Pharisaei dicebant discipulis ejus: quare cum publicanis et peccatoribus manducat Magister vester? At Jesus audiens: Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus: Euntes autem discite quid est: Misericordiam volo et non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores. — *Tuque Deum orabas veniam*. Luc. VII, 37. Et ecce mulier, quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quod accubuisset in domo Pharisaei, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes ejus, lacrymis coepit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat. — *Samaritidos irae*. Joan. IV, 5. Venit ergo in civitatem Samariae, quae dicitur Sichar, juxta praedium quod dedit Jacob Joseph filio suo. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus: da mihi bibere: dicit ei mulier Samaritana: Quomodo tu Judaeus cum sis, bibere a me poscis, quae sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judaei Samaritanis. Respondit Jesus, et dixit ei: Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi: da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedissem tibi aquam vivam.

[30] *Canistris* — Marc. VI, 34. Et cum jam hora multa fieret, accesserunt discipuli ejus, dicentes: desertus est locus hic, et hora jam praeteriit... Et dicit eis: quot panes habetis? ite et videte. Et cum cognovissent, dicunt: Quinque et duo pisces... Et acceptis quinque panibus et duobus piscibus, intuens in caelum benedixit, et fregit panes et dedit discipulis suis. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos et de piscibus.

[31] *Ite citi* — Luc. X, 3. Ite, ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos, in quamcumque Domum intraveritis primum dicite: Pax huic domui; et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem ad vos revertetur.... Curate infirmos qui in illa civitate sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei. In quamcumque autem civitatem intraveritis, et non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus dicite: Etiam pulverem, qui adhaesit nobis, de civitate vestra, abstergimus in vos: tamen hoc

scitote, quia appropinquabit regnum Dei. Matth. X, 7. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini : non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.

[32] *Loquentem* — Matth. XVII, 5. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.

[33] *Regulus* — Joan. 46. Et erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Et Marc. V, 22. Et venit quidam de Archisynagogis nomine Jairus, et videns eum procidit ad pedes ejus, et deprecabatur eum multum dicens: Filia mea in extremis est.

[34] *Et lacrymae rerum* — Joan. XI. Quia vadit ad monumentum ut ploret ibi . . . Et lacrymatus est Jesus. Dicebant ergo Judaei : Ecce quomodo amabat eum . . . voce magna clamavit : Lazare veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus.

[35] *Projecit in undas* — Matth. VIII, 31. Daemones autem rogabant dicentes : Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis. At illi exeuntes abierunt in porcos, et ecce impetu abiit totus grex per praeceps in mare et mortui sunt in aquis.

[36] *Subitoque e sede superna* — Matth. IV, 8. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum, et dixit ei : Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Tunc dicit ei Jesus: vade Satana: scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Tunc reliquit eum diabolus, et ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei.

[37] *David salve inclyta proles* — Marc. XI, 7. Et duxerunt pullum ad Jesum, et imponunt illi vestimenta sua, et sedit super eum. Multi autem vestimenta sua straverunt in via, alii autem frondes caedebant de arboribus, et sternebant in via. Et qui praeibant, et qui sequebantur, clamabant dicentes : Hosanna: Benedictus, qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit regnum patris nostri David: Hosanna in excelsis. Et Matth. XXI, 12. addit: Et intravit Jesus in templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo, et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit, et dixit eis: Scriptum est enim: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.

[38] *Jactantque malignas* — Joan. XI, 48. Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.

[39] *O Solyme* — Matth. XXIII. Jerusalem, Jerusalem, quae occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.

[40] *Tune lavis?* — Joan. XIII. 5. Deinde mittit aquam in pelvim, et coe-

pit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat praecinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum: et dicit ei Petrus: Domine tu mihi lavas pedes? Respondit Jesus, et dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea. — *Hunc comites*. Et 15. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis.

[41] *Mors illi dabitur* — Eloquentissime Aug. 41. de pass. Dom. Dominus noster unus pretium nostrae salutis appendit, et una morte universum mundum sicut omnium Conditor, ita omnium Reparator absolvit.

[42] *Per auras* — Marc. XXII, 51. Et ipse avulsus est ab eis, quantum jactus lapidis: et positis genibus orabat, dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum a me. Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi Angelus de caelo, confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor ejus, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.

[43] *Magnum Patris incrementum* — Matth. XXVI, 67. Princeps Sacerdotum ait illi: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus filius Dei vivi? Dicit illis Jesus: Tu dixisti. Verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus caeli. Tum princeps sacerdotum scidit vestimenta sua.

[44] *Relligione parentum* — Matth. XXVII, 1. Consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversus Jesum ut eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum; et tradiderunt Pontio Pilato praesidi.

[45] *Sermone movetur* — Luc. XXIII. Pilatus autem audiens Galilaeam, interrogavit, si Galilaeus esset. Et ut cognovit, quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Hierosolymis erat illis diebus. Herodes autem viso Jesu gavisus est valde; erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum cum multis sermonibus: at ipse nihil illi respondit. — *Quando Relligio patrum*. Matth. XXVII, 15. Per diem autem solemnem consueverat praeses populo remittere unum vinctum, quem voluisset.

[46] *Barabbam* — Matth. XXVII, ib. Habebat autem tunc vinctum insignem qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis? Barabbam an Jesum qui dicitur Christus? Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum. . . Principes autem Sacerdotum et seniores persuaserunt populis, ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent.

[47] *Columna* — Matth. XXVII. Tunc dimisit illis Barabbam: Jesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.

[48] *Amictus* — Matth. XXVII, 27. Tunc milites praesidis suscipientes Jesum in praetorium congregaverunt ad eum universam cohortem, et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus.

[49] *Miserescite Regis* — Joan. XIX, 4. Exivit ergo iterum Pilatus foras,

et dicit eis: Ecce adduco eum foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam. Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum: Et dicit eis: Ecce homo. Et postea . . . Ecce Rex vester.

[50] *Undantis aheni* — Matth. XXVII. Videns autem Pilatus, quia nil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus coram populo dicens: Innocens ego sum a sanguine justi hujus: vos videritis.

[51] *Cyrene* — Matth. ib. Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenaeum nomine Simonem; hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.

[52] *Matres Judaeae* — Luc. XXIII. Sequebatur autem illum multa turba populi, et mulierum, quae plangebant et lamentabantur eum. Conversus autem ad illos Jesus dixit: Filiae Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros.

[53] *Stetit acri fixa dolore* — Joan. XIX, 22. Stabat autem juxta crucem Jesu mater ejus.

[54] *Communis amorem* — Joan. ib. Cum vidisset Jesus matrem et stantem discipulum quem diligebat, dicit matri suae: Mulier ecce filius tuus; deinde dicit discipulo: Ecce mater tua, et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

[55] *En qui regna sibi* — Luc. XXIII, 35. Et stabat populus spectans, et deridebant eum principes cum eis dicentes. Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus. Illudebant autem ei milites accedentes, et acetum efferentes ei, et dicentes: Si tu es Rex Judaeorum, salvum te fac. Et Matth. Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei: confidit in Deo, liberet nunc si vult eum: dixit enim: quia filius Dei sum.

[56] *Miserere nocentum* — Luc. XXIII. 34. Pater dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt.

[57] *Hanc animam serves* — Luc. XXIII, 66. Et clamans voce magna Jesus ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum.

[58] *At doluit natura* — Matth. XXVII, 52. Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, et terra mota est, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis.

[59] *Praegrandi fragmine claudunt* — Matth. ib. Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda, et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderant in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti.

[60] *E mortalibus ibat* — Quatuor Evangelia tacent de hac animae Christi ad inferos peregrinatione. Sed gravissimorum patrum auctoritate innitimur, et si alia desint, intra sacrae poesis terminos evagari jus fasque esto.

[61] *Redivivus in aura* — Sic Marc. Evangelium suum claudit: Et Do-

minus quidem Jesus, postquam locutus est eis (discipulis) assumptus est in caelum, et sedet a dextris Dei. — *Victaque Justitia.* Psalm. LXXXVI, 11. Misericordia et veritas obvlaverunt sibi, Justitia et pax osculatae sunt.

[62] *Succurrere spernit* — Notae adversariorum cavillationes. Minuc. Oct. Spernunt tormenta praesentia, dum incerta metuunt, et futura, et dum mori non timent. Et alibi: Ecce pars vestrum et major, melior, ut dicltis, egetis, algetis, opere, fame laboratis. Et Deus patitur, dissimulat. Non vult, aut non potest opitulari suis, ita aut invalidus, aut iniquus est.

[63] *Et natale solum* — Magnis de futuro Liberatore promissionibus tanta vaticiniorum successit seges, ut si tollatur temporum varietas, nihil inter veterum patriarcharum fidem et nostram interesse videamus. Praenunciata omnia de sceptro Judae ablato, de Christi e Virgine conceptione, de loco nativitatis: tum Innocentium strages, Christi in Aegyptum fuga, concionatio, miracula, passio singillatim praemonstrata. Quid quod ab ipso mundi primordio typi multi per omnem aetatem emicuerunt, quibus luculentissime futurus humani generis Redemptor praesignabatur?

[64] *Noe* — Arca Noes erat figura Ecclesiae, nam sicut extra arcam omnes perierunt, ita extra Ecclesiam omnes peribunt. Et Abraham pater omnium credentium Christi exemplar fuit. Scilicet Deum inter et Abraham percussum foedus longe illustrioris foederis imago fuit, inter Christum et Christianos; illo terra Chanaan Abrahae, et semini ejus promissa; isto caeli beatitudo Christianis omnibus exhibita. Nonne Isaac suis humeris ligna ad sacrificium bajulans Christum designat suis humeris crucem ad supplicii locum gestantem?

[65] *Praelo calcaris agresti* — Isa. LXIII, 3. Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum — *Regali.* Cant. Cant. III, 11. Egredimini, et videte filiae Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis ejus. — *Chlamys.* Isai. LXVIII, 2. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua, sicut calcantium in torculari? — *O vos omnes.* Jer. I, thren. 12. O vos omnes, qui transitis per viam attendite et videte, si est dolor, sicut dolor meus. — *Heu tunicam.* Ps. XXI, 19. Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem — *Dispergentur oves.* Zacch. XIII, 7. Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. *Felle.* Ps. LXVIII, 22. Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

[66] *Et non exuperabile numen* — Haec omnia apud Patres, qui nullam convenientiorem reparationis nostrae rationem arbitrati sunt, quam eam, in qua Misericordia et Justitia, virtus et sapientia se mutuo oscularenter. Itaque sicut nullum perfectius extat opus, quam Redemptio, inauditum omnibus saeculis divinitatis specimen exhibere voluit, quo quam latissime Dei gloria praefulgeret. Fulg. ad Tras. lib. II, 3. Cujus est inenarrabilis omnipotentia, qua nos gratuita bonitate fecit: nec minus tamen inenarrabilis gratia, qua nos

omnipotentissima miseratione salvavit. Qui et opus creatricis omnipotentiae gratis fecit, et opus gratiae salvatricis omnipotenter implevit — *Effigiem satagens.* Athanasii locus est illustris: Jam non fuit ullius alterius officium, corruptibile in incorruptibile transmittere, nisi ipsius Salvatoris, qui in principio ex non entibus entia condiderat; nec alterius erat, exemplar imaginis divinae hominibus restituere, nisi ejus qui ex se ipsissima vita est. Denique Nazianzenus orat. XXXIX. Quid ea stupenda mixtione potentius quam ut ea misceantur, quae misceri nequeunt, ac non solum nativitati Deus, et mens carni, et tempori quod expers est temporis, et mensurae quod circumscribi non potest, jungatur; sed etiam virginitati generatio, ignominia ei quod omni honore honorabilius est, et passioni quod pati nihil potest, et corruptibili quod immortale est, et incorruptum.

[67] *Crux inclyta Christi* — Doctrinae evangelicae excellentia, et sanctitas ejusdem, et admirabilis propagatio, et mira conservatio divinam et supernaturalem Christianam religionem evincunt. Hinc jure meritoque Tertull. advers. Jud. XII. Adspice universas nationes de voragine erroris humani exinde emergentes, ad Dominum Deum Creatorem, et ad Deum Christum ejus. Et si audes, nega prophetatum. Statim tibi promissio Patris occurrit in Psalmis dicens: Filius meus est tu, ego hodie genui te: pete a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.

[68] *Justitiae ingenitae species* — Ex Eccl. XVII, 6. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et bona et mala ostendit illis.

[69] *Dissolvere leges* — Matth. V, 17. Nolite putare, quoniam veni solvere legem aut prophetas; non veni solvere, sed adimplere . . . Audistis quia dictum est antiquis: Non occides? qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennae ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum. Audistis quia dictum est antiquis: Non moechaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem, ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo. Iterum audistis, quia dictum est antiquis: Non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis non jurare omnino. Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo et dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram. Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum? Ego autem vobis dico: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.

[70] *Praestare beatum* — Matt. V, 1. Accesserunt ad eum discipuli ejus et aperiens os suum docebat eos dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum.

[71] *Pro conjuge patrem* — Matth. XIX. 15. Et propter hoc dimittet homo patrem, et matrem, et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una: itaque non sunt duo, sed una caro. *Sunt quos debilitat Natura.* Ib. de Virginitate consilia. Dicunt ei discipuli ejus, si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis. Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de utero matris nati sunt: et sunt eunuchi, qui ita facti sunt ab hominibus; et sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum.

[72] *Et qui* — Matth. XX, 25. Scitis, quia principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus, sicut Filius hominis, non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis.

[73] *Perfectam vivere vitam* — Matth. XIX. 21. Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo, et veni, sequere me.

[74] *Modico vix tempore vestra* — Apost. ad Hebr. XIII, 14. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Matth. VI. 33. Quaerite primum regnum Dei, et justitiam ejus. XI, 12. Regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. Jacob I, 12. Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.

[75] *Dominumque* — Matth. XXII, 35. Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum. Magister, quid est mandatum magnum in lege? ait illi Jesus. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetae.

[76] *Regia caelo* — Luc. XI, christiani populi orationem narrat. Et factum est, cum esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum: Domine doce nos orare, sicut docuit et Joannes discipulos suos. Et ait illis: Cum oratis, dicite: *Pater.* Nec dominicam orationem opus est recitare, quae Christianorum lectorum quibus praecipue poema nostrum dedicatur, quotidie in ore et corde versatur.

[77] *Pectora perrupit* — Joann. XIX, 34. Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exiit sanguis et aqua. Quae verba communi patres consensu de septem Sacramentis intelliguntur.

[78] *Unda salutaris* — Baptisma. Hinc Petrus Epist. I, 111. 21. Salvos facit baptisma ; non carnis depositio sordium , sed conscientiae bonae interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi.

[79] *Chrisma sacrum* — Confirmatio. Apost. Cor. I, 22. Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.

[80] *Considere in aris* — Eucharistia. Joan. VI, 56. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.

[81] *Spem dedit* — Matth. XVIII, 18. Quaecumque alligaveritis super terram , erunt ligata et in caelo , et quaecumqne solveritis super terram , erunt soluta et in caelo. Et paucis verbis interjectis postulante Petro, 21: Domine quoties peccabit in me frater meus et dimittam ei ? usque septies ? Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.

[82] *Consociata phalanx* —Sacramentum Ordinis. Hinc Apost. I, ad Tim. IV, 14. Noli negligere gratiam, quae in te est quae data est tibi per prophetiam, cum impositione mannum presbyterii.

[83] *Extrema viatica* — Extrema unctio. Jacob. apost. epist. V. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae , et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini , et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei.

[84] *Conjugium instituit Christus* — Matrimonium. Verba illa a Deo ipso prolata laudavit Christus Matth. IX, 5. Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea . . . Quamobrem relinquat homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.

[85] *Laterana palatia fient*—Clarissimae familiae palatium, post interfectum Lateranum , imperatorium domicilium fuit, in romana urbe: sed Constantinus Augustus, magnificentissimus princeps, qui muneribus Ecclesiam locupletavit, amplissimam domum Silvestro et suis successoribus donavit, in eaque Basilicam Christo Servatori Deo dicavit.

PETREIDOS

LIBER XII.

ARGUMENTUM

Ethnicas aures offendit Christiani eloquii majestas, et Thraseas coetum dimittit infecto foedere — Male dissimulatam invidiam novit Petrus, utque ollis bene vertant omnia, Deum precatus, aulam deserit, nequitiae officinam — Exquilinum collem repetit, indignabundus caelestis doctrinae semina in agreste et asperum solum incidisse — Sed a Domino ruris, benignam aquationem precaturi, quo loca silvestria et inculta frugifera et fructuosa fiant — Jamque ad altare omnibus procumbentibus, ipse ingratum humani generis animum lamentatur — Et in augustissimo Redemptionis mysterio, singulare divinae caritatis, humanique sceleris certamen admiratur — Sub haec tibiis fidibusque modulate canentibus, mirabilis per aedem concentus auditur, nullisque symphoniacis apparentibus, tota cohors obmutescit, caelesti delectatione e circumfusa — Τρισαγιου denique ad aures pervenit, neque multo post, sexdecim seniores altare circumsepientes tuentur — Quorum aspectu venerabilior, apertum volumen ostendens ibi nunciat quatuor orbis imperia fuisse descripta — Chaldaei regis somnium perfectum — Lapidem immanem statuam ferientem, seque in montem magnum extollentem Christianae molis aedificium futurum — Danielem cognoscit Petrus, isque sermonem resumens sexdecim prophetas ad Exquilinas aras excubantes nominatim ostendit —

Qui Judaeam beneficiorum immemorem videntes, divinaeque veritatis principatum ex oriente in occidentem translatum conspicati, Romam confluxerant — Ibique, qua supremum fidei magisterium, perpetuo mansuros, ut credentibus solatium, et praesidium ferrent, incredulis nullum excusationis perfugium relinqueretur — Alia omnia interim in Caelio eveniebant — Ubi Musonio et Seneca incassum pro Christiana doctrina disserentibus, Thraseas et Lateranus, de Nerone interficiendo consilium resumunt — Redeunt Scaevinus, Lucanus, Piso, Rufus, summa omnium voluptate — Conjurationis auctores ad convivium vocat Lateranus, ubi hospitales inter epulas, iniquissima omnia de christianis vociferantur Phygillus, et Hermogenes Hebraei — Neronis caedes decernitur — Demum conflatam societatem juramenti religione Silanus devincit — Dimisso coetu, dum conjurati domos redeunt, Hebraei ad Palatinum contendentes conjurationem aperiunt — Helius, vicariam urbis procurationem gerens, absente Nerone, multorum caede perpetrata Romam terruerat — Et nunc nonnullos coitionibus factionibusque studentes opprimit — Sed paullatim in seditionem et discordiam verti omnia, neque se parem novitatibus comprimendis videns in Graeciam advolat — Qui tristes nuncii Caesarem theatralibus successibus exultantem haudquaquam commovent — In Graecia quieta omnia — Iphiti reminiscitur poëta, qui ab urbe exterminatus, et Athenis relegatus gravi diuturnoque morbo conflictabatur — Qui praepropero, et fervido ingenio Neronem secundis rebus effraenatum audit, domique manet, a se ipso desperatus, a ceteris relictus etiam amicissimis, veluti perduellionis reus — Visere illum et omnis expertem consolationis reficere saepe, sed frustra quaesierat Dionysius, atheniensis Antistes — Et nunc vi morbi ingravescente in vitae periculum adductum audiens, famulis non sine difficultate victis, domum ingreditur — Eumque in exigua spe animam trahentem reperit — Aegrotantem benigna oratione recreat — Eumen in tuto positam apud Christianos — Jesum natam servâsse, nunc patrem servaturum — Jesum servatorem aegroto compellante, exultat Antistes, eumque hortatur, ut Sanctissimum nomen saepius repetat — Id agebatur, ut Iphitus Neroni parceret, et Christo adhaeresceret — Sed omnem movit lapidem laboriosa Pontificis caritas, Deoque opitulante, omnia consequitur — Quo successu recreatus Dionysius effusis precibus Deum obsecrat, et praesentissimo miraculo Iphitus ad pristinam salutem revocatur — Sospitem dominum intuentur famuli, et tota domus plausu circumsonat — Sed, Dionysio praecunte, Iphitus, et omnis famulorum comitatus ad Ilissum descendunt — Ubi in Attica Christianorum Ecclesia pro recuperata salute Deo gratias solvunt — Christianis gloriis Athe-

nae circumsonabant; neronianis cladibus cetera Graecia exterrebatur— Corbulo imperator, rerum bellicarum scientia admirabilis, ex Armenia ad Neronem venerat, res gestas Romanorum exercituum praedicans — Parthos romani imperii aemulos arma deposuisse — E gente Arsacidarum regem eis impositum Tiridatem, pactis conventis, uti regium diadema ipsius Neronis manu acciperet — Tiridatem quamprimum ad urbem adfuturum — Caesaris invidiam fortissimi ducis modestia non impediit — Ad exercitum rediret, imperatum; ex Armenia regem deduceret — Dum ei morem gesturus itineri se parat Corbulo, in Graecia ipsa contrucidatur — Nero achaica peregrinatione tandem defatigatus Romam redire maturat — Sed dono post hominum memoriam pulcherrimo Graeciam de se optime meritam locupletat, quod illi ornamentum, sibi immortalitatem pariat — Convocatis itaque ad Circum e tota Graecia legationibus, Graeciam liberam pronunciat — Deinde, classe instructa, flectit in Italiam, prospera primum navigatione — Sed ad Capreas contra Neapolim, coorta tempestate, naves maximis turbinibus ereptae dissipantur — Romam naufragii rumor advenit — Jamque effraenata vulgi laetitia auspicatissimus ille dies salutabatur, cum, mutatis ventis, collectam classem ad Neapolitanum portum appulisse innotuit — Neapolim, Antium, Albanum triumphator Nero introiit — Et magnificentissimus post hominum memoriam Romae triumphus celebratur — Sed impotentis animi elationem primo in aulam introitu Poppaeae indignatae conspectus compescuit — Quae uterum gravem monstrans, nisi justas iisset nuptias, se e vestigio abituram, et in ultimos terrarum terminos Caesaream stirpem, spem imperii, allaturam minitatur — Iracundia muliebri deterretur Caesar — Et ad aram aulicorum penatium, tot perjuriis foedatam connubium celebrat — Sed aulicam et popularem laetitiam fregit jamjam eruptura seditio — E *Scaevina* domo prodiit exitium, per famulum Milichum patefacta conjuratione — Tunc iterum comprehensa Epicharis, si forte tormentis dilacerata mulier crimen confiteretur — Sed objecta constanti silentio denegavit — Utque confessionem effugeret, laqueo vitam finivit — Nero, Helius, Tigellinus, et Fenius Rufus e conjurato proditor perduellionis sedent quaesitores, et perduellium carnifices — Manipulis moenia et fora complentur, equiti et pediti mixtis Germanis, quibus Nero fidebat, tanquam externis — Saevis percontationibus exagitati conjurationis duces sese mutuis accusationibus lacessunt — Prodita omnis conjuratio — Piso, Lateranus, Scaevinus, Seneca, Lucanus, et demum ipse proditor Rufus mori adiguntur — Cassius et Thraseas domesticis latebris, Silanus voluntario exilio mortem effugiunt — Praemia delatoribus data, et gratiae

diis in Capitolio persolutae — Ethnica Roma supremo vulnere confossa jacuit, Christiana novis auctibus locupletata juvenescit, et latius propagatur — Lucinae domus uti senectuti addictum valetudinarium ad Janiculum dedicatur — Quae dedicatio solemnior evasit, quod Concilio Ecclesiae ex tota Italia convocato, quamplures itali praesules ad urbem erant — Qui frequentissimi ad augustiores ceremonias conveniunt — Christiano ritu cubilia precibus et sparsa aqua lustrantur — Templum divino cultui addicitur — Super ara Christianorum Martyrum Lypsanis cohonestata operatur Petrus, et concionem ad populum habet — Demum sacro peracto, ad convivium senibus opipare adornatum digrediuntur Antistites — Ubi, exhibito christianae caritatis documento, Summus ipse Pontifex, et ceteri praesules dapes ministrant — Exemplumque Lucius puer Lucinae filius summa omnium oblectatione sequitur — Itidem apud feminas praestantissimae Matronae, Lucina ipsa duce, mensis inserviunt — Seniores Christianae demissionis mysterio obstupescunt, et tanta principum dignatione excepti lacrymas tenere nequeunt — Romanae virtutis specimina itali pontifices demirantur, vereque Romanam Ecclesiam eam aestimant, in cujus vitam, veluti in speculum omnes intueantur — Sed sanctae laetitiae plenitudinem tristes nuncii ex aula abrumpunt — Nero, conjurationis victor consilium de incendenda urbe, deque christianis crimini subdendis non dubiis indiciis patefacit — Eaque audiens colloquia Torpes occultus in aula christianus ad Petrum defert — Neroniana audacia perterrefactus manet Petrus — Divinitus tamen factum videt, ut itali pastores de impendente tempestate commonefierent — Dumque de concilio habendo secum consultat, ille opportunior locus visus est, quo saepe ipse ex urbano strepitu, orandi causa confugiebat — Crypta arenaria ad portam Campanam, futura in posterum christianorum statio et sepulcrum, prima italorum antistitum synodo consecratur — Summi Pontificis ad Patres oratio — Et Hermagorae Aquilejensis Pontificis responsum.

Huccine prolapsus perituri spiritus aevi,
Ut lucem fugiant oculi, tenebrisque morari
Praetulerint? quales, Christo narrante, vocati
Convivae ad coenam [1], varia ratione benignum
Munus rejiciunt, emptum hic forte objicit arvum,
Conductosque boves, alter connubia pacta;
Haud aliter diae monita immortalia vocis,
Spernit concilium. Fidus praeit omnibus ipse
Interpres comitum Thraseas, vanasque morarum
Innectit causas: Neque te genus esse deorum
Abnuerim, Senior, neque caelo allata severae
Dogmata doctrinae: sed nobis multa supersunt
Expedienda: alias dicentem audire licebit.
Haec ait, et coetus, infecto foedere, solvit.
Indignatum animum agnovit, sensusque malignos
Maximus Antistes: Sic vobis Gratia caeli
Contingat, vestrisque sagax prudentia semper
Adsit consiliis. Dixit, vultuque salutat
Ridenti coetum, et confertam deserit aulam.

At non ipse sua contentus sorte redibat
Antistes. Christi monitum [2] reminiscitur, atque
Conspectat moerens nequicquam semina terrae
Credita, quae inciderunt per inhospita tesqua rigenti
Horrida dumeto, et cumulis male pinguis arenae.

At nos interea sacras adeamus ad aras,
O socii; Dominum prece non ambimus inani,
Quo pluvia glebas infusa frangat inertes,
Quique potest, scatebris arentia temperet arva.
Talia dicebat: tum coetu septus amico
Exquilium repetit collem, templumque revisit.
Suppliciter sanctos sese glomerârat ad aras
Tota cohors, Petrus sancto suffusus amore
Talia fundebat: Quem te, Deus optime, cerno?
Parcere tu poteras homini, vitamque priorem
Largiri: at rebus Bonitas diffusa creatis
Quanta per terras quam mira luce redemptas
Splendidior micat! Aetherea delapsus ab aula
Largiris te homini, divino ut mactus honore,
Sese, sponte sua, reseratam attollat ad aethram.
O bonitas, o amor, tua quis praeconia dextrae
Aequet inexhaustae? ingratum quis respicit orbem
Dia rependentem furiis benefacta profanis,
Audetque arcanos bonitatis noscere fines?
Sic ille, et subito symphonia murmure dulci
Assonuit: qualis per noctem aestate serena
Obloquitur fidibus vario discrimine vocum
Lecta phalanx, citharae strepitum fert mobilis aura
Aspirans, anima e mortalibus excita vinclis
Laetitiae exultat jucundo innare fluento.
Ast humana forent levia haec simulamina veri.
Christiadae citharae immortalia fila sonorae
Agnoscunt, blandumque prope increbrescere murmur
Auditur: tamen unde venit concentus in auras,
Ignorant, et nemo audet perquirere: talis,
Tanta soni species praecordia tacta serenat.

Excitae mentes suavi modulamine terram
Humentem spernunt, superisque videntur adesse
Caelicolûm ordinibus, caelique errare per orbes.
Ut vero ardenti requiêrunt pectore, cessant
Vota precesque Deo, nubes terrena repente
Decidit ex oculis, Caelestumque emicat agmen.
Ima bisseni, summa stant quatuor ara
Perfectae aetatis proceres [3], queis candida vultu
Majestas: viridi redimiti tempora palma
Sustentant dextra reserata volumina; in unis
Defigunt oculos, neque dulcior ulla videtur
Cura movere animos. Idem rapit impetus omnes,
Unanimi resonant eadem praeconia voce,
Teque, Deus ter Sancte [4], vocant, ter Maxime, terque
Optime, quo melius nihil et sublimius uno.
Hic tacuere. Simul conferto ex agmine surgit
Magnanimus senior, digitoque volumen apertum
Pontifici ostentans: Haec, inquit, pagina monstrat
Quatuor imperia, et Romae venientia fata.
Nôstis, Christicolae, Chaldaei somnia regis [5],
Quae babylonicas exul traductus in oras
Explicui? nunc vera patent. Nox alta silebat,
Confestim immenso se attollere corpore vidit
Ingentem statuam, excelsam, obtutuque minaci
Terrere attonitum. Caput inter nubila fultum
Totum auro, argento pectus et brachia, venter
Cruraque stant aere, et ferratis utraque nodis
Tibia: tum pedibus pars altera ferrea, limo
Altera. Commotus stupuit novitate tyrannus.
Ecce autem summo vicini e vertice montis
Sponte sua lapis erumpit, pedibusque trementem

Percutit effigiem. Concusso vertice nutat
Illa fremens, mox mole sua collisa recumbit,
Et velut, aestivos quando terit area culmos,
Si flammae inciderint, stipula crepitante nigrantem
Per fumum cernis rapidas volitare favillas;
Haud aliter detrita cadit per fragmina moles
Congesta, et tenues equitans fert eurus in auras.
At lapis interea crescit mons magnus, et omnem
Implevit terram. Perfecto tempore tandem
Nos effata Dei, fratres, perfecta videmus.
Quae viguere diu resoluta mole fatiscunt
Imperia: adveniens caelestis vertice montis
Christus vix dio tetigit pede, sparsa feruntur
Fragmina, et extremam late traxere ruinam.
Agnôrat Petrus Danielis nomen in ora
Extrema inscriptum, sed nunc manifestius ipsum
Indigetat sermo: Tanto dignabor honore,
Scilicet, ut videam qui olim Babylone superba
Heros captivus judaeam sustinuit rem?
Qui Beli mystas mendacia foeda locutos
Arguit, et monstrum oppressit crudele Dagonem[1]?
En ego sum Daniel, inquit; famulamur eidem
Nos Domino, cui vota sacras libatis ad aras.
Isaiam cernis Tyriisque Syrisque canentem
Fatale exitium, et felicia tempora Judae.
Ille est Jeremias, qui lamentabile funus
Judaeae ostendit, si fors meliora sequatur:
Tertius Ezechiel tibi adest, qui Chobar ad amnem
Ingratos populos iterumque iterumque monebat.
Hic Oseam atque Joel et Amos Jonamque Nahumque,
Abdiaeque vides Habacuc, junctumque Michaeae

Sofoniam, Aggaeoque parem, licet horrida vexent
Zacchariam exilia, atque, pium quo clauditur agmen
Malachiam. Quamvis diverso tempore vates
Dimisit Dominus Judaeam excire jacentem,
Omnibus una tamen vox, omnibus exiit unus
Clamor caelestis canere incunabula regni.
At natum Judaea Deum male grata rejecit:
Et nos, fraterno qui juncti foedere sanctum
Suevimus ostentare diem, tellure morari
Amplius ingrata pertaesum est: auspice Christo,
Te sequimur, tecum hesperias transnavimus oras
Qua Christi delecta sacris domus inclyta, quae omnis
Veriloquo fuerat nobis meta unica cantu.
Appenninivagi qua propter Tibridis undam
Roma potens magnas vasti regit orbis habenas,
Lampades ardentes sancta ad sacraria, quae sunt,
Quae fuerunt, et quae ventura trahentur,
Cunctis terrarum populis ostendimus, ingens
Ut Christo nati lumen speculentur obortum,
Et se monstrati recreent solamine veri,
Degeneres, qui ultro prognatae lucis honorem
Contemnent, nullis sese defendere possint
Artibus, aut jussis supremi obstare parentis.
Nec plura illustris vates, visumque recessit
Extemplo ex oculis: animo novus, aureus, ingens
Fons oritur lucis; sociis mirantibus addit
Plurima Romanus Pater, exiluitque recenti
Christiadûm soboli caeli manifestius omen
Fulsisse, ut penitus terrae sordentis amores
Exuerent, caelis immoto corde manerent.
At nostros revocant laterana palatia gressus.

Tum patuit, clara quod prudens ipse Corintho
Dictârat Paulus: Christi sapientia [7] foedis
Dedecus Hebraeis, caecis dementia visa est
Gentibus. Et Philo et Joseph graviore tumescunt
Invidia. Ceu si veteris decora inclyta Judae
Christiadûm nova progenies delere minetur,
Quae cunctis populis communia jura propagat,
Ira odioque parant doctrinam evertere sanctam,
Infensoque animo magna egrediuntur ab aula.
Nec tamen illorum quicquam auxiliaribus armis
Fidunt Romulidae, rigido quos jure tenaces
Seditione vident tutos secedere ab omni.
Cassius [8] in primis jaculo confixus acuto
Conticuit. Quondam non aequo cedere campo
Actus avus, cernensque suis obstare rebellem
Fortunam signis, animo defecerat, atque
Virtutem vanum simulacrum et inane vocârat:
Quî poterat spectare nepos documenta recentis
Doctrinae, dictante Petro, solam affore terris,
Solam virtutem sanctum et venerabile nomen?
Justitiam tandem luce illuxisse beata,
Qua sine nulla valet terris consistere virtus?
Quamvis diffuso Demetrius omnia risu
Turpior excepit cynicus [9] (neque stoica distant
Nî tunica a cynicis) rabidusque latrator acerbo
Discerpit morsu peregrini dogmata cultus;
Inconsueta Sophos tetigit doctrina disertos.
Haud secus aërio si ardentia fulgura tractu
Extemplo exiliunt, vivis splendoribus aurae
Scintillant circum emotae, devicta fatiscit
Impatiens oculorum acies, neque tendere contra

Audet; sic dudum studiis assueta severis
Saucia mens remanet. Subito Musonius orsus:
Ast ego nil credo majus Zenone magistro
Graeca tulit tellus, nil et majora creavit
Ingenia; at numero paucos ratione potentes
Excelsosque animo, gravior sapientia nutrit.
An genus humanum austeros accedere fontes
Omne jubes? frustra id speras, et turba refugit
Territa doctrinam, fines quae undare per omnes
Tot mala contemplans medicamina nulla ministrat:
Sed mala despicere, et tutam rationis in arcem
Confugere hortatur. Mala nomen inutile censes?
Nos ruere in pejus misera vertigine raptos
Conspicimus populos: ceu si natura veneno
Perdita succubuit, mediis corrupta medullis
Immoritura jacet, perque omnes pessima sordes
Versatur: namquis poterit relevare caducam?
Communes quisnam audebit praescribere leges?
Praescriptas leges quaenam observare jubebit
Imperii virtus? Mecum haec saepe ipse revolvi,
Et desperandum humana de sorte putavi.
Tum vero Annaeus [10] graviori voce profatur.
Me rure assuetum per longa silentia vitam
Ducere, non antiqua latent conamina gentis
Hebraeae. Illa quidem mores contendit avitos
Servare incolumes, cunctasque extendere in oras.
Illa deos omnes, quot florens Graecia nobis
Attulit, audacter temnit, sibi mente potentem
Ambitiosa Deum fingens, huic credula soli.
Sed foeda cum gente nefas confundere stirpem
Christiadûm: innocuam adspicio consurgere gentem.

Quae nova per populos nullique indicta Sophorum
Disseruit Senior! mala partim avertere sperat,
Si perscripta piae sequimur moderamina normae,
At partim facere hortatur leviora ferendo.
Denique (nec terris major medicina paratur)
Adsit homo clemens homini, poenasque benignus
Dividat, et fratri rebus succurrat in arctis.
Omnes namque velut magno de corpore sparsa
Membra sumus; cunctis eadem et communis origo;
Non eadem jura, et populis amor omnibus idem?
Haec Seneca: obtusas frustra vox perculit aures,
Assuetique Sophi jamdudum somnia Patres
Deridere, novo dicta excepere cachinno.
Vera quidem fabor: nî luxu effoeta pudendo
Mens Senecae effluerét (primum assentatio turpis
Aulae, mox tenuit curarum ignara voluptas),
Cessisset victus germani lumine veri.
Talia dum reputant, Thraseas non futilis auctor
Consiliis habitus, priscis hortatibus omnes
Accendit comites: Romanas pendere sortes
Romanos decet: externis confidere dextris
Indignum: stricto fas est decernere ferro
Flebile dissidium. Satis, inquit, funera nostra
Vidimus; invitus jam desolata pererro
Compita, quae video luctu recidiva diurno
Lumina tot plorare virûm. Dum graja peragrat
Oppida vesanus fidicen, tenet aulica castra
Alter libertus, dominoque ferocior ipso
Aggere murorum tectusque silentibus umbris
Territat immundo pendentem numine Romam.
Nec minus ipse etiam romanae caedis acervos

Accumulat: Romae innocuo fora sanguine inundant,
Dum nos externas sequimur per inania nubes.
Et nunc si obscoenis princeps remeabit ab Argis,
Funditus occidimus. Prisca ad consulta revertor,
Tunc Lateranus ait; sua munia quisque capessat,
Praecipitare moram hortatur commune periclum.
Ibo ego, cunctantes animos in aperta parabo
Consilia, et quando jam jam erumpentibus iris
Commotus, Domino praefectus iniquior ipso
Secretas sese abripuit tremefactus in aedes,
Collectam revocabo aciem; Tyrrhenaque monstrum
Littora si exitiale voment, medio ipsa triumpho
Roma eversorem extinguet sublata tyrannum.
  Interea elapsi comites formidine prima
Paullatim redeunt, Piso, et Lucanus, et atrox
Scaevinus, Rufusque ferens praetoria signa.
Ipsi ubi dejectos aula migrâsse relicta
Christigenas novere, infectaque foedera cernunt,
Elatis animis Laterana palatia scandunt.
Utque prius venere, choro ridetur ab omni
Praecipiti super effugio: sed laetior ipse
Aulai dominus : Jubeo salvere receptos
Atque expectatos, ait: instaurare licebit
Consilia, et foedus mensis sancire sacratis.
Ut primum accubuere toris, sermo omnibus unus
Caesaris adventus, et lamentabile Romae
Exitium. Hebraei generis duo monstra Phygillus
Hermogenesque ruunt, fanda atque infanda loquentes:
Christiadûm natam pecora inter inertia turbam
Incusant residem: Obscoenae ne credite sectae,
Quae sublime sonans tantum dat inania verba.

Jerusalem porro romanae proderit urbi.
Talibus infremuere ambo; laquearia replet
Clamore immenso Hermogenes, strictumque coruscat
Mucronem: extinctum haec debet mihi dextra Neronem.
Hos inter motus mensae incaluere secundae.
Liberiora ciet fervens praecordia Liber,
Fitque ingens strepitus. Famulus, poscente Silano,
Spumanti ingentem referens cratera falerno
In medio posuit. Silanus sustulit illum
Continuo, dextraque tenens vocat hospita primum
Numina: tum socios, fera sacramenta reposcens,
Compellat : Patriae deterrimus imminet hostis,
O comites: ferrone suo moriemur inertes?
Romani moriamur, et haec liberrima nostris
Exeat e membris anima, et demigret in orcum.
Ut nunc spumantem pingui cratera lyaeo
Haurimus, coeptis si fors inimica resistet,
Juremus comites nigrum potare venenum,
Nec patriae eversae cineri superesse supremo.
Haec ait, et pateram spumantem exhausit, in orbem
Hoc faciunt alii, atque alii, jurantque vicissim.
Cassius illacrymans: Mihi nunc si tarda senectus
Non foret, o Juvenes, ego vos concurrere solos
Non sinerem, aut sola patriam defendere voce
Auderem: vos ite, quibus calet integer aevo
Sanguis. Dum facinus patrabitur, affore capti
Impedient oculi, sed praesens mente saluto
Tot defensores Romae, totamque per urbem
Vectatus caecus vestrum celebrabo trophoeum.
Talibus intentos sermonibus orta revisit
Aurora, atque domum redeunt sua quisque reportans

Consilia, hortanturque acies, et foedera jungunt.
  Lethiferi quales colubri mala gramina pasti,
Lucifugae pingues hortos, et florea culta
Vitantes, per opaca vagantur lustra, specusque
Silvestres, qua dira suis aconita virescunt
Cognata ingeniis, horrescuntque ardua densis
Tesqua cacuminibus; tales duo monstra Phygillus,
Hermogenesque ibant. Vobis id scilicet unum,
Judaei, remanet. Mendaces improba postquam
Finxit proditio, mens omnem exuta pudorem
Fas miscetque nefas: procerum captare favorem,
Criminibus terrere aulas, concepta tenebris
Prodere consilia, insidiis regnare dolosis,
Vestrae sunt artes. Ergo gradiuntur ad aulam;
Insidiis referunt tempusque locumque paratum;
Arma virosque notant. Urbanam, absente Nerone,
Tractabat curam immiserabilis Helius, impar
Fraude Tigellino, at major concessa facultas '',
Ne detrimentum caperet respublica. Complet
Commissum officium sueta feritate minister,
Aulica nequities, Romam terroribus implens.
At conjurati malefidum evertere regnum,
Ocyus incubuere operi, prorumpere voces
In vulgum ambiguas, aulaeque extrema minari.
Helius excubias duplicat, tutaeque quieti
Invigilans, quosdam sese imprudentius ausos
Jactare, interimit, contempto principe sontes.
At frustra: qualis concepto fomite flamma,
Quam, domino ignaro, injecit praesepibus altis
Vis inimica, viam si forte arentia pandunt
Nutrimenta, suas nullo turbata labore

Firmat opes, latoque acies vulcania gressu
Deproperans caecis tandem prorumpit ab antris,
Quoque cavas monstrant spiracula prima fenestras,
Emicat ignovomo ore minax, obsessa coruscat
Tota domus flammis, fastigia summa relucent;
Haud secus occultae dudum tectaeque tenebris
Insidiae erumpunt, verbis vultuque minaces
Ductores volitant, conjuratusque tumultus
Excitat audacem subito rumore juventam.
Helius (hebraeae fidei jam credere adactus)
Aequora conspiciens majora tumescere, seque
Impotem arenivagos pelagi superare fragores,
Primum, legatis missis, denunciat urbem
Defecisse fide: praesens mox ipse periclum
Edocet, argolicis inopinus et adfuit oris.
Caesareum auleten choreis ludisque vacantem,
Nec nisi Apollineas lauros, et festa studentem
Praemia, quae jam jam supra caput adstitit atra
Tempestas, nihil excivit, sequiturque proterva
Errans stultitia vesanae gaudia plebis.

At non oblitum mea deseruisse camoena
Iphite, te poterit. Romae praetoria circum,
Dum stricto errabas furibundus acinace, dumque
Captus mente, oculis, toti convicia Romae
Jactabas, ausus romani signa tyranni
Laedere, te vidi, atque tuo persaepe dolore
Indolui, et latia projectum longius urbe
Delatum ad patrii comitavi littoris oram.
Quae te moesta tenet regio? quibus orbis in oris
Jactaris? Magno si te superesse dolori
Caelicolae dederunt, si invitum ingrata moratur

Patria, deses eris? grajas equitare per urbes
Ten'vivo poterit Caesar? Patiere Neronem
Totius immunem belli, atque impune quietum
Exultare malo, actaeum foedasse senatum?
  Iphitus ingenti labefactus vulneris ictu
Jamdudum aegroto languebat corpore. Portus
Vix tetigit patrios, rabiem mollire ferinam
Nescius, insanos violentior occupat artus
Febris; tabifico premitur languore, nec ulla
Paeonia ars miserum juvit, studiumque medentum.
Ingentes audit strepitus, circoque quadrigas
Immissas, subitoque elata theatra per urbes
Audit, et infractis luctatur viribus omnem
Spernere vim morbi, invisoque assurgere lecto.
Et conferre manum, et media praevertere arena
Quaereret. Infelix! dum fido accingitur ense,
Et clypeo armari, objectumque paratus in hostem
Desilit e strato, morbi vis acrior urgens
Districtum dextra mucronem extorquet, et illum
Dejicit, effusumque toro excepere frementem
Errantes famuli, quibus unis cura relicta est
Solam custodire domum, et lenire dolentem.
Omnis amicorum fallax comitatus abivit,
Ex quo caesareo contactum crimine cernunt.
At non deseruit miserandum Antistes amicum
Atticus. Horrendos casus Dionysius olim
Audierat, versamque domum, subitasque ruinas
Lamentans, saepe affatus moerentis amici
Quaesierat; vestigantem sed limina saepe
Respuerat flammata odiis aversa voluntas.
Ut vero immanis morbi formidine captum,

Versatum sensit properantis turbine lethi,
Rursum tentat iter. Crebro frustratus in îsdem
Sedibus haerescit, moriturum visere quaerens.
Noverat ille, animos quod saepe indigna ferentes,
Atque diu superis se opponere viribus ausos,
Terribili monitu horrificat Deus, atque sonantem
Excutiens pharetram telo transfigit acuto,
Aut ad humum moerore gravi deducit et angit,
Sicubi terrena ebiberint fastidia, et ultro
Incipiant terris meliora optare relictis.
Objicibus ruptis, vetitas audacior aedes
Perrumpit Pastor, famulos fiducia vincit,
Et nemo impediit: gravitas Senis inclyta cunctas
Exuperat valvas, thalamoque moratur in alto.
Ipsi admirantes ultro cessere propinqui.
Ingreditur, miserumque toro conspexit amicum,
Vitam exhalantem, suspiriaque aegra trahentem.
Et propior: Tibi, amice, inquit, Dionysius affert
Iphite, pacem aegro. Obscoeno depressa sopore
Lumina sustollens: Namquid turbare quietem
Extremam ipse venis? inquit; mea fata propinquant,
Ecce volens stygios tandem provolvar ad amnes.
Quid stygios memoras amnes? tum mollior orsus
Antistes: melior caelum te patria, caelum
Te manet: aetherei legatus numinis adsum:
Eunen Christiadûm defendunt limina sancta.
Vivit nata mihi? vivit? Sic lumina flammea
Intorquens. Vivit: majori voce secutus
Antistes: vivit: quem tu aspernaris Ïesum,
Ipse tibi incolumem natam tutatur: Ïesus?
Tunc aeger repetit: mihi da cognoscere natae

Hunc servatorem . . . Natam complectar? . . . Iesus
Ipse mihi reddet? Sanctum saepe, Iphite, nomen
Compella: magno Pastor repetebat amore:
Ipse tibi antiquam poterit reparare salutem.
Optarem certo: lacrymis ingressus amaris
Iphitus: optarem injecta terebrare sagitta
Caesareum pectus, fluidumque haurire cruorem.
Sic ait: ursa velut, quam inter vepreta vagantem
Venator globuli tormento stravit aheni,
Quassa solo illa tremit strepitu stupefacta feroque
Vulnere; si subeunt deserta per avia nati
Palantes, cognata acri suadente dolore
Ardescit rabies, collecto robore sese
Erigere, et flammam excuperet saturare cruentam;
Frustra obluctatur dudum, revolutaque fertur
In terram: talis species miserabilis aegri
Cecropidae: saevit scelerata insania ferri.
Arma fremit; ferte arma . . . ibo: extinctoque tyranno,
Hanc animam saltem perfuso explebo cruore.
Has inter voces, aegrescit anhelitus ore
Difficilis, lectoque cadit resupinus: egentem
Consilii spectant, et luctisonos ululatus
Extollunt famuli: strepitu tota insonat aula.
Accedens Pastor: Clamantem respicis Eunen,
Iphite? Christiadûm sancta ad penetralia salvum
Eune nata vocat. Percussus nomine tanto
Tabentes oculos aperit, suetumque resumens
Eloquii officium: Sequar o quo nata vocabis.
Si sequeris natam, faciendum suppetit unum,
Quod statuit Christus signum sua castra seculis;
Ille tibi parcit clemens, tu parce Neroni.

Talibus Antistes. Furiosior increpat ille:
Quid me, nata, jubes? te praedo barbarus aufert,
Ipse olli parcam? non exorabilis ultor
Eripiam medio cor pectore, viscera flammis
Imponam laniata tibi, Rhamnusia, sacrum.
Insultans veluti sonipes, qui vincula nulla
Sensit adhuc, aereis si primum obstricta lupatis
Ora movens eques arrectis superinsilit armis,
Ire docens; immissa fero retinacula collo
Nescius ille pati, micat auribus, et tremit artus,
Excutere elata quaerens cervice regentem;
Iphitus haud aliter nullum placabilis audit
Consilium. Duplicat crebros Dionysius ictus:
Nec dea sacrilegum repetit Rhamnusia sacrum,
Nataque caesarea sospes diffugit ab aula.
Iphite, nil anima [12] hac potius, tantumque necesse est
Aeternam, immensa pretii mercede redemptam,
Prae reliquis unam stygiis abducere flammis,
Et tuto statuisse loco. Tu perdere natam,
Obluctans caelo, genitor malesane, ruebas;
Caelestis pietas fraudes elusit iniquas,
Devotamque suis adducit ovilibus agnam.
Caesarea insperata salus praepanditur aula,
Qua mortem oppetere, et casus tolerare nefandos
Tu pater obtuleras. Melius tibi consule: Nata
Jam dignum te finge tua: Deus imperat; ipse
Quam dedit ultro tibi, veniam concede Neroni.
Nata jubet: nata poteris spirare relicta?
Ast aeger nihil his: vario mens fluctuat aestu.
Tum Pastor caelum lacrymis suspexit obortis:
O Jesu, o clemens Jesu, generisque Redemptor

Humani, atque salus, tanto concurrere bello
Cogitur, impuro corrupta cupidinis igne
Natura? usque adeo durum est pervincere lucta
Interiore animum? Sancto at reparata cruore
Natura amissum decus imperiumque resumpsit.
Auspice te, poterit furiis latrantibus irae
Obstare, atque tuis humiles submittere plantis.
Da, Pater, auxilium. Turbantibus aequora ventis,
Dum fera tempestas septem demissa trione
Bacchatur, frontem si quando pandit honestam
Eos, vicinum jamjam consurgere solem
Nuncia, discedunt Euri, maria alta residunt;
Sic fundi nova per placidum clementia vultum
Visa, reluctantemque animum genitoris, et omnem
Vincere duritiem, et meliorem immittere mentem.
Antistes geminare preces, et poplite flexo,
Exorans: Jesu, nostris, Jesu, annue votis.
Attica tartareis, inquit, cooperta tenebris
Indiget exemplis gravioribus: eja potentem
Exerito dextram Omnipotens, passumque saluti
Restitue antiquae. Nec plura effatus ad aegrum
Protinus accedit: malesana fronte verendae
Signa Crucis signans, et magna voce jacentem:
Iphite, conclamat: strato consurge relicto,
Sic Jesus jubet, incolumis. Paretque vocanti
Iphitus; aegroto discedit corpore febris,
Et primus redit ore color, membrisque virilis
Majestas, carumque stetit complexus amicum.
Laetitia exiliunt famuli, dominumque vigentem
Mirati excipiunt: et mox turba ilicet omnis
Circumfusa senem medium complectitur: illum

Debellatorem morbi, dominique salutant
Servatorem. Unus, famuli, servator Jesus,
Clamabat Pastor: propria qua sede moratur
Omnipotens opifer, brevis est via, (namque propinqui
Ilissi ad fluvium surgit venerabilis aedes)
Descendamus, ait; Jesu solemnia vota,
Gratae laetitiae obsequium laudesque feramus.
Pastorem aegrotus sequitur: populi effluit unda
Certatim, magnusque ruit concursus ad amnem,
Totaque festivo strepitu circumsonat aedes,
Christe, tibi, meritas grates laudesque canentum.
Attica dum sanctis plaudit mirata triumphis,
Dumque Dei manus insueto terrore coactum
Caesareum prohibet monstrum, tutaque quiete
Ambrosiam spargit pollens Ecclesia vitam,
Caetera barbarico trepidat peragrata tyranno
Graecia: miscenturque una deterrima cuncta
Obscoenae veneris sordes, caedesque nefandae.
In primis latas Pelopis conterruit urbes
Romani ducis exitium. Dum martia virtus
Romulidûm obscoeno languebat fracta veterno,
Aemula romani imperii gens parthica sumptis
Armis audebat socios tentare latinos
Foedifraga, et Romae juratas rumpere leges.
Corbulo [13], ubi interni laniatam turbine belli
Contudit Armeniam (ipse unus vexilla Quiritum
Longo obsepta situ ad priscum revocavit honorem)
Pacem composuit, soliumque evexit in altum
Arsacidam antiquo prognatum sanguine regum.
Et mox Argolicas alacer tendebat ad oras,
Splendida virtutis narrans monumenta latinae:

Armeniam subiisse jugum, petiisse subactam
Principe romano regem, et regalia signa:
Fulgebit, Caesar, romanis maxima fastis
Illa dies, tanti qua splendida forma triumphi
Armenia celebrata fuit, gentesque rebelles
Jurârunt prisca pro majestate Quiritum [14].
Qua calido nuper rubuerunt castra cruore,
Constitit instructis duplex exercitus armis.
Hinc campo undabat Parthorum equitatus aperto
Auro intertextis phaleris, peltisque decoris
Agglomerata acies. Legionum hinc laeta juventus
Explicuit sese: laetis victoria pennis
Circum errans radiis pingit fulgentibus arma,
Incessuque patent domini, pulcherrima pubes
Ausonidûm, gravitasque decens regit inclyta Romae
Numina, fulgentes aquilas. Insigne tribunal
Eminet in medio, signisque ornata Deorum
Caesaris effigies. Acies stetit utraque contra.
Hinc ego progredior medium Romanus in aequor,
Illinc Arsacides: positis mactantur in aris
Lanigerae pecudes, adolescunt thurea dona.
Tum vero duplicem gemmis auroque coronam
Extulit Armenius, monstratamque ante verendam
Caesaris effigiem statuit, dextraque resumptam
Regali imposuit capiti: dein voce suprema
Ductorum primi genium numenque vocamus
Induperatoris: magnus ferit aethera clamor.
Romula respondet clamore, et parthica pubes.
Ictum tum foedus: communi foedere pactum,
Ut Romam Arsacida adveniat; diadema sacratos
Caesaris ante pedes statuat, tuque, inclyte Caesar,

Firmatum trades romano nomine regnum.
Talia narrabat virtutis maxima facta
Romulida exiliens, romanaque signa ferebat
Aequatura vetus tanto sub principe nomen.
Audivit tacitus Caesar, subitisque coactus
Invidiae stimulis: Me nunc graviora morantur,
Inquit, jam redeas; ut Parthus foedera faxit,
Praesens hortare, et Regem deducito Romam.
Bellipotens ductor, poteras sperare, quod istis
Imperiis lethi jussa importuna laterent?
Simplex ingenium, dictis parere severae
Militiae assuetus, jamque aulae pessima furta
Ignorans ibat, meliori dignior aevo
Heros, quamprimum quaerens propiora Mycaenis
Littora, quo Euxinum argoa superare carina,
Caesareosque alacer posset curare triumphos.
At Caesar metuit magna inclarescere fama
Virtutem ingentem, nec priscam Agamemnonis urbem
Corbulo conspexit, lethoque peremptus acerbo
Oppetiit. Foede morientem [15] territa vidit
Graecia: militiae majestas prisca latinae
Extremum lacrymans vidit pallescere sidus.
   Tum tandem taedet noctemque diemque Neronem
Fessum circumagi: subiit pulcherrima Roma.
At primum tanto gratus respondet honori
Quo cumulant Graji, insperataque praemia reddit.
Exere festivam caelo frontem, indue cultus
Graecia sepositos, longum obliviscere luctum.
Tot laniata malis, servili vincta catena
Ipsa jaces: tandem pulcherrima tempora vitae
Exactae memora: priscum spectabis in aurum

Saecla redire: nihil quidquam Regina propinquis
Invideas populis. Animo graviora volutans
Caesar, quo praesens aetas, quo postera nomen
Aeternum magnique colat benefacta Neronis,
Grajugenas omnes in coetum littore ab omni
Imperat acciri, solemnesque ordine pompas
Apparat ad circum. Complent ingentia jussa;
Jamque adeo fulgente die, stat Graecia tota
Ad stadium: lectis equitum comitatus, et omni
Concilio procerum, curru festinus ovanti
Ingreditur stadium Caesar; circumstrepit omnis
Unda salutantum impatiens; celsum ille tribunal
Qua contemplantis populi stupefacta teneret
Lumina, conscendit, cunctisque tuentibus, ipse
Voce sonans magna fatur: Te Graecia, mater
Heroum, Mavorte potens, et Pallade, prisca
Libertate Nero donat [16]: nec plura locutus
Subsedit. Superas confestim it clamor ad auras:
Laetitia plausuque fremunt subsellia cuncta:
Grajos promissi decus admirabile saecli
Extollit: veterum succurrit gloria rerum
Quae scriptis vivax loquitur, delere vetustas
Nulla potest, lacrymaeque oculis eccidere volutae.
O spes fallaces! libertas nomen inane est,
Si virtus cessit: vitiis longoque veterno
Graecia torpuerat; furiosa licentia morum
Libertasque decens sub eodem vivere tecto
Non poterunt: prius obscura sol nocte micabit,
Et flammas jungetque nives concordia constans,
Quam inter se coëant pugnantia semina. Sperat
Graecia nequicquam, gravioraque vincula sentit.

At Nero, sive Deus, seu jam mortalibus aegris
Munere concessus divûm (sic Graecia clamat,
Sic putat ipse Nero fama tumefactus inani),
Festivos inter plausus, fremitumque faventum
Circum deseruit. Roseo nitidissimus ore
Julius emicuit caelò, puramque per aethram
Ducebat laetas spirantes molliter auras,
Quae non aëriis contentae ludere campis
In mare velivolum incumbunt, placidoque susurro
Antevolant nantes tranquilla per aequora pinus.
Qua levis invitat Zephyrus, laetata juventus
Deducit latias pyraeo e littore naves,
Et festos inter plausus, atque omina laeta
Argolicam extremo terram clamore salutant.
Fortibus incumbunt remis, urbesque recedunt
Paullatim ex oculis, placidi indulgentia caeli
Monstrat iter laetum, et cunctis spes certa refulget
Ausonios breviore via contingere portus.
Multos jamque dies Zephyris adjuta secundis
Remigio celeri magnum superaverat aequor
Classis, et italicas recta volitabat ad oras,
Et procul obscoena Capreas in caute locatas,
Et celsam videt aequoreo se attollere fluctu
Inarimem, ecce actus rapidis aquilonibus imber
Incubuit pelago, subitoque coorta procella
Nigranti medium texit caligine caelum.
Turbatur mare continuo, disjecta feruntur
Navigia huc illuc, partem rapit aequor in altum
Ventorum ira minax, nec spes datur ulla salutis.
Stantem in conspectu classem [17], cursuque secundo
Videre aequatis gentes procedere velis,

Et nunc horrendo correptam turbine cernunt
Elabi ex oculis. Volitans pernicibus alis
Fama movet Romam, et veris mendacia miscens
Nunciat effusos imbres, fractasque carinas,
Disjectosque mari nautas gazamque repostam.
Laetificae passim in triviis crebrescere voces
Coepere, et faustum commoto e pectore surgit
Augurium: Superi, vos talem avertite pestem,
Atque undae abripiant tumidae execrabile monstrum.
Si revomant undae, nuda dejectus arena
Immiserabiliter jaceat deforme cadaver.
At non humano motu arbitrioque feruntur
Omnia: mensuram posuit numerumque Creator,
Arcanaque homini mundum ratione gubernat.
Anne Dei abstrusum datur exuperare potestas
Consilium? At demens, solii qui luce refulgens,
Fortuna elatus sanctos transcendere fines
Audeat, et terram innocuo foedare cruore,
Cuncta geri per inane putans. Humana tyranni
Consilia illudent, at non te fallere quibunt,
Omnipotens Deus: ipse manes, patiensque moraris,
Donec summa dies, praescriptaque meta malorum
Adveniat: tunc dia moras clementia rumpet.
Jamque insperato fluctus cecidere minaces.
Vela legunt socii, et laeto clamore salutant
Aëra mutatum: facto tunc agmine, naves
Aequata fronte incedunt, et proxima prendunt
Littora Parthenopes, quae portu effusa propinquo
Prodierat festas plausu exceptura carinas.
Quo tamen horruerat Caesar propiora pericla,
Mutatis rediit major fiducia rebus:

Et se nimborum tempestatumque potentem
Jactitat, utque aestu rapido pretiosa supellex
Sparsa ferebatur: Pisces [18] collata volentes
Portabunt, ait; atque suo jam numine fidit,
Versanturque animo vicini festa triumphi.
Antium et Albanum primo gratantur honore.
Quid Romam memorem? parili furere arte furoris
Et Roma atque Nero gaudent. Urbs Romula magnum
Solemnem instituit capitolia ad alta triumphum.
Ut nova non ullo victoria contigit aevo,
Laetitiae spectacla novae pompaeque parata.
Aerarî fortuna ingens per compita Romae
Egeritur: Romae violantur moenia, longi
Integra majestate aevi, metuendaque cunctis
Hostibus, inceditque minax per strata viarum
Pompa triumphalis, totam expatiata per urbem.
Exportat lectas Grajûm decora ampla coronas
Anteiens numerosa phalanx, tituliquc patescunt
Qualibet inscripti, quae cantica, quaeve stetisset
Fabula, quove loco victori praemia parta.
Plurimus hinc fidicen dextra laevaque coronat
Quadrijugum currum. Caesar summa emicat ora:
Auro intertextam chlamydem, quam limbus obibat
Aureus, et vario exornabant lumine stellae,
Induitur: laeta stat olympica fronte corona,
Pythia stat dextra: cives, equitesque patresque
Assidua voce ingeminant: Io olympice victor [19],
Pythice victor io, Augustus Nero, maximus ipse
Alcides, Phoebo major. Vox inclyta, salve,
Dignaque Caelicolis: o terque quaterque beati,
Queis licuit terris caelestem audire canentem!

Sed tutam numquam dederunt delicta quietem.
Ebrius immundam Caesar scandebat ad aulam,
Occurritque olli Poppaea, uterique patescens
Monstrat onus, vultuque fremit truculenta maligno.
Natorum risu toties deceptus inani
Distulerat promissa Nero connubia semper;
Et justae nomen nuptae, taedasque jugales
Sperans, imperio mulier pendebat herili,
Aulica adulteria, et famae pejora pelasgae
Murmura detestans. Regali illusa nitore
Jampridem, et noctes viduas agitare coacta
Sola domi, torto candentem elidere fune
Cervicem excupiit: vitae spe pascitur una,
Quod soboles jam certa virum praestare fidelem
Quivisset. Tali cunctos oblita dolores
Curae indulgebat, sperabatque omina certa
Conjugii, et matres partu exuperare latinas.
Nec spes destituit miseram; progressaque coram,
Et tumidum ostentans alvum: Tibi sanguinis haeres
Caesarei hoc, cernis? stat corpore: despice matrem,
Si potes: abducam externis regionibus exul
Fatalem stirpem, quoniam de conjuge restat
Id solum, et satis est. Dictis concussus acerbis
Pallescit Caesar. Mox: Me discedere Roma,
Nôsti, inquit, nihil omnino, nisi gloria adegit.
Ecce tuo tandem redeo jam dignus amore.
Moerorem depone gravem, paribusque regamus
Auspiciis urbem, nomenque et jura tuere
Conjugis. Haec hodie noscet connubia Roma.
Sic ait, accirique jubet fidissima patrum
Pectora. Continuo sponsam deducit ad aram,

Aram quae antiquis sacrata penatibus aulae
Impia caesareae perjuria [20] viderat, atque
Discidium memorat, properataque funera primi
Conjugii, atque eadem portendit fata futuro.
Legitimas taedas agnovit Curia supplex,
Caesaris edicto; popularia festa parantur,
Et stupefacta alios spectàsset Roma furores,
Nì cursu in medio pompas comperta vetaret
Seditio. Scaevina domus rem prodidit omnem [21].
Mancipium Milichus, mercede illectus ad aulam
Prorepsit, dominique fidem et secreta fefellit.
Caesar, laetitia amota, intermissa resumit
Munia; romanae irrequieta insania caedis
Crudescit, positosque acuit violentior enses.
Tardior ad poenam venit: olli cognita quamvis
Consilia, excupiens ductores noscere primos,
Invitat pretiis animos, et praemia ponit.
Ergo inopina domum cingit custodia diram:
Tota satellitio patet explorata, trahuntque
Scaevinum: media ferus induperator in aula
Ipse virum exagitat, causasque exquirit opertas,
Noctisque alloquia; at vultu Scaevinus eodem [22]
Restitit immotus, sacrum, intestabile damnans
Mancipii ingenium, qui insontem crimine ficto
Prodebat dominum magnae mercedis amore.
Et jam tanta viri constantia vicerat omne
Indicium; ast alii subeunt, quos fraude maligna
Arguit innexos liberti audacia crescens.
Pisonem ipse caput rerum, et moliminis omnis
Indicat auctorem: mox saevo grata Neroni
Ferre ratus, pretiumque operi, superaddidit olli

Annaeum Senecam. Vix prima pericula prosunt,
Corripiunt iterum Scaevinum, iterumque requirunt.
Audacter quondam primas sibi poscere partes
Jactârat, propriaque manu obtruncare Neronem:
At nunc deprensus, loca dum tempusque notantur,
Sive cadens animo, seu cuncta patescere credens,
Edicit socios, coeptumque ab origine narrat *3.
At non Lucanus manifesto nomine laesus
Conticuit: sueto dicendi flumine fraudes
Diluit objectas, paribusque Senecio curis,
Quintanusque negant suppostae nomina culpae.
Ast ubi commissi veniam, si vera fatentur,
Promisit Princeps, vitae malesana cupido
Traxit, et aeternam maculosa infamia labem
Intulit abjectis animis; fas juraque temnunt;
Aciliam matrem incusat Lucanus, amicum
Quintanus Glicium, sontemque Senecio prodit *4,
Qui secum unanimi vixit conjunctus amore
Pollio. Tum Caesar per moenia vasta cohortes
Ordinat, obseditque mare, et circumflua Tybris.
Excubat insomnis totas custodia noctes
Per fora, perque domos, vicina per oppida; turmae
Discurrunt equitum, et pedites, mixtique maniplis
Germani (externis maior fiducia in armis);
Hortorumque fores armato milite complent *5.
Judicium Nero quaesitor regit: Helius astat
Et Tigellinus: bacchantur Erinnyes ambo,
Ambo sed superat Rufus praefectus: honestae
Desertor fidei, concordi foedere junctos
Indicat, et nulli parcit furiosior irae.
Suspectum subiit tum nomen Epicharis: impar

Corpus foeminum poenis gravioribus esse
Credentes, poenis statuunt torquere nefandis.
At frustra secreta petunt. Argiva virile
Protulit ingenium; non verbera saeva, nec omne
Tormenti genus evincunt objecta negantem.
Excruciata diu resolutis sistere membris
Non poterat mulier, correptaque luce sequenti
Supplicium ad majus, sellae gestamine vecta est.
Ne quidquam occultum malefirmo proderet ore,
Pectore fasciolam e medio laceram exuit, atque
Innexum collum lecticae elisit ad oram [*6].

Tum vero jurata cohors convenit ad aedes
Pisonis, multisque orant, seu proxima castra
Pergere continuo, seu rostra ascendere Romae [*7].
Quid faceret Princeps, quid scenica turba ministri,
Si Roma assurgens monstrata capesseret arma,
Aut urbi adstaret commotae exercitus ingens?
Ille nihil super his: haeret ceu fulminis ictu
Afflatus subito, et juvenum imprudentia temnit
Consilia. Inde petens motus cognôsse futuros,
Egreditur que domo, et media versatur in urbe.
At vitare oculos hominum linguasque malignas
Tutius agnoscens penetralibus abditur imis,
Praesentemque animum adversum suprema parabat.
En furiata manus dubias irrupit in aedes.
Turbatum arripiunt, nudataque brachia ferro
Incidunt, toto fluit actus corpore sanguis.
Invita aeternae clauduntur lumina morti.
Ast ignominiam tota testantur in urbe
Extremae [*8] tabulae, et foedo legata Neroni.

Lucanum [*9] propria deprendit sede morantem

Centurio, et venas propero mucrone resolvit.
Ut vates calidum vidit rorare cruorem,
Atque, anima fugiente, manus frigere pedesque
Extremos sensit, musa fallente dolorem,
Compositum repetit carmen, quo saucius ense
Undanti miles commixtam sanguine vitam
Paullatim effudit, simili quem morte cadentem
Vidit semianimis: pressoque obmutuit ore.
Proxima dein venit Laterani consulis hora.
Cunctantemque domi, et contraria nulla timentem
Ilicet extraxere foras: non dulcia natos
Pignora complecti, lenimen dulce parenti
Tempore in extremo, miserae vale dicere sponsae
Non licuit: diro circumdatus agmine, certam
Ad mortem vadit, constansque silentia servat,
Primus inire viam. Servilibus horrida poenis
Ad loca deductum truculentus trajicit ensis [30].
Annaeus superest. Caesar, ductore vocato,
Vade, inquit: Senecae manifesto indicito mortem.
Ast ille erubuit coram procedere: missus
Olli Centurio retulit mandata Neronis,
Quae Seneca accepit, fortique interritus ore
Postulat extremas tabulas; ubi ferre recusat
Centurio, flens praesentes complexus amicos:
Quandoquidem, dixit, prohibetur gratia vestris
Solvere pro meritis, superest quod pulchrius unum,
Desero quam vixi vitai exemplar honestae [31].
Cujus si memores estis, fidumque feretis
Nomen amicitiae atque bonas celebrabitis artes.
Tum vero in lacrymas comites solvuntur amaras.
At Seneca hortatur paucis: Ubi cognita virtus

Cessit? ubi meditata diu sapientia cessit,
Ni fortes animo vires obstantia contra
Sufficiat? lethi aspectu pallescere cerno;
At majora petit tempus: nec nota Neronis
Saevities? matrem ferro, fratremque veneno
Abstulit: annc ipsum pudeat mactare magistrum?
En adsum: extinctos comitabo laetus amicos.
Vix haec, et constans lictori brachia monstrat:
Utque dabat roranti aetas jam tarda cruori
Effugium, nigranti hausit saturata veneno
Pocula. Tum totus tabentes frigidus artus
Balneolum suetum ingreditur, famulosque propinquos
Respergit lympha, laetata fronte, Jovique
Servatori, ait, extrema libemus in hora.
Nec plura, et tenuis fugit de corpore vita.
Hic finis Senecae. Commotam fama per urbem
Detulit extremi venientem funeris horam
Pacato spectâsse animo, sensuque doloris
Averso, aeternae decora immortalia vitae
Narrâsse: attoniti tenuere silentia stantes
Discipuli, et tanti mortem stupuere magistri [32].
Tunc unum studium cunctis praevertere Rufum [33],
Qui, licet occulti contactus labe veneni,
Participes operis quaestor pessumdabat omnes.
In primis truculenta viri perjuria passus
Scaevinus, sibique instantem atque extrema minantem
Ridens: Me rogitas? inquit: tu plurima nôsti:
Redde bono ipse vicem Domino. Quatit horror iniquam
Perjuri mentem, nec se defendere coram
Audet: nec prudens loquitur, novitque silere:
Lingua tremit pavitans, intermissoque profatur

Verba sono: at Proculus manifestum crimine foedo
Arguit, atque locum memorat, tempusque nocendi
Conceptum. Mora nulla, Nero qui stantia circum
Omnia formidat, perjura fraude revictum
Horruit, et magnum gaudens vitâsse periclum
Vinciri jubet actutum. Neque jussa recusat
Insignis quidam procero corpore miles,
Qui pavidum exanimemque manu complexus utraque
Corripit, et geminis nexans malefirma catenis
Brachia squalentem caveae deduxit ad umbram.
Carcere in immani collo dat vincula circum,
Et turpes fauces oculosque elidit: hiatu
Erumpit stygias anima indignata sub umbras.
  Cassius, et Thraseas primum fugere periclum,
Arcanisque domus tecti latuere tenebris:
Silanus petit exilio defendere vitam.
Millia dum Romam miserando funera luctu
Complent, hic fratri, hic nato timet, ille parenti,
Assentari aulae, pro Caesare vota vovere,
Exornare domum lauro, donaria templis
Offerre, ingenti certant molimine cives.
Conservatoris Milicho cognomen adhaesit:
Magna maniplari fido numerata talenta [34].
At Tigellino decretum e marmore signum
Ante forum: adverso invidiae cadit Helius ictu.
Vulnere sic Roma occubuit confossa supremo.
Haud secus aegrotus fatali proximus horae,
Sicubi concrescit febris, stimulante veneno,
In cubitum erigitur, collecto robore; caecus
Impetus hac illac jactantem brachia raptat.
Mox ubi desedit rabies, collapsa recumbit

Vis omnis, misero clauduntur lumina letho.
Quandoquidem Lucina potens, caelestibus unis
Indulgens, bona cuncta Petro donârat habenda,
Christiadûm Princeps spatiosa palatia, colli
Janiculo subjecta pios sacrârat in usus.
Sacris majorem peragendis destinat aulam;
Atque tibi commisit opus, Roma edile Clemens,
Ut paria extarent magnae sacraria genti.
Jussa obiit Clemens: sed tanto laetus honore
Christiadûm Petrus ipse aderat, templumque domumque
Dedicat, ingenti celebrans solemnia cultu.
Conveniunt Linus et Cletus, delectaque pubes:
Sacri pompa fuit ritus solemnior, auctus
Pastorum numerus, qui nunquam tantus ad urbem.
Concilio praedicta dies advenerat, atque
Pontifices omnes, italis e finibus adsunt
Pro re romana, pro Relligionis honore,
Accitu Petri. Laeti spectare triumphum
Vestibus ornantur sacris, summumque sequuntur
Pontificem. Constructa domus conclavia solers
Pauperibus pietas, senibusque parârat egenis;
Praecipue templum luxu exornârat opimo.
In medio Lucas surgenti desuper ara
Jesum caelesti fantem depinxerat ore:
Nudus eram, meque inducto texistis amictu [35].
Ut primum lympha, et ramo felicis olivae
Lustravere domum, ut laeta pia carmina voce
Fundentes, cultu venerandum altare dicârunt
Ingenti, occlusisque intus fecere verendum
Relliquiis (servatus honos qui Martyris unis
Ossibus); ipse sacrum peragit Petrus: ipse potenti

Confertam eloquio turbam exhortatur hiantem:
Dum Salomon [36] templum solemni more dicabat,
Fundebatque preces, descendit ab aethere flamma,
Votasque absumpsit pecudes, caesosque juvencos.
Ecce autem totam molem divina replebat
Majestas; populus radiis caelestibus impar
Ad terram ruere, atque precem ingeminare calentem.
Levigenae interea psallebant organa, lectumque
Isacidae carmen jucunda voce canebant.
Septenos egere dies solemnia festa,
Septenosque dies stetit hostia plurima ad aras.
At nos antiquis onerare altaria donis
Non opus est, fratres: stat victima major in ara
Christus, qui vestras hodie conclamat ad aures:
Vota tua excipio; Domus haec mihi rite dicata est,
Augustamque tibi divino numine obumbrans
Et sanctam efficiam [37]. Si insana canicula messes
Decoquit, et clausi pendebunt nubibus imbres,
Si lolium infelix sterili dominatur avena,
Aut armata phalanx longo procul orbe locustae
Avectae, herbosos satagunt absumere foetus,
Si funesta lues contagia dira propagans
Grassatur, viduatque oppletas civibus urbes,
Si me quaeretis, si detestanda perosi
Crimina, sacrata auxilium implorabitis aede;
Supplicibus votis adero placabilis, aegros
Spectabo, miserisque salus per membra recurret.
Ast aliud, fratres, nostro stat pectore templum [38],
Quod struit arcano Spirabilis Aura calore.
Si peperit tantam caelestis gratia sortem,
Si nostris Deus ultro animis sua templa locavit,

Intemerata pio niteant sacraria cultu,
Neu quidquam dia pro majestate nefandum
Exhibeant. Tali sonuerunt templa loquela,
Imos quae tangit sensus, terrisque caducis
Ereptos caeli sancta dulcedine pascit.
Crescit honos pretiumque animae, quae dignior omni
Elucet gaza, atque omni pretiosior auro.

Perfectis sacris, omnes Lucina vocabat
Pontifices paulum amotas descendere ad aedes.
Canitiem informem collectam compita circum
Clemens paullatim ad mores formârat honestos,
Edoctosque Deum sacris lustrârat in undis.
Et nunc (sic festae poscunt solemnia lucis)
Lucina obtulerat magno convivia sumptu.
Ingreditur prior ipse Parens, aliique sequuntur
Pastores, cernuntque senes per longa sedentes
Marmora, festivo excipientes lumine coetum.
Ut primum venit hora, Petrus secedere jussit
Festinos famulos. In munia laeta subibant
Maximus Antistes, sociique, epulasque ferebant.
Laetitia flevere senes, Lucinaque flebat.
At Petrus: Haec nobis Jesus exempla reliquit,
Ipse etiam Omnipotens opifex servire minister
Maluit. At, lapsi queis instat terminus aevi,
Inspectate, senes, caelum; qui munera terrae
Concedit vobis hodie, majora reservat.
At te quis, Luci, tantus pudor anxius urget?
Quidnam materno pendes miratus ab ore?
Ingenuus puer illustri de sanguine cretus
Candida signabat prima vix ora juventa,
Et genitrtx secum ad solemnia festa ferebat.

Ipsa etiam menti infundens elementa tenellae
Ducebat secum, seu cum stata sacra vocarent,
Instarent peragenda pii seu munia amoris.
Et nunc cum patrios circumdat tanta penates
Gloria, prosequitur sanctae vestigia matris.
Magnanimos proceres humili se accingere spectans
Officio, matrem cupido spectabat ocello,
Ceu veniam peteret. Menti novus additus ardor
Continuo, et patribus miscet sese ultro ministris.
Risit Lucina, atque oculis vaga guttula stillat,
Et caelum spectans: Puerum, Christe, accipe: natum
Sisto tibi: et Samuel natus fuit unicus Annae,
Atque dedit Domino. Me terque quaterque beatam,
Si tibi Levigena ad sanctas famulabitur aras!
Altera tum patuit longaevis matribus aula,
Quam Pastor, comitante choro, pervisere gaudet.
At simul ingreditur, mensaeque e more paratae,
Lucina praeeunte, piae succedere certant
Matronae, et docili aequantes imitamine magnos
Pastores, epulas famularis turba ministrant.
Tum vetulae tanto dignatae munere sanctas
Effundi in lacrymas. Studium tam nobile spectans
Antistes: Certate viris, pietatis honore,
Matronae ingentes. Vestro sub pectore molles
Indidit ipse opifex sensus, tenerasque medullas,
Ut gravior si animos abducat cura viriles,
Blanda ministeria insigni fungatur amore
Femina, et assurgat caelestibus inclyta curis.
Tantae virtutis mirantur semina prima
Pontifices itali, et sacrae reverentia Romae
Assurgit major. Romanis moenibus, unde

Bellacis quondam centum simulacra furoris
Prodierunt, graviora ciet miracula cultus
Christiadûm, atque operosus amor. Praedulcis imago
Stat magnis impressa animis, referentque vicissim
Quisque suis gregibus sacrae exemplaria Romae.
Talia spectabat Satanas, textumque resumens
Acrius incoeptum, properansque absolvere, gestit
Inviso generi juratum indicere bellum.
Quamvis Christigenas Hebraeûm dira propago
Insimulare nequit, servârat et Helius omni
Suspicione, Nero stat foeda ad cuncta paratus:
Jamque intestinum cernens domuisse duellum
Laetitia insueta effertur, certusque futuri
In nova sublatam excibat molimina mentem.
Supponit flammam Satanas, pestemque recentem.
Olli commemorat diri secreta ministri
Consilia: et Christi asseclas, opprobria Romae
Atque odium toto si extinguit protinus in orbe,
Exultanti urbi spectaclum insigne, sibique
Laetitiae ingentem segetem, decorisque futuram.
Talibus ardescens, fortunaque ebrius aucta
Se miscet Superis, cupit immortalis haberi
In veniens aevum: demens hoc cogitat unum:
Anne domum dignam divina mente Neronis
Crediderim Romam? priscae vestigia cladis,
Quae fera Gallorum [39] memorant incendia, servat
Hoc quocumque feras oculos, qua maxima Roma est:
Ordine consurgunt nullo fora, balnea, templa
Infabricata fugae studio; congesta domorum
Culmina sic temere denormant compita: nonne
Talia dedecorant mundo quae praesidet omni

Urbem Romanam? Si nostro obstantia regno
Sublata e medio, si extinctis millibus urbi
Parta quies, nihil est actum, quod postera laudes
Mirabunda aetas celebret, nomenque Neronis.
At quae divitiae tantae, quae aeraria magno
Sufficient operi? . . . quod votis, quodque triumphis
Aurum congestum templis, et inutile pendet,
Promere praestiterit in publica commoda: sumptus
Conferet Italia, et terrarum subditus orbis;
Undique legatos mittam [40]: nec Graecia tantum
Ipsa volens dabit artificum decora inclyta: pinguis
Nobiliora Asiae quaeram sacraria: Divûm
Inclyta signa feram argento caelata vel auro;
Et me majorem jactabit fama Quirino.
Quod non Augusto [41] licuit, qui linquere dixit
Romam marmoream, dum nulla Romulus arte
Vix cocto lapide informes fabricaverat aedes,
Fata dedere mihi: ferar urbis conditor alter.
Talia flammato secum nova corde volutat:
Insolitae fraudes, adopertaque murmura totam
Replevere aulam, neque porro ignota fuere
Christigenis: delecta phalanx documenta salutis
Dia sequebatur, foedaque manebat in aula,
Sic placitum Petro, ingenuae ut virtutis odores
Undique fragrarent; sua sancte munera quisque
Tractantes oculos intacto more tuentum,
Et miti ingenio allicerent. Vix subdola verba
Audivere metu ingenti, fidentior unus,
Torpes secreto egreditur, quaerensque Pudentis
Limina convenit Petrum, remque ordine pandit:
Bella parata, Pater: caecas vidi ipse per umbras

Infames Tigellinum praetexere fraudes.
Romanis reputat supponere moenibus ignem.
Mox, ubi per totam serpunt incendia Romam,
Tanti consilii auctorem te quisque vocabit:
Omnes Christigenas subdent popularibus iris.
Audiit haec Senior, totusque perhorruit: Ergo
Christiadas magno placeat tentare periclo,
Omnipotens ? donec maculabunt crimina terras,
Donec prisca aetas, veterumque infamia morum
Audet mole sua surgenti obsistere mundo,
Nos alia ex aliis per terras mota lacessunt
Praelia. Te sequimur, Patris indubitata propago
Ipse Deus: sequimur te qui insuperabilis anteis.
Quis pugnare tibi audebit? Nero nectere caecas
Insidias, Nero quit ferrum flammamque minari.
At semel exortum terris obnubere solem
Exquiret frustra: promissa immota manebunt
Facta tuae genti: nostri spes certa triumphi;
Pugna licet nobis cum toto Acheronte gerenda.
Et si barbaries in vulnera proruit audax
Antiqua, occidet corpus, sed palma manebit
Victrix egregias animas, sed libera veri
Vox nostro exiliet tumulo, populosque ciebit
Attonitos virtute nova, et tua gloria crescet.
Non sine facta Deo Petrus videt omnia; laudat
Adventum, eventusque notans, et tempora rerum:
Quam bene suprema, dixit, ratione reguntur
Omnia! praefabor sociis, animosque parabo
Casibus adversis! si saevior ingruit omnis
Vis Erebi, videat quot defensoribus ornat
Se nova Jerusalem, quantique in bella relucent

Virtute armati, commissaque moenia servant!
At quae Pastorum excipiet magnum aula senatum?
Extra urbis portas, qua se Regina viarum
Appia praepandit, saxoque instrata rigenti
Plana viatores campanam ducit ad oram,
Spelunca alta [41] fuit. Romanus moenibus urbem
Praecingens, domibusque locans fundamina prima
Aggeribus vastis cumulos egessit arenae,
Altius effodiens, terraeque reclusa patebant
Viscera. Deserto interea submota recessu
Stat domus, excisis quae circum structa cavernis
In camerae morem nativos duxerat arcus.
Pascentes pecudes loca tristi condita nocte
Effugiunt: fauces caecus circumstetit horror,
Et puer hirsuto absistit tremefactus ab antro.
Nota Petro sedes. Huc pastor maximus orbis
Saepius e Romae strepitu, miseroque tumultu
Excedens veniebat, et hic sibi cognitus uni,
Praeteritos annos, anteactae crimina vitae
Ille recensebat, lacrymisque lavabat amaris.
Hic sacra volventem maior rapit impetus: haurit
Consilii arcanos monitus, queis sustinet orbem
Uni commissum: crescit calefacta cupido
Christiadûm nomen cunctas protendere in oras:
Inde ministerio, cui caelum et tartara parent,
Dignior exurgit, divino exemplar ovili.
Infensus simul ac truculenta rumor ab aula
Contra Christiadas manat, quo cogere coetus
Pontificum tutos posset? jam tecta Pudentis
Cognita: seclusas latebras, lustra alta ferarum
Quaerit Relligio: atque itali firmamina regni

Pastores tecta recipit statione, rogantes
Consulere in medium, et cunctos expendere casus.
Tempus erit quondam, si fors bacchabitur atra
Tempestas, miseri ista petent spiracula luctus
Christigenae: laeti fugientes lumina solis
Hic miseri orabunt, defunctaque corpora fratrum,
Plurima quae saevis rabies bacchata tyrannis
Demetet, in loculis et tuta pace reponent.

Et jam stellifero vaga nox circumdata peplo
Aëris in campos latos ascendere gressu
Festinat passim tacito, lucemque diemque
Involvens umbra; varios natura colores
Amittit passim, et curas oblita diurnas
Gens humana silens somni bona munera carpit.
Vix primas lucere faces jam nocte propinqua
Aspexere, aulas tendunt remeare superbas
Romulidae, posito tacet omnis murmure Roma.
At dum sollicitos vana urget cura quirites,
Atque intempestas lymphata per orgia noctes
Commaculare parant; urbis regione remota,
Qua parat umbrosas pietas operosa cavernas,
Pontifices ibant sacros persolvere ritus.
Antra remota novae in morem fundaverat aedis
Grandaevus pater, et jam tempestate propinqua,
Exornata dabant lectae sacraria genti.
Emicat ara ingens vasto sub fornice: cernis
In medio Jesum pendentia brachia ligno
Funereo affixum, capitique intexta corona
Spinarum. Flagrans nocturna in lumina cera
Lucet odorata, et tenebras funalia vincunt.
Maximus antistes sacrae hic munimina prima

Ausoniae excepit: sanctae hic dedit oscula pacis.
Si quid opus, quisque exponit, certumque reposcit
Consilium; quaerunt vitiosi semina saecli
Corrigere, et late Christi protendere regnum.
Tum vero ipse Petrus positas operatur ad aras,
Atque ubi solemnis summo cadit hostia Patri,
Tutius incumbunt studiis caelestibus, omnis
Exortes curae, et multa prece numen adorant
Pro se, pro cunctis quotquot complectitur orbis
Diffusos fratres, pro spe crescentis ovilis.
In primis orant, quo tellus itala, magnis
Tot superûm donis ditata exultet in horas
Auctu Christiadûm. Dein summa constitit ara
Romanus Pater, et comites affarier orsus:
Magnanimi proceres, quibus omnis credita regna
Ausoniae, nati ducenda ad lumina veri,
Tempore vos dextro sanctam properàstis ad urbem.
Christiadûm Patrem me multa monere supremum
Consulit officium, quo Christi Ecclesia semper
Floreat occiduis regionibus: insuper instant
Plurima vicinis vobis peragenda procellis.
Italiam video lectis pastoribus omnem
Lustratam: video sacra sub vexilla merentem;
Sed primam Omnipotens magno insignivit honore,
Et primum dubiis fidam experietur in armis.
Dum discors agitat cunctas inscitia mentes,
Nullaque aberrantes sociat fiducia, discant
Terrigenae miseri, quaenam consensio nostris
Regnet doctrinis: nobis amor omnibus idem,
Mens eadem unanimis maneat per cuncta tueri
Arcanum fidei monimentum et pignora caeli.

Dum cognata sibi gens semina quaeque tuetur,
Nativasque notas, cognatam sanguine ab uno
Jungite progeniem, Romamque undeunde docete
Conspicere, ut fidei sedem, morumque magistram.
Si vos pastores Romam properabitis, aethrae
Purius hausturi lumen vitaeque recentis,
Atque ego romanus senior vestro ipse vicissim
Auxilio innitar. Sic unum adolescet ovile,
Sic Romae ad normam totus componitur orbis;
Una eademque potens Ecclesia surgit ubique [43].

At sibi non uni nata est Ecclesia: totus
Olli debetur, totus concreditur orbis.
Vos opere in tanto mea brachia, vosque corona
Huic estis capiti, atque illustrius ornamentum.
At Jesu me cogit amor, me cogit ovilis
Sollicitudo gravis, mea vestraque munia cogunt,
Et me conversum fratres [44] firmare jubebat
Jesus. Caelesti recreatos voce, novisque
Viribus erectos ad munia sueta remittam.
Clandestina ferox Satanas movet agmina; regno
Nutans ancipiti, quod fractis finibus acres
Invadunt acies, totumque abolere minantur,
Apparat extremi exitialia tela furoris.
Vos speculatores in castra inimica tulistis
Ultro pedes: vobis ducibus, fulgentia signa
Christiadûm alpinas audent transcendere cautes,
Et Satana everso, nova condere moenia regno.
Sed licet excelso fundata Ecclesia monte
Constitit, ut toti manifesta patesceret orbi,
Ethnica gens nostri ignorat molimina nisus.
Id porro audendum, huc nobis labor omnis agendus:

Qua gradimur cumque, ingenti circumflua luce
Virtus anteeat vestigia nostra, ducesque
Ostendat populis lucem monstrare coortam.
Et vos, Ausonidûm pastores, gloria major
Advocat. Haec regio cunctis felicior, inter
Barbariem posita hesperiam, auroraeque micantis
Tot regna, ipsa sibi bellatrix condidit ingens
Imperium, pedibusque suis stat subditus orbis.
At nunc praecipuo concessum munere mores
Mollire agrestes, sublustres pellere nubes,
Et quas bellorum tremefecit fulmine, pacis
Solari risu, et veraci lumine terras.
Quid reliquum, nisi lecta acies quaecumque vocata
In sortem Domini, vulgo secreta profano
Mite ministerium factis ingentibus aequet?
Ite, o Pontifices; qua densior umbra nigrescit,
Fulmineum tonet eloquium: popularia Christum
Ediscant fora, perque urbes dispersa potentum
Concilia: horrendae neque, nato sole, tenebrae
Stare audent; natum quacumque ostendite solem.
Ancipites domini rerum dubitantque timentque,
Quae nova per populos agitari dogmata cernunt?
Dicite, non hujus nos regna reposcere mundi:
Regna sibi reges habeant; Capitolia celsa,
Et magnae maneant aulae, ingentesque senatus:
Nos animos lustrare pios, et reddere caelo
Venimus, et caelo terras sociare recluso.
Et quoniam incertas vesana licentia mentes
Abripit, e caelo venientia vera docentes
Vitaeque et morum, graviori voce monete
Et populos: Justam Romana Ecclesia nullam

Libertatem odit, libertatem ipsa decoram
Instituit terris, recta ratione magistra.
Agnoscant homines, quibus orbis regnat in oris
Christi Relligio, privata et publica jura
Immaculata manent; bona nemo aliena capessit;
Debita quique Deo reddunt, et suppetit omnis
Copia, stantque domus tutae, tranquillaque regna.
At tenebras lucemque inter concordia nulla
Adsit: pestifera errorum propellite monstra
Intrepidi, quocumque fuant, mentique licenter
Per varias rerum species impune vagatae,
Fertilia aeterni recludite pabula veri,
Monstrate impuros fontes, herbasque veneni
Fallaces. Noctem in primis vigilate diemque,
Ne phlegethonteus pecori praedator iniquas
Insidias meditetur: ovis si forsan oberrat
Avia, Pastoris summi monumenta tenete,
Qui bonus et clemens nemorum deserta peragrans
Quaerit ovem amissam, tutamque ad ovile reportat.
At si nulli unquam errori indulgere licebit,
Qui fidei valeat fallacem offundere fucum,
Si quem poeniteat, patriasque reversus ad aedes
Indugredi optabit, culpis ignoscite cunctis.
Id nostris desideriis meta unica, ut omnes
Ad matrem remeare queant, gremioque locati
Materno possint caelestem haurire salutem.
Est nobis ratio, quam praesens ipse Magister
Edocuit, lacrymae, doctrina, et fervida vota.

At satis haec, Fratres, vobis, quos Spiritus almus
Edocet assidue; senior senioribus ipse
Haec repeto, Christi unanimi commotus amore.

Nunc graviora manent, quae vos accedere Romam,
Accitu nostro, impulerunt, quaeque ipse monere
Praesentes volui. Truculenta armata securi
Improbitas jamjam obscoenis molitur in umbris
Insidias: Nero persequitur: vix nocte silente
Concelebrare choros maletuto possumus antro;
Et fors hac diris exploratoribus umbrae
Lustrantur. Sacram jurati perdere gentem
Arma parent hostes: populis nos tradere vitam
Dimissi, majora adeo tractabimus arma,
Nec nocitura animis, nec roratura cruore.
Pastores, firmate gregem, exemploque praeite.
Innocui mores, mortis contemptus, et ipse
Hostium amor nobis deterrima bella ferentum,
Et veri magnum eloquium vel funeris hora,
Arma fuant nobis, quae hostis mirabitur ipse.
Quam volupe, o Fratres, mihi vestro longius ore,
Alloquioque frui: sed Romae tempora saeva
Impediunt. Nostrae tangit si cura quietis,
Quamprimum moniti malefida excedite Roma.
Quisque suam repetat caulam, jamque hoste propinquo
Defendat ductor concredita castra, paretque
Auxilium. Quod opus, certo cursore referte.
Dixerat: Hermagoras Aquilejae maximus heros,
Qui Marcum excepit, qua janua prima patentis
Italiae, illyricos spectatque colonia montes,
Talia pro cunctis respondit fratribus, aevo
Jam senior, primumque expertus praelia Christi:
Fas mihi, Sancte Parens, communi nomine pauca
Reddere: Pastores quacumque vagabimur ora,
Ante oculos stabit Romae surgentis imago.

Hanc colimus *Petram* assidue, quo vertice summo
Fundamenta domus Jesus locat ipse: locatam
Ceu specula aëria voluit defendere lumen
Spectandum populis, et nulla aetate tegendum.
Caelesti ardentes studio tua dicta sequemur.
Bella manent, Pater? ecce sumus bellare parati.
Spes certa affulget, quod nunc despecta resurget
Inclyta Relligio: caecis egressa cavernis
Sacrum vexillum romanas pandet ad auras,
Suppliciterque colent populi, studioque fovebunt.
   Tunc iterum Petrus solio sic infit ab alto:
Principium e caelo nobis; fiducia nostra
In caelo est: quando furor implacabilis ardet
Arce palatina, claustris orabimus imis
Ipsum Christiadûm auctorem, quo rebus in arctis
Magnum sufficiat robur, sponsaeque fidelis
Obsequium excipiat, dum primas sanguine palmas
Imbuit; Ipse suam reseret victoribus aulam.
Sic ait, exultans: laeto dein intonat ore
Carmen, quod dubio Isacides discrimine, et omnis
Expers auxilii sera jam nocte canebat,
Voce vocans magnum caeli terraeque parentem [46]:
» Qui domibus sanctis, qui suprema aetheris arce
» Constituit sedem, dextra protectus amica,
» Sepositis curis, tranquilla pace fruetur.
» Is dicet Domino: dubiis ne deficc rebus,
» Omnipotens Deus. Ipse meae spes unica vitae,
» Qui me venantum laqueo servavit, et iras
» Contudit indomitas, qui magno tegmine circum
» Cingens alarum, tuta me proteget umbra.
» Si vaga commotam conturbant somnia mentem,

» Si gradiens tenebris saevus circumfremit horror,
» Si volat horrendum stridens emissa sagitta,
» Quid metuis? vasto clypei septemplicis orbe
» Ipse teget Genitor: frustra insidiabitur instans
» Sole sub ardenti infernae ferus arbiter aulae.
» Mille cadent laeva in vacuum resonantia tela,
» Denaque mille cadent dextra: non audeat ulla
» Vulnifica undantem cuspis contingere vestem.
» Huc huc verte oculos, atque aspice, quanta scelestis
» Supplicia incubuere viris, scelerumque ministris!
» Ah mihi tu succurre potens: tu firma columna
» Imperii, Domine: excelsa super arce locamus
» Nostrae spem vitae: neque nos sententia fallit.
» Namque ipse Omnipotens stellata in veste ministros
» Tradidit aethereos comites per opaca viarum,
» Qui passis te ulnis tollant, ne forte pererrans
» Abruptum ad lapidem offendas. Tu calce leonem
» Calcabis, rabidoque tumentem felle draconem.
» Oranti multoque Deum clamore vocanti,
» Ipse adero praesens, et si fors aspera vexet,
» Servabo incolumem semper, faciamque beatum,
» Addens longaevae felicia tempora vitae,
» Pignoraque ostendens certae sperata salutis.
Haec alternantes sub noctem carmina miscent:
Et divinus amor per juncta incendia crescit.
Quale ubi pinifera cum lucet lampade lumen,
Si taedae plures accedant ignibus aequis,
Sese intertexunt radii, mixtisque vicissim
Luminibus prisci maior superemicat ignis
Splendor, et ingentem geminant incendia lucem;
Tales alterno proceres sermone locutos

Flamma movet maior, diversisque ignibus unus
Ignis inardescit quem Christi gloria nutrit.
Tandem Petrus ait: Roma migrare priusquam,
Et sedem unusquisque suam remeare paratis,
Omnia de caelo fausta, atque beata precabor.
Laetitiae dator ipse Deus vos compleat omni
Munere, quo vestro regnet sapientia corde,
Et pecudes regere, et cunctos defendere casus.
Tum vestris ea mens gregibus contingat, amato
Ut nunquam e latere abscedant, vocemque sequantur
Pastorum dociles, qui pinguia pabula monstrant.
Nunc demum ipse ambas tendens ad sidera palmas
Et vobis vestroque gregi benedico, potentis
In nomen Domini: hoc sit fortunatius omen
Aeternae vitae, quam nos oramus ab ipso
Jesu, cui, Patrique Deo, sanctoque perennis
Gloria Spiritui terris, et gloria caelo.

NOTÆ

[1] *Coenam* — Luc. XIX, 16. Homo quidam fecit coenam magnam, et vocavit multos. .... Et coeperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: villam emi; et necesse habeo exire, et videre illam: rogo te; habe me excusatum: Et alter dixit: Juga boum emi quinque et eo probare illa: rogo te habe me excusatum. Et alius dixit: Uxorem duxi; et ideo non possum venire.

[2] *Christi monitum* — Matth. XIII, 3. Ecce exiit qui seminat, seminare. Et dum seminat, quaedam ceciderunt secus viam, et venerunt volucres caeli, et comederunt ea: alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam ... alia autem ceciderunt in spinas, et suffocaverunt ea.

[3] *Perfectae aetatis proceres* — Sexdecim prophetae numerantur, quatuor majores, ceteri minores.

[4] *Ter sancte* — Apoc. Joan. IV, 8. de caelestium agminibus: Requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens qui erat, et qui est, et qui venturus est.

[5] *Chaldaei somnia regis* — Dan. II, 21. Tu Rex videbas, et ecce quasi statua una grandis... Hujus statuae caput ex auro optimo erat, pectus autem et brachia de argento, porro venter et femur ex aere; tibiae autem ferreae; pedum quaedam pars erat ferrea, quaedam autem fictilis. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus; et percussit statuam in pedibus ejus ferreis, et fictiiibus et comminuit eos ... Lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram.

[6] *Draconem* — Dan. XIV, 22. Et erat draco magnus in loco illo, et colebant eum Babylonii... Daniel fecit massas, et dedit in os draconis, et disruptus est draco. *Beli.* 21. Occidit ergo illos Rex, et tradit Bel in potestatem Danielis, qui subvertit eum, et templum ejus.

[7] *Christi sapientia* — Cor. I, 23. Quoniam et Judaei signa petunt, et Graeci sapientiam quaerunt, nos autem praedicamus Christum crucifixum: Judaeis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Judaeis, atque Graecis Christum, Dei virtutem, et Dei sapientiam.

[8] *Cassius* — Verba quidem Bruti fuere, dum in gladium moriturus incumberet. Sed quis Bruti et Cassii in omnibus consensum ignorat? Herculis vox fuit apud Eurip.

Ah! misera virtus vox eras: ego te interim
Pro re colebam, domina cum tibi sors foret.

[9] *Cynicus* — Juv. Sat. XII, v. 121.

Et qui nec Cynicos nec stoica dogmata legit
A cynicis tunica distantia.

Cynici et stoici idem erant, nisi quod Cynici nudi philosophabantur, unde et Gymnosophistae vocati, Stoici vero vestiti. Sic Scholiast.

[10] *Tum vero Annaeus* — Similitudinem quamdam in quibusdam senten-

tiis Senecae, et Divi Pauli intercedere, vel ex his paucis vide. Sen. Fragm. cit. a Lact. Deo non templa congestis in altitudinem saxis extruenda sunt; in suo cuique consecrandum est pectore. Paul. Act. XVII. 24. Deus qui fecit mundum, et omnia quae in eo sunt, hic caeli et terrae cum sit dominus, non in manufactis templis habitat. Senec. Ep. 41. Prope est a te Deus, intus est. Sacer intra nos spiritus sedet.... Bonus vir sine Deo nemo est.... In uno quoque bonorum habitat Deus. Paul. In ipso vivimus, movemur et sumus. Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Senec. Te dignum Deo finge. Paul. Estote ergo imitatores Dei. Senec. Homo sit mansuetus homini,... erranti viam monstret, cum esuriente panem dividat; membra sumus magni corporis. Paul. Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. Senec. Per has mortalis aevi moras, illi meliori vitae longiorique praeluditur. Alia origo nos expectat, alius rerum status. Proinde intrepidus horam illam decretoriam prospice; quidquid circa te jacet rerum, tanquam hospitalis loci sarcinas specta... Depone onus, quid cunctaris?... Tunc naturae arcana tibi retegentur. Paul. Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostrae hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in caelo ... videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem.

[11] *Concessa facultas* — Dion. LXIII, Ner. 12. Omuium omnino rerum facta erat potestas, sicut, inconsulto Nerone, bona proscriberet, mitteretque in exilium, ac non modo plebejos homines, sed etiam viros equestris senatoriique ordinis juberet occidi. Ita eo tempore imperium populi Romani duobus simul imperatoribus serviebat, Neroni et Helio, quorum uter esset nequior, non queo dicere. Cuncta etenim cetera eodem modo faciebant, in eo tantum dissimiles, quod alter e stirpe Augusti prognatus, citharoedos, alter Claudii libertus Caesares imitaretur. Svet. XVIII. Cum praesentia ejus urbicas res egere a liberto Helio admoneretur, rescripsit his verbis: quamvis nunc tuum consilium sit et votum, celeriter reverti me, tamen suadere et optare potius debes, ut Nerone dignus revertar.

[12] *Nil anima hac potius*—Matth. XVI, 26. Quod enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?

[13] *Corbulo*—Inferioris Germaniae legatus primum legiones ad veterum morum austeritatem revocat: mox bello parthico praeficitur, Tigranocerta potitur. *Praecipuus inter claros et insontes*, ut ait Tacitus, tum militaris disciplinae, tum integritatis laude adeo floruit, ut nomen Corbulonis hostibus quoque fuerit venerabile. Dion. LXIII, Nero, 17. Corbulo autem, accitus honorificentissime, quem virum Nero praeter cetera, patrem et bene de se meritum appellabat, postquam Cenchreas appulit, ab eodem occidi jussus est, prius quam in conspectum ejus veniret.

[14] *Quiritum* — Tac. Ann. XI, 29. Tum placuit Tiridatem ponere apud

effigiem Caesaris, insigne regium, nec nisi manu Neronis resumere . . . Magna utrinque specie, inde equites compositi per turmas, et insignibus patriis, hinc agmina legionum stetere, fulgentibus aquilis signisque, et simulacris Deûm in modum templi. Medio tribunal sedem curulem, et sedes effigiem Neronis sustinebat. Ad aquam progressus Tiridates caesis de more victimis, sublatum capite diadema imagini subjecit, magnis apud cunctos animorum motibus.

[15] *Foede morientem* — En duo ethnicarum gentium vitia praecipua, inhumanitas, et obscoenitas. Quam bene Paulus ad Rom. I, 30. ethnicos vocat: Insipientes, incompositos, sine affectione, absque foedere, sine misericordia.

[16] *Libertate Nero donat* — Svet. Nero XXIV. Decedens deinde provinciam universam libertate donavit, simulque judices civitate romana et pecunia grandi. Quae beneficia e medio stadio, Isthmiorum die, sua voce pronunciavit.

[17] *Stantem in conspectu classem* Haec omnia a Dione hausimus. Ner. VI, 19. Ipse in Graeciam septem diebus pervenit, cumque perterruit, quod magnam conjurationem in urbe contra ipsum parari diceret; unde factum, ut confestim in Italiam navigans discesserit. Spesque erat vi tempestatis illum periturum; verum frustra id gaudium plerisque fuit. Salvus enim evasit, fuitque hoc ipsum multis exitio, quod ejus interitum optassent aut sperassent.

[18] *Pisces collata* — Svet. XL. Tanta fiducia non modo senectam, sed etiam perpetuam singularemque concepit felicitatem, ut amissis naufragio pretiosissimis rebus, non dubitaverit inter suos dicere pisces eas sibi allaturos.

[19] *Io olympice victor* — Svet. narrat haec omnia XXV. Nero. Reversus e Graecia Neapolim, quod in ea primum artem protulerit, albis equis introiit, disjecta parte muri, ut mos hieronicarum est. Simili modo Antium, inde Albanum, inde Romam. Sed et Romam eo curru, quo Augustus olim triumphaverat, et in veste purpurea, distinctâque stellis aureis chlamyde, coronamque capite gestans olympiacam, dextra manu Pythiam, praeeunte pompa ceterorum cum titulis, ubi, et quos, quo cantionum, quove fabularum argumento vicisset, sequentibus currum ovantium ritu plausoribus, Augustianos militesque se triumphi ejus clamitantibus.

[20] *Caesareae perjuria* — Neque alio profecto tumultuantis populi voces erant in Octaviae morte, teste Tac. X, 63. Huic primus nuptiarum dies loco funeris fuit, deductae in domum, in qua nihil nisi luctuosum haberet, erepto per venenum patre, et statim matre: tum ancilla domina validior, et Poppaea nonnisi in perniciem uxoris nupta.

[21] *Prodidit omnem* — Tac. XI, 54. Proditio coepit e domo Scaevini. *Milichus*. Coepta luce, Milichus in hortos servilianos pergit, et cum foribus

arceretur, magna et atrocia afferre dictans, deductusque a janitoribus ad libertum Neronis, Epaphroditum, mox ab eo ad Neronem, urgens periculum, graves conjurationes, et cetera quae audierat, conjectaveratque, docet.

[82] *Scaevinus eodem* — Tac. X, 55. de Scaevino : Adjicit dictis constantiam : incusat ultro intestabilem et consceleratum tanta vocis ac vultus severitate, ut labaret judicium.

[83] *Coeptumque ab origine narrat* — Tac. ib. 56. Scaevinus pari imbecillitate, an cuncta jam patefacta credens, nec ullum silentii emolumentum, edidit ceteros.

[84] *Sontemque Senecio prodit* — Tac. ib. 56. Lucanus, Quinctianusque, et Senecio diu abnuere. Post promissa impunitate corrupti, quo tarditatem excusarent, Lucanus Aciliam matrem suam, Quinctianus Glicium Gallum, Senecio Annium Pollionem, amicorum praecipuos nominavere.

[85] *Complent* — Tac. ib. 58. Quin et urbem, per manipulos occupatis moenibus, insesso etiam mari et amne, velut in custodiam dedit. Volitabantque per fora, per domos, rura quoque et proxima municipiorum, pedites equitesque, permixti Germanis quibus fidebat princeps, quasi externis. Continua hinc, et socia agmina trahi, ac foribus hortorum adjacere.

[86] *Ad oram* — Tac. ib. 57. Atque interim Nero, recordatus Volusii Proculi indicio Epicharim attineri, ratusque muliebre corpus impar dolori, tormentis dilacerari jubet. At illam non verbera, non ignes, non ira eo acrius torquentium, ne a femina spernerentur, pervicere, quin objecta denegaret. Sic primus quaestionis dies consumptus. Postero cum ad eosdem cruciatus retraheretur gestamine sellae (nam dissolutis membris insistere nequibat), vinclo fasciae, quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sellae restricto, indidit cervicem, et corporis pondere connisa, tenuem jam spiritum expressit : clariore exemplo libertina mulier, in tanta necessitate alienos ac prope ignotos protegendo, cum ingenui et viri et equites Romani, senatoresque intacti tormentis carissima suorum quisque pignorum proderent.

[87] *Ascendere Romae* — Tac. ib. 59. Fuere, qui prodita conjuratione, dum auditur Milichus, dum dubitat Scaevinus, hortarentur Pisonem pergere in castra, aut rostra ascendere, studiaque militum et populi tentare; si conatibus ejus conscii aggregarentur, secuturos etiam integros, magnamque motae rei famam, quae plurimum in novis consiliis valeret. Nihil adversum hoc Neroni provisum; etiam fortes viros subitis terreri; ne dum ille scenicus, Tigellino scilicet cum pellicibus suis comitante, arma contra cieret... Immotus his et paullulum in publico versatus, post domi secretus animum adversum suprema firmabat.

[88] *Extremae tabulae* — Pisonis finem his paucis narrat Tac. ib. Obiit abruptis brachiorum venis. Testamentum foedis adversum Neronem adulationibus amori uxoris dedit.

[29] *Lucanum* — Tac. ib. 70. Exin M. Annaei Lucani caedem imperat. Is profluente sanguine, ubi frigescere pedes manusque, et paullatim ab extremis cedere spiritum, fervido adhuc et compote mentis corpore, intelligit, recordatus carmen a se compositum, quo vulneratum militem, per ejusdem mortis imaginem obiisse tradiderat, versus ipsos retulit. Eaque illi suprema vox.

[30] *Trajicit ensis* —Tac. ib. 60. Proximam necem Plautii Laterani, consulis designati, Nero adjungit adeo propere, ut non complecti liberos, non illud breve mortis arbitrium permitteret. Raptus in locum servilibus poenis sepositum, manu Statii tribuni trucidatur, plenus constantis silentii, nec tribuno objiciens eamdem conscientiam.

[31] *Exemplar honestae* — Sequitur, ait Tac. ib. 60, caedes Annaei Senecae, laetissima principi, non quia conjurationis manifestum compererat, sed ut ferro grassaretur, quando venenum non processerat. Tribunus indicere mortem jubetur: sed (ipse Tac. 61.): Neci et aspectui pepercit, intromisitque ad Senecam unum ex centurionibus, qui necessitatem ultimam denunciaret. Ille interritus poscit testamenti tabulas, ac denegante centurione, conversus ad amicos, quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod unum jam, et tamen pulcherrimum habebat, imaginem vitae suae relinquere testatur, cujus si memores essent, bonarum artium, famam tam constantis amicitiae laturos. *Ubi cognita virtus?* Ipsius Senecae verba, teste Tacit. ib. Simul lacrymas eorum, modo sermone, modo intentior in modum coercentis, ad firmitudinem revocat, rogitans: Ubi praecepta sapientiae? ubi tot per annos meditata ratio adversum imminentia? Cui enim ignaram fuisse saevitiam Neronis? neque aliud superesse, post matrem fratremque interfectos, quam ut educatoris praeceptorisque necem adjiceret. — *Veneno*. Tac. ib. 63. Seneca, quoniam senile corpus, et parvo victu tenuatum lenta effugia sanguini praebebat, crurum quoque et poplitum venas abrumpit. Saevisque cruciatibus defessus. Exinde: 64. Durante tractu, et lentitudine mortis, . . . orat provisum pridem venenum, allatumque hausit frustra, frigidus jam artus et cluso corpore adversum vim veneni. Postremo stagnum calidae aquae introiit, respergens proximos servorum, addita voce, libare se liquorem illum Jovi liberatori.

[32] *Magistri*— Tac. ib. 63. Et novissimo quoque momento suppeditante eloquentia, advocatis scriptoribus, pleraque tradidit, quae in vulgus edita ejus verbis, invertere supersedeo.

[33] *Praevertere Rufum* — Tac. ib. 66. Ceterum militaris quoque conspiratio non ultra fefellit, accensis indicibus ad prodendum Fenium Rufum, quem eumdem conscium et inquisitorem non tolerabant. Ergo instanti minitantique renidens Scaevinus, neminem, ait, plura scire quam ipsum. Hortaturque ultro redderet tam bono principi vicem. Non vox adversum ea Fenio, non silentium, sed verba sua praepediens, et pavoris manifestus ce-

terisque ac maxime Cervario Proculo equite ad convincendum eum connisis, jussu imperatoris, a Cassio milite qui ob insigne corporis robur adstabat, corripitur vincitur que.

[34] *Numerata talenta* — Tac. ib. 72. Quibus perpetratis Nero et concione militum habita bina nummûm millia viritim manipularibus divisit... Tigellinum et Nervam item extollens, ut super triumphales foro imagines apud palatium quoque effigies eorum sisteret. 71. Miliebus praemiis ditatus, Conservatoris sibi nomen graeco ejus rei vocabulo assumpsit. Et paulo prius: Sed compleri interim urbs funeribus, Capitolium victimis, alius filio, fratre alius, aut propinquo aut amicis interfectis agere gratias deis, ornare lauro domum, genua ipsius advolvi, et dextram osculis fatigare.

[35] *Texistis amictu* —Matth. XXV, 36. Nudus eram, et cooperuistis me.

[36] *Dum Salomon* — Paralip. II, 7. Cum complesset Salomon fundens preces ignis descendit de caelo ... et majestas Domini implevit domum ... Rex autem et omnis populus immolabant victimas coram Domino. Mactavit igitur Salomon hostias...et dedicavit domum Dei Rex et omnis populus. Sacerdotes autem stabant in officiis suis; et Levitae in organis carminum Domini. Fecit ergo Salomon solemnitatem septem diebus.

[37] *Et sanctam efficiam*—Apparuit autem ei Dominus nocte et ait: Audivi orationem tuam, et elegi locum istum mihi in domum sacrificii. Si clausero caelum, et pluvia non fluxerit, et mandavero, et praecepero locustae, ut devoret terram, et misero pestilentiam in populum meum; conversus autem populus meus super quos immolatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, et exquisierit faciem meam, et egerit poenitentiam a viis suis pessimis; et ego exaudiam de caelo, et propitius ero peccatis eorum, et sanabo terram eorum.

[38] *Stat pectore templum*—August. Serm. CCLII, de Templ. Quidquid in templis manufactis agitur, totum in nobis spiritali aedificatione completur. Non enim mentitus est ille qui dixit: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos: et iterum: Nescitis, quia corpora vestra templum sunt spiritus sancti, qui in vobis est? Et ideo ... quantum possumus, cum ipsius adjutorio laboremus, ne Dominus noster in templo suo, hoc est in nobis ipsis inveniat, quod oculos suae majestatis offendat.

[39] *Quae fera Gallorum*—Et XI, 43. Ceterum, urbis quae domus supererant, non ut post gallica incendia, nulla distinctione, nec passim erecta, sed dimensis vicorum ordinibus, et latis viarum spatiis, cohibitaque aedificiorum altitudine, ac patefactis areis, additisque porticibus quae frontem insularum protegerent. Cap. 38, antea dixerat: arctis itineribus, hucque et illuc flexis atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit.

[40] *Undique legatos mittam* — Tacit. id omnino factum refert, XI, 45. Interea conferendis pecuniis pervastata Italia, provinciae eversae, sociique populi et quae civitatum liberae vocantur. Inque eam praedam etiam dii cessere, spoliatis in urbe templis, egestoque auro, quod triumphis, quod

votis omnis populi romani aetas prospere, aut in metu sacraverat. Enimvero per Asiam, atque Achaiam non dona tantum, sed simulacra numinum abripiebantur, missis in eas provincias Acrato et Secundo Carinate.

[41] *Quod non Augusto licuit* — Svet. in Oct. XXIX. Urbem neque pro majestate imperii ornatam, et inundationibus, incendiisque obnoxiam excoluit adeo, ut jure sit gloriatus marmoream se relinquere, quam latericiam accepisset.

[42] *Spelunca alta fuit* — Una e cryptis arenariis, quae in posterum per tria ferme saecula, christianam virtutem in tenebris succrescentem occuluerunt, et martyrum pro sanctissima causa interemptorum corpora servârunt. Sed de iis inferius erit sermo.

[43] *Surgit ubique* — Sic per totum orbem diffusos Christianos *Romanos baptizatos* recte vocabis, et Romana Ecclesia, cujus fundamentum, artifex et habitator Petrus ex omni tribu, lingua et natione collecta vere Regina illa dici potest, de qua in Psal. XLIV, 10. Astitit Regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate.

[44] *Conversum Fratres* — Luc. XXII, 32. Christus sic affatus est Petrum: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.

[45] *Senior senioribus ipse* — Petrus Ep. 1, V. I. Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior et testis Christi passionum.

[46] *Terraeque parentem* — Psal. XL, qui est adhortatio ad fiduciam in Dei auxilio collocandam. Uti longiusculum nos hic omittimus.

PRESIDENZA DEL CONSIGLIO GENERALE DI PUBBLICA ISTRUZIONE

Rip.° Car.° N.° 14 Oggetto

Napoli 25 *luglio* 1858

Vista la domanda del tipografo Gennaro Agrelli con che ha chiesto porre a stampa l'opera intitolata *Petreidos libri XXIV* dell'Abate Mirabelli;

Visto il parere del R. R. sig. D. Raffaele di Gennaro;

Si permette che la suddetta opera si stampi; però non si pubblichi senza un secondo permesso che non si darà se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuto nel confronto esser l'impressione uniforme all'originale approvato.

Il Consultore di Stato Presidente provv.
CAPOMAZZA

Il Segretario Generale
Giuseppe Pietrocola

COMMISSIONE ARCIVESCOVILE
per la
REVISIONE DE' LIBRI

Nihil obstat
Antonius Cercià
Censor Theologus

Imprimatur
Pro Dep.°
Leopoldus Ruggiero

ERRATA		CORRIGE
Pag.	7 v. 17 Feritas inhumana	feritas insana
	8 v. 6 undisona	undisono
	24 v. 29 tua nomine	tua nomina
	35 v. 29 copulat	sociat
	47 v. 29 christiadûm	vestibat
	51 v. 31 lachrymans	lacrymans
	74 v. 28 Nereus	Nereu
	75 v. 15 Andronicus	Andronicum
	89 v. 24 Satago, et	Satago sed
	150 v. 29 Scholas ubi	Scholas qua omnis.
	172 v. 24 Subripuit	subripui
	ivi v. 31 murmuar	murmura.
	238 v. 30 vastatibus	vastantur
	276 v. 7 terrarum	ferarum
	285 v 3 turbas,	turbam